C. H. A. 3.
BIBLIOTECA NAZ.LE
150
E
13
102
P
3
102
0
154
BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
150
E
13
NAPOLI
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

NOVA SCRIPTORUM AC MONUMENTORUM

PARTIM RARISSIMORUM,
PARTIM INEDITORUM

COLLECTIO

OPUS AD ILLUSTRANDAM HIST. CIVILEM,
ECCLESIASTICAM, LITTERARIAM, NEC NON JURISPRUDENTIAM
PUBLICAM ET PRIVATAM CUM MAXIME
COMPARATUM.

TOMUS I.

PRÆTER ALIA SÆCULI XVI. MONUMENTA

SAM. GUICHENONI
BIBLIOTHECAM SEBUSIANAM
ET
PARIDIS DE CRASSIS
DIARIUM CUR. ROM.
COMPLEXUS.

RECENSUIT

CHRIST. GODOFREDUS HOFFMANNUS,
JCT. REG. BOR. MAJ. CONSIL. INTIMUS ET ORDIN.
JURIDICI IN ACAD. FRANCOF. ORDINARII.

LIPSIÆ,
Sumptibus HÆRED. LANCKISIANORUM.
M DCC XXXI.

Digitized by Google

VA1 1507020

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO

DOMINO

LUDOVICO OTTONI,

NOBILI DOMINO

DE PLOTHO,

S. REGIÆ MAJESTATIS PRUSSICÆ

ADMINISTRO STATUS INTIMO, SUPREMORUM TRIBUNALIUM PRÆSIDI, DYNASTÆ IN PARREY, GERBSTÆDT, REESEN, GUTTER ET ILENBURG CÆTERA,

PATRONO AC PROMOTORI SUO

SUBMISSO HONORIS CULTU

VENERANDO

PERENNEM FELICITATEM.

Digitized by Google

ILLUSTRISSIME DOMINE.



AD quem potius tenderet præſens ſcriptorum ac monumentorum collectio, quam ad TE, DOMINE ILLUSTRISSIME, *quem indulgentiſſimum literarum harum Protectorem omnes eſſe noverunt, quibus vel ſemel benefici Tui alloquii ho-*

nore

Digitized by Google

nore frui, vel ſplendidiſſimam & præſtantiſſimorum librorum ac Codicum copia abundantem Bibliothecam intrare licuit, quæ, ut impreſſorum æque ac manuſcriptorum operum pretioſum exhibet theſaurum, ita de illuſtriſſimi Poſſeſſoris *favore & admiranda in omne ſcientiarum genus propenſione manifeſtum præbet teſtimonium. Cujus gratiam majori ac ſinceriori ſtudio ambiret, tenue hoc opuſculum, quam communis literarum Patroni, quem ad tuendos & excitandos Literatorum conatus æque pronum & proclivem omnes experiuntur, ac æquiſſimum rerum harum judicem atque arbitrum, a quo juſtum illis pretium ſtatui queat, eſſe intelligunt, ita ut in præſidium atque tutelam rei literariæ cum præſentis ſeculi inſidiis colluctantis, natus eſſe videaris. Hæc quamvis temeritatem meam, qua levidenſem hanc compilationem Tuo*

conſpectui ſubjicere auſus ſum, a culpa quodammodo liberare queant: nolui tamen ad illas confugere excuſationes, quas cum aliis communes habeo, cum graviores & plures mihi ſint propriæ, quas ſilentio præterire haud permittit pietas, qua TIBI, DOMINE ILLUSTRISSIME, *me obſtrictum profiteor. Vix enim in has regiones ex Academia Lipſienſi delatus, quem abſens & tantum favorem immerens, ignotus Patronum & Promotorem expertus eram, jam Mæcenatem & Protectorem benignum atque certum deprehendi, qui gratia ſua, favore, commendatione, monitis ac conſiliis, quantum res meas promoverit, nunquam grati animi memoria excidet, verum potius me indies ad obſervandum* ILLUSTRISSIMUM TUUM NOMEN *magis magisque incitabit. Patere igitur* INDULGENTISSIME DOMINE, *ut hoc publicum meæ in* TE *pieta-*

tis

tis documentum proſtet, quod, quamvis leve TUIque nominis præſidio indignum, ad locum ſi vel maxime inferiorem in Bibliothecæ TUÆ *exquiſitisſimæ ſcriniis obtinendum adſpirat: Mihi vero, quæ* TUA *eſt inſignis ac incomparabilis humanitas, locum inter illos relinques, qui omni pietate & obſervantia, placendique ſtudio Gratiam ac Favorem* TUUM *demereri, adnituntur. Ego nunquam ab illorum recedam ſocietate, qui non tantum conſummatam illam prudentiam, vigilem ſedulitatem, intemeratam fidem, quæ ſublimem difficilemque, quam* TIBI POTENTISSIMI REGIS NOSTRI *gratia, Perſonam impoſuit, tot annos jam ſuſtinuiſti, pio animo venerantur: verum etiam benignitatem illam & benevolentiam, qua litterarum ſtudia, liberaliaque ingenia, quorum honos & gratia hoc ſeculo pasſim jacet, inaudito prorſus favore ſublevas, erigis;*

gis, ornas, illisque aſylum quaſi præbes, admirantur. Hinc quoque votis, quæ pro TUA TUORUMQUE *ſalute fiunt, & ſupplicationibus, quæ pro illis ſine interceſſione nuncupantur, ardentisſimas accedo precibus, ut publicis privatisque commodis cum admirabili* TUO *animi robore, & infracta corporis valetudine quam diutisſime firmus vegetusque ſuperſis. Ceterum patrocinii* TUI *perpetuitate benevole porro digneris*

ILLVSTRISSIMI ATQUE EXCELLENTISSIMI TUI NOMINIS

Dab. Francof. ad Viadrum. d. 10. Mart. 1731.

Cultorem ac Clientem perpetuum

CHRIST. GODOF. HOFFMANNUM.

LECTO-

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

DUm in producendis præteriti ævi monumentis, iisque partim renovandis, quæ raritate ſua plurium uſui ſe ſubduxerant, partim ex privatis carceribus, quibus incluſa delituerant hactenus inedita, emittendis certatim quaſi occupantur Viri omnis rei literariæ promovendæ

Digitized by Google

ſtudioſi: vitio mihi verti haud poterit, quod tam illuſtribus exemplis excitatus, collectionum illarum, quæ reſtituendis, conſervandis ac publicandis præteriti ævi monumentis inſerviunt, numerum augere conſtituerim. Neque mihi excuſatione, aut commendatione operis indigere videor: illa certe in inſtituto, quod Literatorum calculo jam dudum approbatum, non opus eſt: de hac autem minime ſollicitus ſum, cum judicium ſit penes æquos rerum illarum æſtimatores & utilitas ac dignitas ſcriptorum præſenti collectione contentorum, ex illorum inſpectione, ac evolutione rectius pateat, quam editoris ſtudio, ac conquiſitis rationibus doceri poſſit. Præ-

terea,

terea, quæ de ſingulis operis hujus ſcriptis monenda aut referenda fuerunt, in diſcurſibus, quos ſuo loco præmiſi, legi poterunt, mihique in præſenti otium faciunt.

Nihil igitur reſtat, quam ut paucis exponam, quid de ſuſcepta collectione impoſterum polliceri habeam. Duplicis generis ſunt ſcripta, quæ in hoc, & ſi Deus vitam viresque largitus fuerit, futuris voluminibus exhibere conſtitui: alia jam edita proſtant, alia publicam hactenus lucem nondum viderunt. Major in eruendis ineditis cura erit, quorum aliqua copia ad manus eſt, digna forte ex illis nonnulla, quæ aliorum quoque uſui communicentur. Et quamvis materiam formandorum ali-

quot faſciculorum mihi non defuturam certiſſime confidam; operæ tamen pretium eſſe credo, nonnunquam opuſcula, quæ jamjam prelum experta junt, inſerere, cum & ea, ſi inventu ſint difficilia, in numero manuſcriptorum haberi queant, & ſæpius utilitate ac dignitate ſuperent multos ineditos Codices, quos fere nihil, quam novitatis inane præjudicium, & primæ editionis lubrica fama commendat. Ita pleraque primi hujus voluminis folia SAMUELIS GVICHENONII *Bibliotheca Sebuſiana* occupat, opus, quod in noſtris terris rariſſime occurrit, ad illuſtrationem autem veteris Italici, atque Burgundici regni, communicato antiquiſſimorum documento-

rum

Digitized by Google

rum eximio apparatu, egregie facit. Ex ineditis hoc volumine eminet PARIDIS DE CRASSIS *fragmentum diarii curiæ Romanæ*, qui Leone X. Pontifice ceremoniarum in aula Romana arbiter erat. Scriptum hoc tantam acquiſivit autoritatem, ut etiam ſæpius in publicis, de prærogativa ſesſionis & ordinis controverſiis, ad illud provocatum fuerit, unde forte enatus fuit ille error, quod PARIS DE CRASSIS librum quendam ſub titulo *Ceremonialis Romani* compoſuerit, Romæ typis exſcriptum. Hæc enim ſine fundamento aſſeri, atque editiones libri nunquam impreſſi falſiſſime narrari, in diſſertatione opuſculo præmiſſà, luculenter probatum dedi.

In diſpoſitione autem ſcriptorum, certo me ordini adſtringere, haud neceſſarium eſſe duxi. Cum enim opuſcula, quæ in hanc collectionem conferre ſtatuerim, plerumque nulla prorſus connexione ſe invicem attingant, libertati, qua alii ante me in congerendis ſimilibus ſcriptis uſi ſunt, non renunciandum eſſe credidi. Hinc neque ætatis, neque materiarum ratio ſollicite tenenda erit; ſed prout ſe obtulerint, ac prelo parari commodiſſime poterunt, in lucem prodibunt. Hanc ſolam mihi ſtatui legem, ne admitterem alia, quam hiſtoriæ cum profanæ tum eccleſiaſticæ, nec non juris publici, ac privati germanici illuſtrationi inſervientia, non penitus excluſis, quæ

hiſto-

Digitized by Google

hiſtoriæ literariæ lucem aliquam inferre poſſint. Et ita non tantum ſcripta hiſtorica, diplomata, aliaque, veteris inprimis ævi monumenta recenſebo; verum etiam juris patrii priſci reliquias, doctorumque Virorum in illas commentationes, exhibebo, quibus etiam literæ Virorum Clarorum, ac de eorum geſtis & vita relationes immiſcentur; nihilque intermittam, quo opus varietate, atque utilitate ſe commendare poſſit. Indices inſtructiſſimos addi, quanta fieri poterit attentione curabo, cum illorum adminiculo facilior uſus pateat, atque in editione talium ſcriptorum, nihil Lectori gratius præſtari poſſit, quam ſi evolvendi facilitati ac commoditati accu-

Digitized by Google

rato rerum & materiarum indice conſulatur. Hæcque præmittenda cenſui; Nihil addo, quam alterum collectionis volumen proxime inſecuturum eſſe, ſi hoc qualecunque inſtitutum Tuo, L.B. favore ac approbatione dignum exiſtimaveris. Vale. Dabam Francof. ad Viadrum d. X. Mart. Anno MDCCXXXI.

BIBLI-

Digitized by Google

BIBLIOTHECA SEBUSIANA,

SEU

VARIARUM CHARTARUM, DIPLOMATUM, FUNDATIONUM, PRIVILEGIORUM, DONATIONUM ET IMMVNITATUM A SUMMIS PONTIFICIBUS, IMPERATORIBUS, REGIBUS ETC. CONCESSARUM ECCLESIIS MONASTERIIS ET ALIIS LOCIS ET PERSONIS MISCELLÆ CENTURIÆ DUÆ: EX ARCHIVIS REGIIS, TABULARIIS ET CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLECTÆ NOTISQVE ILLUSTRATÆ

A

SAMUELE GVICHENON.

LUGDUNI

APUD BARBIER ANNO MDCLX.

EDITIO NOVA

CUM PRÆFATIONE

DE VITA AC SCRIPTIS SAM. GVICHENONII, HUJUSQVE COLLECTIONIS UTILITATE.

Digitized by Google

Digitized by Google

DISSERTATIO
DE
VITA ET SCRIPTIS
SAMUELIS GVICHENONII,
HUJUSQUE COLLECTIONIS UTILITATE.

PRimum in præſenti collectione locum rariſſimo opuſculo, quod induſtriæ SAMUELIS GVICHENONII debemus, optimo jure dedimus. Inſignem inter ſuperioris ſeculi Hiſtoricos nactus erat famam celeberrimus Editor, cujus commentarii hiſtorici pretioſiſſimum theſaurum documentorum continent, magna cum fide collectorum, neque minori cum judicio digeſtorum. Natus erat *Matiſconæ*, urbe in Ducatu Burgundiæ non ignobili, capite tractus Matiſconenſis, qui olim proprios habuit Comites. *Burgi*, civitate in Breſſiæ comitatu, Advocati munere fungebatur. Non tamen ita fori ſtudiis ſe mancipaverat, quin aliis elegantioribus ſe poſteritati exhibere potuerit, quo famam dignitatemque ſuam auxit, eoque produxit, ut a Rege Galliæ Duceque Sabaudiæ multis ornaretur honoribus, qui ex titulo, quem ſcriptis ſuis præfigere ſolebat, patent. Hic enim docet, fuiſſe eum *Dominum de Paineſſuyt,*

Digitized by Google

Regi Franciæ a conſiliis, Franciæ, Sabaudiæ & Dombarum Hiſtoriographum, Equitem auratum & Comitem Palatinum, Sacræ Religionis S. S. Mauritii & Lazari militem. Et his omnibus dignum ſe effecerat immortalibus ſcriptis patriæ ſuæ hiſtoriam illuſtrantibus, quibus, cum ea methodo elaborata eſſent, ut narratis probationes ex cartulariis & archivis ſubjectæ legerentur, lucem ſane egregiam antiquitati & hiſtoriæ medii ævi accendit, ea ratione non tantum de patria, ſed vicinis etiam regionibus, imo univerſo literato orbe egregie meritus. Primum quidem opus, quod ab Autore noſtro prodiiſſe nobis conſtat, conſecratum erat eccleſiæ Bellicenſi, Archiepiſcopo Biſontino ſubjectæ. Excuſum fuit Pariſiis anno 1642. apud Du Puis, *in quarto*, titulumque habet: EPISCOPORUM BELLICENSIUM CHRONOLOGICA SERIES. Acceſſit *Catalogus Priorum Charitatis ad Ligerim*, item, *Prioratuum & aliarum eccleſiarum, ex eo dependentium.* Majori apparatu Hiſtoriam Comitatus Breſſienſis, Beugeſiæque condidit, atque *Lugduni* apud *Huguetanum* duobus voluminibus anno 1650. in folio publicam in lucem emiſit, ſub titulo: *Hiſtoire de Breſſe & Bugey, Gex & Valromey, contenant ce qui s'eſt paſſé de memorable ſous les Romains, Rois de Bourgogne & d'Arles, Empereurs, Sires de Beaugé, Comtes & Ducs de Savoye & Rois tres-chretiens jusqu' à l'echange du Marquiſat de Saluces; avec la fondation des Abbaïes, Prieures, Chartreuſes & egliſes collegiales, origine des villes, chateaux, Seigneuries, Fiefs & Genealogies, de toutes les familles nobles, juſtifiées par preuves authentiques.* Quid illuſtri hoc opere contineatur vel ex adducto conſtare poterit titulo. Complectitur hiſtoriam nobiliſſimarum provinciarum, * quæ olim partem REGNI ARELATEN-

* *Hæ Provinciæ cum in dominium Ducis Sabaudiæ tranſiiſſent, ſolenni pacto inter Regem* HENRICUM IV. & CAROLUM EMANUELEM *Sabaudiæ Ducem, anno ſuperioris ſeculi primo Lugduni die 17. Januarii confecto, Regno Galliæ ceſſæ fuerunt.*

Digitized by Google

LATENSIS conſtituebant, eoque nomine non exiguam utilitatem in viciſſitudinibus regni hujus inveſtigandis præbet. Epitomen vaſti operis dedit GERMANUS GVICHENON, Lugduni anno 1709. *in octavo.* Cenſorem autem nactus eſt PHILIBERTUM COLLETUM, Medicum Divionenſem, cujus vero opus hactenus latuit, forte nunquam proditurum, cum autor nobilitatem atque antiquitatem nonnullarum hodie florentium familiarum in dubium vocaſſe perhibeatur. Succeſſu temporis ad ſcribendam hiſtoriam SERENISSIMÆ Domus SABAUDICÆ ſe convertit, excitatus juſſu CHRISTINÆ, Magni HENRICI IV. filiæ, quæ matrimonio juncta erat VICTORI AMADEO. Hujus etiam Duciſſæ vitam peculiari ſcripto delineavit, quod autem evulgatum eſſe, non reperimus. Regium & magnificum opus eſt, quod de SERENISSIMA Domo SABAUDICA confecit, cui etiam ratione formæ externæ nihil deeſſe videtur, quod ad ſplendorem requiri poterat. Titulus operis eſt: HISTOIRE GENEALOGIQVE DE LA ROYALE MAISON DE SAVOYE, *juſtifiée par titres, fondations de monaſteres, manuſcripts, anciens monuments, hiſtoires & autres preuves autentiques, enrichies de pluſieurs portraits, ſeaux, monnoyes, ſepultures & armoiries &c.* a LYON *chez Guillaume Barbier, Imprimeur ordinaire du Roy & de S. A. S. de Savoye à la place de Confort. anno 1660. in folio.* Recluſit in hoc opere inæſtimabilem prorſus theſaurum monumentorum & diplomatum, quæ ejus ſtudio in lucem protracta inexhauſtum uſum Hiſtoriæ medii ævi præbent. Dolendum modo, opus hoc pretioſiſſimum, inventu quoque difficillimum eſſe, imo in pauciſſimis comparere Bibliothecis, cujus raritatis cauſam aliqui eam dare volunt, quod operis, ſumptibus Ducalibus impreſſi diſtributio a ducali quoque beneficio & liberalitate dependerit, de quo quid certum, aſſerere non poſſumus. Id certiſſimum eſt, rarius

Digitized by Google

in noſtris regionibus inveniri, quo etiam factum, ut, qui ſplendidiſſimi operis copiam habuerunt, non dubitarint ex illo integra diplomata deſcribere, atque reipublicæ literariæ tanquam ex archivis & manuſcriptis noviſſime deprompta commendare. Quantum alias in nobiliſſimo hoc opere præſtiterit, teſtantur honorifica elogia, quæ viri doctiſſimi illi tribuere non dubitarunt. Cæterum nihil omiſit, quod ad honorem SERENISSIMÆ DOMUS dici poterat, quamvis etiam aliquando affectui indulſiſſe videatur, quorſum forte ea referenda ſunt, quæ ad infirmandum nexum feudalem Ducis Sabaudiæ cum Imperatore Germanorum *Tomo primo, pagina 83.* diſſeruit: quo loco homagii obligationem cum titulo & jure VICARII GENERALIS non ſubſiſtere poſſe argumentatur, ratiocinio, in quo vim concludendi deſiderari, facile perſpicimus. Verba GUICHENONII adducamus. *On pourroit dire, que dignité de Vicaire perpetuel du St. Empire eſt incompatible avec l' hommage, que les Ducs de Savoye rendent a l' Empereur, car il faut neceſſairement, que celuy, qui porte la qualité de Vicaire où de Lieutenant, ne ſoit point feudataire de celuy, de qu' il eſt Lieutenant, a cauſe que la puiſſance abſolüe, que le Vicaire reçoit ne peut ſubſiſter enſemble avec la ſubmiſſion, qu'il eſt tenu de faire, autrement il ſe porrouit rendre les devoirs de foy & d'hommage a ſoi même, ce qui ſeroit une grande abſurdité.* Certe, quæ in hunc ſenſum proferuntur, ignorantiam, ſed, ni fallimur, ſimulatam, Status Imperii Romano-Germanici ſapere videntur. Graviorem cenſuram expertus eſt GVICHENONIUS a VARILLASIO * qui eum plagii reum egit, cum ipſi deprehenſus fuerit pleraque in Sabaudiæ hiſtoria de ultimis Ducibus adducta verbotenus ex BAPTISTÆ NANI Hiſtoria deſcripſiſſe, nulla Scriptoris Italici facta mentione. Cæterum inter Hiſtoricos nihil frequentius accidere

* *VARILLAS Preface III, Tome de l'hiſtoire de l'hereſie. BAYLE Dictionaire.*

dere ſolet, quam ut ab uno ſcribantur jam ab altero annotata, cum eandem ſcribendi materiam habeant, & geſta factaque recenſenda non ex ingenio, ſed ex actorum vera ſerie ſint depromenda. Neque hoc VARILLASII judicium exiſtimationi præſtantiſſimi hujus operis aliquid detraxit, cui æquum ſemper ſtatuerunt pretium Hiſtoriæ amatores, qui in illuſtrem hunc Scriptorem laudes ingenui atque exactiſſimi Hiſtorici communi quaſi applauſu conferre non dubitarunt. Quod reliquum, nulla forte alia opera a doctiſſima GVICHENONII manu lucem publicam aſpexerunt. Hiſtoria tractus DOMBARUM a GVICHENONIO duobus voluminibus incluſa memoratur quidem a LE LONGIO in Bibliotheca hiſtorica Franciæ *Num.* 15107. ſed ea æque ac HISTORIA DOMUS VIENNENSIS, a GVINEMAUDO, Medicinæ Doctore, primum confecta, a GVICHENONIO vero aucta & emendata, intra privatos adhuc deliteſcit parietes. Tot tantisque monumentis inclaruit GVICHENONIUS, qui anno 1664. octava menſis Septembris vivere deſiit. De Religione ejus varia circumferuntur judicia. BÆLIUS, ex teſtimonio JOANNIS LEGERI, celebris Autoris Hiſtoriæ Waldenſium eccleſiarum, eum prima ætate Reformatorum fidei addictum fuiſſe, poſtea vero ad Catholicorum ſacra tranſiiſſe probat, contra Autores diarii Trivultiani, qui menſe Januarii anno 1703. Guichenonium ab hac imputatione liberare tentarunt.

Et hæc ſunt, quæ de Vita & Scriptis celebris hujus Hiſtorici reperire atque adducere potuimus. Jam de ejus BIBLIOTHECA SEBUSIANA, cujus novam editionem exhibemus, quædam dicenda erunt. Prodiit Opus Lugduni anno 1660. apud *Barbier*, in quarto. Inſcriptionem libri quodammodo obſcuram reliqua tituli verba explicant, quæ contenta operis ampliſſime recenſent. Duas diplomatum centu-

centurias complectitur hæc bibliotheca, inde, ſi numerum & contentorum dignitatem ſpectes, magni æſtimanda. Cæterum libellus inprimis in his terris vix conſpiciebatur, & ut GVICHENONII ſcripta omnia, propter ſummam raritatem, vix pretio redimi poſſunt, ita etiam hoc mole ſua exiguum opus non facile comparari potuit. Hæc me commovere potuerunt, ut de opuſculi nova editione cogitarem. Conſilium hoc promovit conſideratio utilitatis, quam ex collectione hac exquiſitiſſima capere poſſunt hiſtoriarum ſtudioſi, in qua certe non vulgaria, non trita, non otioſa, ſed ſelecta & curioſorum indagatione digna comparent. Actum agerem, ſi de librorum hujus generis uſu & pretio multa diſſerere vellem. Vivimus enim in eo jam ſeculo, quod antiquas membranas atque chartas ſumma cum ſollicitudine conquirit, & didicimus jam jam innumeris pene exemplis, quantum præſidii Hiſtoria præteriti ævi ex his monumentis capere poſſit. His tanquam ſatis cognitis non immorabimur; ea attingenda vero paucis ſunt, quæ ad præſentis libelli commendationem proxime ſpectant. Primo quidem ex operis perluſtratione patet, uſum collectorum documentorum fines agri Sebuſiani multum egredi. Multa enim reperiuntur in hoc libro, quæ res Sabaudiæ, Pedemontii, Montisferrati, Delphinatus, Provinciæ, aliarumque regionum concernunt. Cumque nonnulla documenta ad antiquiſſima tempora Burgundici & Arelatenſis regni aſſurgant, varia ex illis in obſcura hac hiſtoriæ periodo illuſtrari poterunt. Ipſe GVICHENON in quibusdam notis uſum hujus collectionis oſtendit. Ita invenies *Cent. I. num. XXIX.* Genealogiam Comitum Juxenſium, ex quibus aliqui Navarræ Reges prodierunt, eadem *Centuria n. XXXII.* originem Comitum Genevenſium *n. L.* Regum Luſitaniæ genealogiam *n. LII.* natales Vicecomitum Poliniacorum *num. LXVIII.* ſtemma Comitum Gebenenſium, *n. LXXI.* Caprariorum gentem *n. LXXV.* notitiam

Digitized by Google

noticiam de comitibus Metenſibus *n. LXXXIII.* Adelrami, Montisferratenſis Marchionis familiam: CENTURIA II. *num. 3.* ſingularia de Comitibus Matiſconenſibus *num. LII.* quædam de Alingiorum familia, *num. LXIV.* nonnulla de Duce Zeringenſi, *num. LXXXV.* Genealogiam Turrenſium, ob infinitam obſervationum genealogicarum materiam, ex ſubſcriptionibus nominum petendam. Qui HISTORIÆ ET JURIS PUBLICI ſubſidia in hac collectione quæſiverit, eam non fruſtraneo conatu perluſtrabit. Ut quædam ſpecimina exhibeamus, jam ſuccurrunt, quæ ad COLONIENSIS ARCHI-EPISCOPI Cancellariatum Italiæ referri poſſunt, *Cent. I. num. LXXIV. num. LXXXIII. C. Cent. II. n. II. & LXXV. LXXVIII. num. LXXX. LXXXVIII.* Non contemnenda ſunt, quæ de officiis Eccleſiaſticorum aulicis Buticularii, Conſtabularii & Camerarii *Cent. I. n. XXXVI.* de Comitum Capellanis & Cancellariis, *n. XLIX.* de advocatiis eccleſiarum *n. LXVII. & LXXI. Cent. II. num. LXXX.* de Archicancellariatu in regno Burgundiæ *Cent. I. num. LXXXI.* de Epiſcopo Spirenſi Archicancellario *num. XCII.* de Archiepiſcopo Ebrodunenſi, S. R. I. Triſcamerario *Cent. II. n. XXXI.* de Burggravio Magdeburgenſi, Magiſtro curiæ imperialis, *ibidem* de Epiſcopo Ratisbonenſi Cancellario *num. LXXXIV.* de Æymaro Comite Pictavienſi, Vicario Imperii, *num. LXXXVII.* obſervari poterunt. Animadverſione porro dignum homagium Narbonenſis Ducis, Archiepiſcopo Eccleſiæ Ebredunenſis præſtitum, *Cent. I. num. XXXI.* promiſſio protectionis, a LUDOVICO R. Franciæ Prioratui Amberti facta, *num. XXXVI.* erectio Comitatus Matisconenſis in Pariatum, *num. LXXII.* oblationem Comitatus Ebredunenſis, Archiepiſcopo Ebredunenſi facta, *num. LXXVIII.* Donatio Marchionatus Montisferratenſis, facta per inveſtituram cum baculo, *num. LXXXVI.* Venditio inſulæ Cretenſis & civitatis Theſſalonicæ cum refutatione, *num. LXXXIX.* Friderici II. donatio caſtellorum quorundam, Guilielmo

lielmo, Marchioni Montisferratenſi, facta, *n. XCII* conceſſio regalium ab Henrico Imperatore, Bonifacio Marchioni Montisferratenſi anno 1191. facta, *n. XCVI.* InveſtituraComitatus Forcalcherii de a. 1164. *Cent. II. n. II.* Bulla Caroli IV. pro Archiepiſcopo Ebredunenſi, *Cent. II. n. XXXI.* confirmatio jurium Epiſcopi Genevenſis, tanquam Principis Imperii, a Friderico I. an. 1153. facta, *n. XXXV.* appellatio Principis Imperii, Epiſcopo Valentino tributa, *n. LXXXVI.* Quæ omnia ampliſſimum diſſerendi campum aperirent, ſi id præſens jam ferret inſtitutum, cum nobis jam ſufficiat primaria obſervationum capita per indicem quaſi indicaſſe. Non deſunt quoque, illuſtrationi JURISPRUDENTIÆ FEUDALIS inſervientia. Hùc facit *Cent. I. n. XXVIII.* qui exemplum inveſtituræ rerum allodialium præbet. *Num. XXXIII.* formulam homagii in feudo eccleſiaſtico exhibet, *n. XXXVII.* docet feudum ſuperiori non offerendum: *Num. XLIII.* formulam feudi ab eccleſia conceſſi continet. *Num. LIV.* reſervationem banni & jurisdictionis criminalis recenſet. *Num. LXXXIV.* inveſtituram per terram & ramum arboris oſtendit. *Cent. II. n. XVI.* liberum & francum allodium, atque ſingularis obſtagii ſpecies. *num. XLVII.* videmus Vaſallos in homagiis excipere potuiſſe alios dominos. *Num. LIV.* ſolennis feudi oblati formula deprehenditur *n. LXI.* hominis ligii, feodi & caſamenti ligii mentionem facit. *Num. XCIV.* conſenſum Domini directi in donationem declarat, & *n. XCIX.* directi dominii meminit. Neque ſterilem hanc collectionem invenimus quoad JURIS CANONICI doctrinas uberius explicandas. Ita *Cent. I. n. XLV.* antiquum uſum tituli: DEI GRATIA ab Epiſcopis uſurpati oſtendit. *Num. LXII.* conſecrationem & dotationem Eccleſiæ recenſet. *Num. LXXXV.* inſtitutionem Abbatiæ. *Num. XCIV.* interdictum Clericis, ne criminalem juriſdictionem affectent. *Num. XCVIII.* diviſionem eccleſiæ *Cent. II. n. I.* Archipresbyteri honores. *Num. XXV.* formulam Treugæ. *Num.*

Digitized by Google

Num: XXXVI. ſententiam privatoriam contra, Eccleſiam Balmenſem latam. *Num. XLI.* Canonicorum obligationem bona propria relinquendi. *Num. XLVIII.* prohibitionem, ne pro officiis eccleſiaſticis aliquid ſolvatur. *Num. LVI.* privilegium monetandi, monaſterio conceſſum. *Num. LXXIII.* Epiſtolam Patriarchæ Hieroſolymitani ad capitulum Fructuarienſe datam. Denique JURIS PRIVATI diſciplina, inprimis quatenus ad origines legum & conſuetudinum aſcendit, varia inveniet obſervatione digna. Ita præſtariæ formula reperitur *Num. XXIII. Cent. I.* De dote, quæ *Vercheria* appellabatur, loquitur *n. XXXI.* Vocabulum conſuetudinis onera & præſtationes quandoque denotare, docet *n. XXXIV.* Graves execrationes donationibus adjectas recenſet *n. XL.* Venditionem ſecundum legem Salicam factam, *n. LXVI.* uſus ab uſufructu differentiam, *n. LXIX.* formulam antiqui teſtamenti nuncupativi, anno 1236. conditi, *n. LXXXI.* ſingularia de jure in ſervos, jurisdictione. Inprimis differentem jurium diverſorum uſum deprehendimus *Num. LXXXIV.* quo dicitur, *lege romana vivere*, quemadmodum *Num. XCIV.* invenimus, alios *lege Salica*, alios *lege Alamannorum* vixiſſe. *Num. XCVIII.* Conſilium jurisperitorum de an. 1244. exhibet. Invenimus *Cent. II. n. XV.* transactionem de non altius tollendo *n. XVIII.* privilegium immunitatis ab inquiſitione; quo loco etiam titulus Profeſſorum Juris Civilis occurrit: In *n. XIX.* ſingularia Proceſſus, & *n. XX.* veſtigia uſus juris romani, in transactionibus, ſubſtitutionibus, donationibus inter vivos, inveſtitura per annulum, poſitis manibus, & interveniente oſculo conſpicimus. *Num. XLIV.* memorabile exemplum revocatæ donationis, *n. XLVI.* ſervitiorum de prædiis præſtandorum determinationem. *Num. LXI.* peculiarem formulam fidejuſſionis. *Num. LXVII.* Teſtamentum Ermeſindæ. *Num. LXXXVIII.* Inquiſitionem & Proceſſum ſingularem. *Num. XCVI* clauſulas emtionis & venditionis notabiles memorant, & quæ ſunt alia multa, quæ ſe ſponte Lectori induſtrio ac curioſo objicient.

Digitized by Google

Habebunt etiam, qui inveſtigandis medii ævi verbis operam navant, quod ex hoc opuſculo vel diſcant, vel ad confirmandas harum vocum interpretationes annotent. Huc referas vocabula, quorum frequens fit mentio: *Alotum, Alodi, Portitor diplomatum, Aldionis, Aldiæ, Portinaticum, Paliſicatura, Tholonium, Ripaticum, Navium ligatura, Sacri Palatii ſcriptor, Beccharia, Verpitio, Condamina, Pedaticum, Concambium, Monibula, Dotalitia*, & ſimilia, quæ augendo Gloſſario juris antiqui inſervire egregie poterunt.

Et ita rem haud ingratam rerum harum æſtimatoribus nos feciſſe, perſuaſi ſumus, cum rariſſimum hoc opuſculum primo collectionis noſtræ loco poſuimus. Speramus, fore, ut ex adducto indice rerum, quas obiter tantum obſervavimus, utilitas operis conſtare poſſit, de cujus raritate multi hactenus conqueſti ſunt. Præferendæ multis modis nobis videntur ejusmodi collectiones vaſtiſſimis compilationibus Scriptorum Hiſtoricorumque medii ævi, in quibus ſæpius integra volumina pervolvenda eſſe deprehendimus, antequam unam aut alteram obſervationem attentione dignam invenire liceat. Et cum pleraque ab ancipiti privatorum, rudiorumque Monachorum fide privata dependeant, in publicis his documentis ingenuas rerum geſtarum probationes & certiſſima publici privatique juris veſtigia detegimus. Egregie de hiſtoria reque literaria merentur, qui vindicandis ab interitu pretioſiſſimis his antiquitatis monumentis operam ſuam impendunt: neque minori laude mactandi ſunt, qui illis explicandis inſudant, rerumque harum uſum ampliſſimum docent. Adjecit notas Editor breves, ſed accuratas, multaque doctrina refertas. Pinguior adhuc meſſis relicta eſt, cui vero nos immittere, temporis aliorumque negotiorum ratio haud permiſit.

BIBLIO-

Digitized by Google

BIBLIOTHECA
SEBUSIANA,

SIVE

VARIARUM CHARTARUM, DIPLOMATUM, FUNDATIONUM, PRIVILEGIORUM, DONATIONUM ET IMMUNITATUM, A SUMMIS PONTIFICIBUS, IMPERATORIBUS, REGIBUS, DUCIBUS, MARCHIONIBUS, COMITIBUS, ET PROCERIBUS; ECCLESIIS, MONASTERIIS ET ALIIS LOCIS AUT PERSONIS CONCESSARUM,

NUSQUAM ANTEA EDITARUM

MISCELLÆ CENTURIÆ II.

EX ARCHIVIS REGIIS, MONASTERIORUM TABULARIIS, ET CODICIBUS MMSS. AD HISTORIÆ LUCEM COLLEGIT, ET AD LOCORUM EXPLICATIONEM, ET FAMILIARUM ILLUSTRIUM COGNITIONEM, NOTIS ILLUSTRAVIT

SAMUEL GVICHENON,

DOMINUS DE PAINESSUYT,

REGI A CONSILIIS, FRANCIÆ, SABAUDIÆ, ET DUMBARUM HISTORIOGRAPHUS, EQUES AURATUS, ET COMES PALATINUS, SACRÆ RELIGIONIS SS. MAURITII ET LAZARI MILES.

Digitized by Google

Digitized by Google

AMICO LECTORI.

QUi Scriptorum monumentis aliquam apud poſteros famam comparare ſtudent, ad argumenta numquam tentata, animum meo judicio applicare debent. Ex alienis ſiquidem vigiliis gloriam aucupari odioſum perinde eſt ac iniquum; & ut omni prorſus laude indignus eſſet, quiſquis alienos ſibi labores adſcriberet, ita nulla Reipublicæ utilitas, ſi jam vulgata atque ab aliis dudum authoribus tractata proferret. Pauca hactenus edidi, ſed mea; jam novum Opus tibi offero, antiquitate venerandum, fide ſine omni controverſia commendandum, & amœna rerum varietate non injucundum. Quodque, ni fallor, non exiguam Hiſtoriæ lucem afferet. Id ante me nullus, quod ſciam, aggreſſus eſt. Si unum excipias apud Belgas eruditiſſimum *Aubertum Myræum*, & apud noſtrates numquam ſatis laudatum R. P. PHILIPPUM LABBE, *e Societate Jeſu*, magno rei literariæ emolumento & ornamento. Utinam e ſingulis Regni Provinciis prodirent plures, qui hujuſcemodi Hiſtoriæ rudera e tenebris eruerent. Meum interim hac in re aut conſilium, aut exemplum, æqui bonique Lector conſule; & tibi qualiſcumque hæc Opella ſi arriſerit, majorem expecta.

BIBLIO-

Digitized by Google

BIBLIOTHECÆ SEBUSIANÆ
CENTURIÆ I.

CAPITUM SERIES.

Fundatio Paterniaci Monaſterii	Cap. I.
Fundatio Abbatiæ Gollianæ	II.
Donatio Monaſterio Agaunenſi	III.
- - Prioratus de Condominio	IV.
Privilegium Eccleſiæ Durbonenſis	V.
Donatio a Guilelmo Comite Pontivi	VI.
Homagium Caſtri de Bracon Eccleſ. Agaun.	VII.
Fundatio Carthuſiæ Repauſatorii	VIII.
Homagium Bernardi de Turre	IX.
Confirmatio Donationis Eccleſ. Cluniac.	X.
Donatio Conradi Regis Monaſterio Clun.	XI.
Confirmatio Donationum Abbatiæ S. Loci a Domino de Sinemuro	XII.
Fundatio Abbatiæ S. Victoris Genevenſis	XIII.
Donatio Roſſelini Vicecomitis Cœnomanenſ.	XIV.
- - Spinæ de Corona Domini a Ludovico Rege Franc.	XV.
Formula antiqua manumiſſionis	XVI.
Bulla Aurea Conradi Roman. Regis	XVII.
Litera protectionis Monaſter. Liuncelli	XVIII.
Aliud Privilegium ejusdem Monaſterii	XIX.
Concordia inter Eccleſias Novalicenſem & Contaminenſ.	XX.
Donatio Rodolphi de Thoria Carthuſiæ Valonis	XXI.
Donatio Eccleſiæ Cluniac. a Joſſeranno Groſſo	XXII.
Conceſſio in feudum Alberico Comiti Matiscon. a Monaſterio Agaunenſi	XXIII.
Promiſſio Guilelmi & Roſtagni de Sabrano	XXIV.
Donatio Monaſterio Saviniacenſi	XXV.

Notitia

Notitia Verpitionis Monaſter. Gigniaci	Cap. XXVI.
- - Super morte Prioris de Cuſſy	XXVII.
- - Comitiſſæ Valentinenſis	XXVIII.
Donatio Monaſterio de Six	XXIX.
- - Odonis, Ducis Burgundiæ	XXX.
Homagium Amalrici Narbonæ Ducis Archiepiſcopo Ebredunenſi	XXXI.
Donatio Eldegardis, Comitiſſ. Gebennenſ.	XXXII.
Feudi præſtatio Amedei Domini de Gex Monaſterio S. Jurenſis	XXXIII.
Privilegium Carthuſiæ Sellionis	XXXIV.
Donatio Monaſterio Caſſaniæ	XXXV.
Litera Ludovici Regis, qua Prioratum Amberte ſub poteſtate ſua ponit	XXXVI.
Donatio Eccleſiæ Ynimontis	XXXVII.
Donatio Monaſterio Nantuaci	XXXVIII.
- - Artaldi, Comitis Lugdunenſis	XXXIX.
- - Eccleſiæ Peloniaci	XL.
Carta quædam de *Lege Salica*	XLI.
Venditio a Domino Nantonis Prioratui S. Petri de Belna	XLII.
Præſtatio feudi a Domino de Turre Eccleſ. Lugdun.	XLIII.
Præceptum Rodulphi Regis de Talveriis	XLIV.
Carta Raynaldi, Archiep. Lugdun. pro Eccl. Clun.	XLV.
Donatio Guilelmi Gebennenſ. Comitis	XLVI.
Verpitio Eccleſ. Cluniac. a Comite Matiscon.	XLVII.
Privileg. Monaſter. Portarum	XLVIII.
Fundatio Prioratus Campi-Muniti	XLIX.

Donatio Monaſt. Clun. ab Hug. Duc. Burgund. Cap. L.
- - Monaſt. Saviniac. a Comite Foreſii LI.
- - Eccleſiæ Brivatenſi a Dalmatio Vice-Comite LII.
Concordia Monaſter. Miratorii & Gigniaci LIII.
Notitia Ardutii, Epiſcop. Gebennenſ. LIV.
Præceptum Rodulphi Reg. pro Monaſt. Clun. LV.
Carta Protection. Carthuſiæ Majorevi LVI.
Decretum Conradi Reg. pro Eccleſ. Saviniac. LVII.
Donat. Monaſter. Saviniac. a Gauffredo Comite LVIII.
Carta Comitis Nivernenſis pro Eccleſ. Clun. LIX.
Donat. Monaſt. Saviniac. a Comite Foreſii LX.
Carta Domini Brancedun. pro Eccleſ. Clun. LXI.
Conſecratio S. Pauli de Botavilla LXII.
Donat. Domui Carthuſiæ S. Crucis LXIII.
Confirmat. Privil. Monaſter. S. Ragniberti LXIV.
Donat. Eccl. Clun. a Comitiſſa Nivernenſi LXV.
Carta Raynaudi, Epiſc. Matiscon. LXVI.
Donat. Eccleſ. Clun. a Comit. Clarimontis LXVII.
- - Monaſt. Talveriarum a Comit. Gebenn. LXVIII.
Teſtament. Humberti, Domini Montis lupelli LXIX.
Carta Comit. Matiſcon pro Eccl. Clun. LXX.
Litera Compoſit. inter Comit. Matiscon. & Eccleſ. Cluniacenſem LXXI.
Erectio Comitatus Matiscon. in Pariatum LXXII.
Donat. Monaſter. Clun. a Comit. Monſtrolienſ. LXXIII.
Donat. Henrici IV. Imp. Monaſter. Fructuarienſ. LXXIV.
- - Comitis Metenſis, Monaſt. S. Benigni LXXV.
Privileg. Civitat. Savonæ LXXVI.

Dona-

Digitized by Google

Donatio Leotaldi, Comit. Matiſcon.	Cap. LXXVII.
Pactum inter Andream Delfinum Viennenſem & Archiepiſcop. Ebredun.	LXXVIII.
Carta Joannis, Comitis Cabilonenſ.	LXXIX.
Donat. Roberti, Francorum Regis	LXXX.
Litera Protection. a Friderico Imper.	LXXXI.
Donat. Epiſc. Gebennenſ. Monaſt. S. Eugendi	LXXXII.
- - Hugonis & Lotharii Italiæ Regum	LXXXIII.
- - Monaſterio Novalicenſi	LXXXIV.
Notitia fundationis Abbatiæ Intermontium	LXXXV.
Donat. Marchionatus Montisferrati a Theod. Paleol.	LXXXVI.
- - Othonis III. Imp. Epiſc. Taurinenſi	LXXXVII.
Donat. Guygonis, Comit. Albonenſis	LXXXVIII.
Venditio Inſulæ Cretenſis Duci Venetiarum	LXXXIX.
Immunitas Pedagii Carthuſiæ Durbonis	XC.
Donat. Monaſter. S. Benigni Divionenſ.	XCI.
- - Friderici II. Imperat. Guil. March. Montiſf.	XCII.
Carta Conradi Imp. pro Epiſc. Taurinenſi	XCIII.
Donat. Monaſter. Graſſani	XCIV.
Donat. Guilelmo Archiep. Ebredun.	XCV.
Conceſſio Henrici Imp. Bonifac. March. Montiſf.	XCVI.
Notitia Fundat. Abbatiæ Grandisvallis.	XCVII.
Charta de ſubmiſſione Abbatiæ Grandisvall.	XCVIII.
Donat. confirmatio Monaſter. Cariloci	XCIX.
Charta Berengarii & Adalberti Italiæ Regum, pro Monaſter. de Azano	C.

Digitized by Google

BIBLIOTHECÆ SEBUSIANÆ
Centuria II.

Donatio Vuidonis, Epiſc. Genevenſ. Monaſt. S. Eugendi Cap. I.
Inveſtitura Comitatus Forcalcherienſ. a Frid. Ænobarbo. II.
Donat. Otthonis Comitis, Arduini Italiæ Regis filii, Eccl. S. Syri Papienſis III.
- - Leolaldi, Comitis Matisconenſis IV.
Notitia Conradi, Burgundiæ Regis V.
Donat. Ogerii, Epiſcop. Eporedienſis VI.
Verpitio Eccleſ. Matiscon. a Bernardo Groſſo VII.
Donat. Eccleſ. Cluniac. a Comit. Burgund. VIII.
Litera Aymonis, Comitis Matiscon. IX.
Donat. Ardoini Italiæ Regis, Eccl. Papienſ. X.
Donat. Guidonis Domini de Serceyo XI.
- - Humberti, Epiſcopi Gebennenſ. XII.
Fundatio Carthuſiæ Porverii XIII.
Confirmatio fundationis Pomerii XIV.
Carta Guilelmi, Lugdun. Decani XV.
Donat. Stephani Domini de Villars XVI.
Carta Hugonis Ducis Burgund. XVII.
Privileg. Humberti Dalphini Viennenſ. XVIII.
Notitia Verpitionis Dominorum Luſeiaci & Caſtellionis jurium omnium &c. XIX.
Donat. Stephani, Domini de Villars & Bernardi XX.
- - Conradi, Burgund. Reg. Monaſt. Clun. XXI.
Transactio inter Humbertum Dalphinum Viennenſ. & Philippum de Vienna XXII.

Donatio

Donatio Humberti Dalphini Viennenſ.	Cap. XXIII.
Obedientiæ præſtatio a Prioriſſa Bruerię	XXIV.
Carta Treugarum inter Dominum de Thoire & de Villars, & Priorem Nantuaci	XXV.
Conceſſio Abbatis Ambroniaci	XXVI.
Donat. Guilelm. Archiepiſc. Biſuntini	XXVII.
Fundatio Abbatiæ de Six	XXVIII.
Carta Odonis Ducis Burgundiæ	XXIX.
Donat. Otthonis Guilelmi Comitis Monaſterio S. Benigni Fructuarienſ.	XXX.
Bulla A. Caroli IV. Imperatoris in gratiam Epiſcopi Ebredunenſis	XXXI.
Donatio Leotaldi, Comitis Matiscon.	XXXII.
Confirmatio Alexandri Papæ Privilegiorum Abbatiæ S. Benigni Fructuarienſ.	XXXIII.
Sententia Delegatorum Papæ	XXXIV.
Confirmatio Friderici Ænobarbi Imp.	XXXV.
Carta Humberti Biſuntin. Archiep.	XXXVI.
Donat. Ferrandi Caſtelle Regis	XXXVII.
Privileg. Domini Anthon. Ordini	XXXVIII.
- - Henrici Imper. Monaſt. Fructuar.	XXXIX.
Donat. Matildis, Comitiſſæ Nivernenſis	XL.
Privilegium Leonis Papæ	XLI.
Donatio Hugonis, Ducis Burgundiæ	XLII.
- - Hugonis de Calomonte	XLIII.
- - Matildis, Comitiſſæ Tornodori	XLIV.
Immunitas Pedagii Girardi, Comit. Matiscon.	XLV.

Donatio Aymonis Comitis Genevenſ. Cap. XLVI.
Conventiones & Pacta inter Epiſcopum Genevenſ. & Dominum de Gex XLVII.
Carta Guilelmi & Girardi Comit. Matiscon. XLVIII.
Bulla Celeſtini III. confirmatoria XLIX.
Carta Raymundi, Comitis S. Egidii L.
Pacta inter Hugonem Abbat. Clun. &c. LI.
Conceſſio Amedei, Comitis Genevenſ. LII.
Compoſitio inter Eccleſ. Cluniac. & Joſſerann. LIII.
Pacta inter Girinum Abbatem & Steph. de Villars LIV.
Conceſſio Ulrici de Villars, Decani Lugdun. LV.
Privileg. Beatric. Comitiſſæ Cabilon. LVI.
Compoſitio inter Cartuſiam Portarum &c. LVII.
Carta Humberti, Domini Montis lupelli &c. LVIII.
Pactum inter Eccleſ. Clun. & Dominam Branceduni LIX.
Impignoratio Caſtri de Roccataills LX.
Homagium Eccleſiæ Biſuntinæ LXI.
Pacta inter Raynaldum Baugiaci Dynaſtam, & Aymonem Epiſcop. Matiscon. LXII.
Sententia Amedei, Lugdun. Archiep. LXIII.
Litera Bertholdi, Zeringiæ Ducis LXIV.
Carta Joannis, Comitis Burgundiæ LXV.
Donatio Hugonis, Comitis Viennæ LXVI.
Teſtament. Ermeſindæ, Comitiſſæ Melgorii LXVII.
Donatio Eccleſ. Stephani Biſuntini &c. LXVIII.
Donat. Eccleſiæ Lemenci a Comite Genevenſi LXIX.

Litera

Digitized by Google

Litera Regis Arragonum Vicario & Civitati Maſſilienſi ſcripta Cap. LXX.
Carta Boſonis Regis Monaſterio Cariloci LXXI.
Donatio Monaſterio Fructuar. ab Otthone Wilelmo, Burgundiæ Comite LXXII.
Epiſtola Patriarchæ Hieroſolymitani, Abbati Fructuarienſi LXXIII.
Confirmatio Privilegiorum & Donationum Monaſterii S. Benigni Fructuar. ab Henrico II. Imp. LXXIV.
Privilegium Conradi Imp. Monaſterio Fructuarienſi LXXV.
Donatio Henrici IV. Romanorum Regis, Monaſterio Fructuarienſi LXXVI.
Epiſtola Agnetis Imperatricis Abbati Fructuarienſi LXXVII.
Privilegium Henrici Imperat. Monaſterio S. Benigni Fructuarienſi LXXVIII.
Carta Lingonenſis Epiſcopi, qua Monaſterium Fructuarienſe ab ejus ſubjectione liberat LXXIX.
Privilegium Friderici, Romanorum Regis, Monaſterio Paterniaci LXXX.
Permutatio inter Wilelmum Abbatem S. Benigni Divionenſis, & Gerardum Comitem LXXXI.
Donatio Conradi Regis Burgundiæ, Monaſterio Paterniaci LXXXII.
Donatio Monaſterio Paterniaci a Bertolfo Zering. Duce LXXXIII.
Diploma Friderici Imp. pro Monaſter. Paterniaci LXXXIV.
Notitia Prioratus Inimontis LXXXV.

Litera

Litera Henrici Romanorum Regis, quo Aymarum a Pictavia, Comitem Valentinenſem, Vicarium Imperii conſtituit in Regnis Arelatenſi & Viennenſi LXXXVI.
Donatio Otthonis Imp. Aymon. Comiti LXXXVII.
Diploma Caroli Roman. Regis LXXXVIII.
Donatio Othonis Imp. Manfredo Marchioni LXXXIX.
Donatio Arduini Regis, Eccleſ. Vercellenſ. XC.
Bulla Adriani Papæ confirmatoria Privileg. & Jurium Monaſter. Agaunenſ. XCI.
Privileg. a Comite Foreſii Monaſt. Caſſan. conceſſum XCII.
Verpitio Hugonis de Thoria, Eccl. Matiscon. XCIII.
Charta Fratrum de Thoria Eccleſ. Matiscon. XCIV.
Epiſtola Hugonis Domini Baugiaci XCV.
Venditio Domini Montislupelli, Abbatiæ Inſulæ Barbaræ XCVI.
Immunitas Pedagii & Leydæ a Domino de Villars XCVII.
Litera Compromiſſi inter Priorem Nantuaci & Stephan. Dominum de Thoire XCVIII.
Litera Guilelmi Palatini Militis XCIX.
Litera Concordiæ inter Priorem Nantuaci & Humbertum Dominum de Thoire & de Villars C.

BIBLIO-

BIBLIOTHECÆ SEBUSIANÆ
CENTURIA I.
I.
Fundatio Paterniaci Monaſterii, a BERTA *Regina Burgundiæ.*

Ex vetuſto Eccleſiæ Patern. Cartulario.

CUnctis ſane conſiderantibus patet, quod ita Dei diſpenſatio quibusque divitibus conſulit, ut ex rebus tranſitoriis, quæ poſſidentur, ſi eis bene utantur, ſemper manſura præmia valeant promereri; quod videlicet divinus ſermo poſſibile oſtendens, atque ad hoc omnino ſuccedens dicit: Divitiæ Viri, redemptio animæ ejus; quod ego BERTHA, (a) dono Dei Regina, ſollicite perpendens, ac propriæ ſaluti, dum licitum eſt, providere cupiens, ratum, imo perneceſſarium duxi, ut ex rebus, quæ temporaliter mihi collatæ ſunt, ad emolumentum animæ meæ aliquantulum impertiar, quippe quæ adeo in his videor excreviſſe, ne fortaſſis totum ad curam corporis, in ſupremo redarguar expendiſſe, quin potius cum ſuprema ſors cuncta rapuerit, quiddam mihi gaudeam reſervaſſe. Quæ ſcilicet cauſa nulla ſpecie vel modo congruentibus poſſe fieri videtur, niſi ut juxta præceptum ad tempus, ſed continue peragatur, monaſtica profeſſione congregatos ex propriis ſum- Anno Christi 966.

(a) *Bertha, dono Dei Regina*] tunc Vidua Rodolphi II. Burgundiæ, Alemaniæ, Provinciæ & Italiæ Regis, & Burchardi Alemaniæ Ducis filia.

Digitized by Google

ſumtibus ſuſtentem, ea ſiquidem fide, ea ſpe, ut, quamvis ipſa contemnere nequeam; tamen cum mundi contemptores, quos juſtos credo, ſuſceperim, juſtorum mercedem accipiam. Igitur omnibus in unitate fidei viventibus, Chriſtique miſericordiam præſtolantibus, notum ſit, quod ob amorem Dei & Salvatoris JEſu Chriſti, res juris mei, Sanctæ Mariæ videlicet, & Sancto Petro, & Sancto Joanni, & Sancto Mauritio, cum ſociis ſuis, & illis Sanctis, qui in iſto loco conquieſcunt, qui dicitur PATERNIACA, (b) & conſentientibus filiis meis, CONRADO *glorioſiſſimo Rege*, nec non & RODOLPHO (c) *Duce*, de propria trado dominatione, ipſum oppidum PATERNIACUM, cum omnibus rebus ad ipſum pertinentibus, mancipiis utriusque ſexus, cum prædiis ſuis, quorum nomina hic tenentur ſcripta (excepto uno prato ad domum Petri) campis, pratis, ſylvis, aquis, aquarum decurſibus, farinariis, exitibus & regreſſibus, cultis & incultis, unam Eccleſiam ad carcerem cum appenditiis ſuis, & aliam Eccleſiam ad Pulliacum, tertiam, id eſt, Capellam ad Pibiiſin, cum omnibus illuc pertinentibus, & tale prædium, quale acquiſivi in *Votone, & Vocilino, & Itiſpurga,* & filiis ejus, cum omni integritate. Dono Sanctæ Mariæ & ſupra dictis Sanctis: Ego BERTHA, *gratia Dei Regina;* Primum pro amore Dei: Deinde pro anima Domini mei, Beati RODULPHI *Regis,* & pro

(b) *Paterniaca*] vulgo *Payerne*, Gallis; Helvetico vero idiotiſmo *Peterlinguen.* Vicus eſt Monaſterio celebris in pago Bernenſi, medio fere itinere inter Friburgum & Eburodunum.

(c) *Rodolpho Duci*] qui de Regibus Burgundiæ Transjuranæ hactenus ſcripſerunt. *Rodulphum* hunc inter Rodulphi II. Regis & Berthæ liberos non adſcribunt. Nullam enim de eo fecit mentionem Andreas Quercetanus *in Hiſt. Burgund lib. 2.* accuratiſſimus alioqui ſcriptor; ſed qualis iſtius Principis fuerit exitus, nobis nondum liquet.

pro anima Filii mei BURCHARDI (d) Epiſcopi, & eorum quorum debitores ſumus, & OTHONIS (e) *glorioſisſimi Regis*, nec non pro anima filiæ meæ, *Reginæ* ADHELEIDÆ, & filiorum meorum CONRADI *ſerenisſimi Regis*, (f) & RODOLPHI *Ducis*, & pro me ipſa, & pro ſalute animarum noſtrarum & corporum, & omnium, qui propter amorem Domini iſtud templum Dei gubernare aut augere volunt, pro ſtatu etiam & integritate Catholicæ Religionis eo ſiquidem dono tenore, ut in honore Sanctæ Mariæ & ſupra dictorum Sanctorum Monaſterium regulare conſtruatur, *ibique Monachi juxta Regulam Beati Benedicti viventes* congregentur, qui ipſas res perenni tempore poſſideant, teneant, habeant, atque ordinent; ita duntaxat, ut ibi venerabile orationis domicilium votis ac ſupplicationibus fideliter frequentetur, converſatioque cœleſtis omni deſiderio & ardore intimo perquiratur & expectetur; ſedulæ quoque orationes, poſtulationes atque obſecrationes Domino dirigantur, tam pro me, quam pro omnibus, ſicut eorum memoria ſupra digeſta eſt; ſintque ipſi Monachi, cum omnibus præſcriptis rebus, ſub poteſtate & dominatione MAIOLI (g) *Abbatis*, qui, quamdiu vixerit, ſecundum ſuum ſcire & poſſe eis regulariter præſideat, poſt diſceſſum vero ejus, habeant iidem Monachi poteſtatem & ſcientiam quemcunque ſui Ordinis, ſecundum placi-

(d) *Burchardi Epiſcopi*] ſcilicet Lauſanenſis, & poſtea Archiepiſcopi Lugdunenſis.

(e) *Othonis glorioſisſimi Regis*] ejus generi, qui ſecundis nuptiis Adelaidem, ejusdem Reginæ Berthæ filiam, Lotharii Regis Italiæ Viduam, ſibi conjunxerat, cujus Adelaidis proxime meminit.

(f) *Conradi ſereniſſimi Regis*] cognomento Pacifici, qui obiit Anno 993. ſepultus Agauni.

(g) *Majoli Abbatis*] Cluniacenſis, quamdiu Paterniacum Monaſterium floruit; Monachi ſub Regula Divi Benedicti Ordinis Cluniacenſis vixere, Abbatibus Cluniacenſibus per omnia ſubmiſſi.

Digitized by Google

placitum Dei atque Regulam Sancti Benedicti promulgatam, eligere maluerint Abbatem atque rectorem, ita, ut nec alicujus poteſtatis contradictione contra religioſam dictionem impediantur, per quinquennium autem Romæ X. ſolidos ad limina Apoſtolorum ad concinnanda luminaria præfati Monachi perſolvant: habeantque tuitionem ipſorum Apoſtolorum, atque Romani Pontificis defenſionem, & ipſi Monachi corde & animo pleno prælibatum locum pro poſſe & noſſe ſuo ædificent. Volumus etiam, ut noſtris ſucceſſorumque noſtrorum temporibus, prout opportunitas atque poſſibilitas ejusdem loci ſeſe dederit, quotidie miſericordiæ opera pauperibus, indigentibus, advenis, peregrinantibus ſumma intentione ibidem exhibeantur: Placuit etiam huic teſtamento inſeri, & ab hac die noſtro, nec parentum noſtrorum, nec faſtibus regiæ magnitudinis, nec cujuslibet terrenæ poteſtatis jugo ſubjiciantur Monachi ibidem congregati. Nec aliquis Principum ſecularium, non Comes quisquam, nec Epiſcopus quilibet, nec Pontifex ſupra dictæ Sedis Romanæ, per Deum & in Deum, omnesque Sanctos ejus, & tremendi Judicii diem conteſtor, deprecor, invadat res ipſorum, Dei ſervorum non diſtrahat, non minuat, non præcambiat, non beneficiet alicui, non aliquem Prælatum ſuper eos contra eorum voluntatem conſtituat, & ut hoc nefas omnibus temerariis ac improbis arctius inhibeatur; adhuc idem inculcans ſubjungo, & hoc obſecro vos, o Sancti Apoſtoli & glorioſi Principes terræ, Petre & Paule, & te Pontifex Pontificum Apoſtolicæ Sedis, ut per auctoritatem Canonicam & Apoſtolicam, quam a Domino accepiſti, alienes a conſortio Sanctæ Dei Eccleſiæ & ſempiternæ vitæ prædones, & invaſores atque diſtractores harum rerum, quas Sanctæ Mariæ & prædictis Sanctis hilari mente promtaque voluntate dono, ſitisque tutores & defenſores jam dicti loci *Paterniaci*, & ſervorum Dei ibi commorantium, ac commanentium, harum quoque omni-

omnium facultatum propter eleemoſynam & clementiam ac miſericordiam piiſſimi Redemptoris noſtri; ſi quis forte, (quod abſit, & quod per Dei miſericordiam & patrocinia Apoſtolorum evenire non æſtimo) vel ex propinquis aut extraneis, vel ex qualibet conditione vel poteſtate, qualicumque calliditate contra hoc teſtamentum, quod pro Dei amore omnipotentis, ac veneratione Sanctæ Mariæ Matris Domini & prædictorum ſanctorum fieri ſancivi, aliquam concuſſionem inferre tentaverit: Primum quidem iram Dei omnipotentis incurrat, auferatque Deus partem illius de terra viventium, fiatque pars illius cum his, qui dixerunt Domino Deo, recede a nobis, & cum Dathan & Abyron, quos terra aperto ore deglutivit, & vivos infernus abſorbuit, perpetuam incurrat damnationem: Socius quoque Judæ, Domini proditoris, effectus, æternis cruciatibus retruſus teneatur, & ne ei in præſenti ſæculo humanis oculis impune tranſire videatur; in corpore quidem proprio futuræ damnationis tormenta experiatur, ſortitus duplicem direptionem cum Heliodoro & Antiocho, quorum alter acris verberibus coërcitus, vix ſemivivus evaſit, alter vero ſuperno nutu percuſſus, putreſcentibus membris, & ſcatentibus vermibus miſerrime interiit, cæteriſque ſacrilegis, qui ærarium domus Dei temerare præſumpſerunt, particeps exiſtat, habeatque, niſi reſipuerit, Archilavum totius Monarchiæ Eccleſiarum, juncto ſibi Sancto Paulo, obſtitorem, & ameni Paradiſi aditus contradictorem, quos ſi vellet habere, poterat per ſe piiſſimos interceſſores; ſecundum mundialem vero legem his, quibus intulerit calumniam, centum auri libras, cogente judiciaria poteſtate, compulſus exſolvat; & congreſſio illius fruſtrata nullum omnino obtineat effectum, ſed hujus firmitas teſtamenti omni authoritate ſuffulta ſemper inviolata ac inconcuſſa permaneat, cum omni ſtipulatione ſubnixa. *Signum Dominæ* BERTHÆ Reginæ, quæ hanc traditionem cum manibus

D 3 filio-

Digitized by Google

filiorum ſuorum, CONRADI *Regis*, ac RODOLPHI *Ducis*, ſubtus confirmavit. Signum CONRADI (h) filii Regis. Signum HENRICI *Comitis*. Signum ELEARDI. Signum GAUSSENI. Signum ABO. Signum WANDALRICI. Signum AZZONIS. Signum HIVONIS. Signum BURÆWALDI. Signum ENGESCALDI. Signum MERII. Signum RUDOLPHI Comitis. Signum ANSHELMI. Signum ADELGOHHI. Signum WORADI. Signum BORNO.

Ego SUNFHARDUS hanc cartam ad vicem PONCHONI *Cancellarii* ſcripſi. Data in die Martis *Kal. Aprilis, Anno* (i) *XXIV.* regnante CONRADO Rege. Actum vero LAUSONA (k) Civitate.

II. *Fun-*

(h) *Signum Conradi Filii Regis*] incognitus prorſus Hiſtoricis noſtris fuit Conradi Regis hic filius, qui tamen jam provecta erat ætate, cum huic Tabulæ ſignum appoſuerit. Obiter hic notandum eſt, graviter hallucinatos ſcriptores, qui Rodolpho II. Regi & Berthæ Reginæ Bozonem filium, Arelatenſem Comitem, tribuunt; hujus ſiquidem, ſicut & aliorum liberorum, Bertha meminiſſet.

(i) *Anno XXIV. regnante Conrado Rege*] id eſt, Anno Chriſti 966. licet enim Rodulphus II. ejus Pater obierit Anno 937. nihilominus anni Regni Conradi ab ejus tantum Burgundiæ tranquilla poſſeſſione computantur, quod Anno 939. evenit, reſtituto ei ab Othone Imperatore, ſororio, Burgundiæ Regno, quod prius occuparat.

(k) *Lauſana Civitate*] Lauſanam dicimus, hodie civitas Latobrigum ſive Vaudenſium caput, ubi Epiſcopalis ſedes Bernenſibus jam ſubeſt, quæ olim Sereniſſimos Sabaudiæ Duces tanquam Principes ſuos agnovit. Epiſcopus *Friburgi* Helvetiorum degit, cujus nominationem Sabaudiæ Dux hucusque ſibi vendicavit.

Digitized by Google

II.

Fundatio Abbatiæ Collianæ.

Ex Avtographo Eccleſiæ Abundantiæ, quem nobis perhumaniter exhibuit R. P. Hilarius a S. Joanne Baptiſta, Julienſis, ejusdem Monaſterii Prior.

SIcut tempus nunquam eſt ſtabile, ſed ſemper defluit, ita quoque cum ipſo tempore temporalia fluunt, & defluunt actiones; ergo ne labatur cum tempore, quod modo geritur, confirmari debet & voce teſtium, & teſtimonio literarum. Sciant ergo præſentes & poſteri, quod ego GALCHERUS (a) *Salinenſis Dominus*, laudante MORA (b) *Matre mea Comitiſſa*, ad conſtruendam Abbatiam in eo loco, in quo prius erat Prioratus, qui modo *Bellilocus* (c) dicitur, conceſſi Deo & Domui *Abundantiæ* (d) pro redemptione animæ meæ & Prædeceſſorum meorum viculum illum, qui *Villare* appellatur, cum omnibus appenditiis ſuis & pertinentiis libere & ſine omni tallia, & exactione, & indemnitate, hoc tantum mihi in præ- 1218.

(a) *Galcherus, Salinenſis Dominus*] Filius Girardi, Comitis Viennæ & Matisconenſis, Salinarum Domini, cujus Anniverſarium in Monaſterio Abundantiæ ad 12. Auguſti celebratur.

(b) *Laudante Mora, Matre mea Comitiſſa*] quæ proprio nomine *Guigona* vocabatur, Filia & Hæres Galtherii ſive Galcherii, Salinenſis Dynaſtæ; plura ejus acta nuperrime publicavit eruditiſſimus R. P. PETRUS FRANCISCUS CHIFFLETIUS, e Societate Jeſu, in Diatriba ſua *de Beatrice Cabilonenſi.*

(c) *Bellilocus*] antiquum nomen eſt loci, in quo Abbatia conſtructa fuit, quæ hodie *Gollia* nuncupatur, vulgo *Noſtre Dame de Goille*, in Diœceſi Biſuntina Ordinis Divi Auguſtini, juxta Salini oppidum.

(d) *Domui Abundantiæ*] Monaſterium eſt in Chablaſio, juxta Dranciam Fluvium, olim Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini, ab Abbatia celebri S. Mauritii Agaunenſis dependens, nunc Congregationis Julienſis.

prætaxati Villaris donatione retinui, quod ſi quis in memorato Villari reſidens in aliquo enormi delicto reprehenſus fuerit, videlicet in proditione vel homicidio, Ego in corpore jus habebo pro juſtitia facienda; pecunia vero, ſi qua ſuperfuerit, tota in jus Abbatis & fratrum ibidem reſidentium cedet; Abbas vero Abundantiæ de conſilio fratrum ſuorum conceſſit Abbatiæ ædificandæ, quicquid circa Caſtrum *Jurenſe* (e) habebat in redditibus, & vineis, & ædificiis, & quibuscumque aliis, hoc tantum excepto, quod tres Bulliones ad uſum Domus Abundantiæ ſingulis annis percipiendos ſine omni impenſa & miſſione aliqua, in manſo *Nicolai Vernel* ſibi retinuit, in Burgo videlicet Imperatoris; hujus rei teſtes ſunt: Ego *Galcherus*, Salinenſis, & *Mora* mater mea Comitiſſa, *Rogerius* Dominus de Munnet, *Humbertus de Laix* & *Petrus* frater ejus, *Richardus de Uſyé*, Præpoſitus Salinis, Dei filius mercator, *Borno Serjant*, *Arduinus* Actor, *Sibuns* filius Berengarii. Ex parte Fratrum Abundantiæ; teſtes ſunt *Willelmus* Abbas, *Wilelmus* Prior de Pellionay, *Humbertus de Vayſi* Canonicus, *Hugo de Sabinis* Canonicus, *Stephanus Serjant* Presbyter, *Wilelmus* Ruffus matricularius S. Anatholii, *Petrus* Magiſter de Ponte.

III. *Do-*

(e) *Caſtrum Jurenſe*] Caſtrum de Joux, apud Sequanos. ANDREAS QUERCETANUS *Lib. 3. Cap 64. Part. 2. Cap. 61. in Hiſtor. Burg.* & JO. JACOB. CHIFFLETIUS in *Veſont*: viri toto orbe notiſſimi ajunt, Abbatiam Gollianam fundatam fuiſſe a *Galchero* Salinenſi Domino, Anno 1219. quod ſtare non poteſt; Guillelmus ſiquidem Abbas Abundantiæ, de cujus conſenſu hoc actum eſt, vixit ab Anno 1198. usque ad Annum 1218. quo obiit, & Succeſſorem habuit Albertum. *Hiſt. Can. Regul. Lib. 2. Cap. 33. n. 9. Gall. Chriſt.* Itaque fundatio hæc referri neceſſario debet potius ad Annum 1218. quam ad Annum 1219. GABRIEL PENNOTUS eam male Anno 1200. adſcribit, & SAMMARTHANI *fratres* perperam Anno 1207.

Digitized by Google

III.

Donatio Monaſterio Agaunenſi a RODOLPHO *Burgundiæ Rege.*

Ex Cancellaria Agaunenſi.

In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.

RODULPHUS REX.(a) Maximum Regni noſtri augere cre- 993.
dimus munimentum, ſi conceſſionis noſtræ munificentia S.S.Eccleſiæ ædibus aliquid concedimus,atqueEccleſiaſticam indigentiam noſtræ opis propenſius fugamus auxilio, plurimum nobis ad æternam beatitudinem, Regnique noſtri ſtabilitatem prodeſſe confidimus, & ad commodum procul dubio credimus: Omnium itaque fidelium noſtrorum,tam præſentium, quam futurorum certitudo comperiat, quoniam Venerabilis Archiepiſcopus Lugdunenſis, qui eſt *Agaunenſis Abbatiæ* (b) Præpoſitus, noſtrum adiens proſpectum rogavit ſuppliciter, ut pro anima *Sereniſſimi Patris noſtri* CONRADI, ſicut idem diſtribuerat, *Pulliacum* (c) Villam in eadem Abbatia Deo famulantibus, per præceptum concederemus, quod in modi-

E co

(a) *Rodulphus Rex*] Burgundiæ Transjuranæ ejus nominis tertius, ignavus ab omnibus Hiſtoricis cognominatus, Conradi Regis filius.

(b) *Agaunenſis Eccleſiæ Præpoſitus*] Archiepiſcopus Lugdunenſis, de quo Charta loquitur: Burchardus eſt Rodolphi II. Regis filius: qui & Agaunenſis Eccleſiæ Præpoſitus erat. Eſt autem *Agaunum* Monaſterium celeberrimum, juxta Rhodanum in confinio Chablaſii, ſub Sedunenſi Epiſcopo, vulgo *S. Maurice en Chablais. In Chronico.* De quo plura alibi: Marius Aventicenſis, Acaunum vocat.

(c) *Pulliacum*] Vicus eſt in Vantuatibus ad Lacum Lemanum, vulgo *Pouilly.*

co juſſimus adnotare in jam dicta Villa, quæ dare potuimus juſte & legaliter, cum ſuis omnibus appenditiis, regia & præcepti authoritate *S. Mauritio* ſuæ legioni & Canonicis æternaliter diſtributa corroborando confirmavimus; ut autem nemo futuris temporibus immutare poſſit ullo modo hoc præceptum erga Eccleſiam & Canonicos pro divinæ remunerationis amore, & animæ patris noſtri redemptione, inſuper etiam, ut æternam ſibi vigoris firmitatem defendat, & a cœtu Sanctæ Dei Eccleſiæ inviolabiliter conſervetur, hoc donativum ſummæ pietatis gratia peractum, hanc præceptalem fieri præcepimus ſcripturam, & manu propria corroboravimus, hoc & addens, ut, quicumque hoc inviolabiliter conſervare ſtuduerit, benedictionem & gratiam conſequi mereatur. Si quis autem in pejus mutare tentaverit, divinum incurrat periculum, in die Judicii a Chriſto alienus habeatur. *Signum* Sereniſſimi Domini noſtri Regis.

• P. ANSELMUS, almi Mauritii & Domini Regis *Cancellarius*, unius notas implevit Anno Incarnationis Domini DCCCC LXXXXIII regni vero Domini Regis I. (d) Acta in *Siazo* prid. Kal. April.

IV. *Do-*

(d) *Regni vero Domini Regis I.*] Si Annus Domini 993. quo donatio hæc ſubſcripta eſt, primus fuerit Regni Rodulphi III. ut nobis patet, HERMANNUS CONTRACTUS & QUERCETANUS *in Chron. Hiſt. Burg. lib. 2 c. 24.* graviter errarunt, qui Conradum Regem, Rodulphi hujus patrem, diem obiiſſe Anno 994. ſcripſerunt, quia jam Rodulphus ejus Filius regnabat Anno 993. idcirco Conradum deceſſiſſe paulo ante, & eodem Anno 993. dicendum eſt.

Digitized by Google

IV.

Donatio Prioratus de Condominio Abbati Cluniacenſi.

Ex Cartulario Eccleſiæ Cluniacenſis.

GUIDO, (a) Dei gratia Genevenſis Epiſcopus, venerabili Domino & amico noſtro PONTIO, *Cluniaci Abbati,* ejusque ſucceſſoribus in perpetuum *Eccleſiam de Condominio,* (b) cum omnibus appenditiis ſuis, pro anima mea & pro animabus anteceſſorum meorum, Eccleſiæ Cluniaci concedimus, laudamus & confirmamus; ea tamen conditione, ut *Rodulfus* Nepos meus, & illi, qui habuerint principalem dominationem in Caſtro *Fulciniaci,* ſemper habeant *Adoocatiam* (c) *Condominii* & rerum pertinentium ad eam; & ſi pro qualicumque injuria, controverſia exorta fuerit inter homines illius, qui fuerit Dominus de *Fulniaco,* & Monachorum habitantium homines apud Condominium, clamor non ad aliam qualemcumque perſonam ſæcularem deferatur, niſi ad Dominum de Fulniaco, & ad Priorem Condominii, ita ut Juſtitia fiat apud Fulniacum, aut apud Condominium. Hanc donationem facio Deo & ſanctis Apoſtolis Petro & Paulo, & Cluniacenſi Monaſterio, pro anima Patris mei *Lodoici,* & Avi mei *Ermerardi,* & *Wilelmi* Fratris mei, & Filiorum ejus *Rodulfi, Lodoci, Raymondi,* & Epiſcoporum *Gerardi* Lauſanenſis, & *Amedei* Maurianenſis Nepotum meorum, & Matris eorum *Utiliæ,* & Matris *Tetbergæ,* & omnium, qui nati ſunt, vel naſci- 1119.

E 2 turi

(a) *Guido Genevenſis Epiſcopus*] e familia Fulciniaca, vulgo de Foucigny oriundus, quem PETRUS, *venerabilis Abbas Cluniacenſis, Lib. I. de Miracul. cap. 25.* magnæ, ait, fuiſſe ſecundum ſæculum Nobilitatis,

(b) *Eccleſiam de Condominio*] alias de Contamina, de Contamine, in pago Gebennenſi juxta Arvam fluvium.

(c) *Advocatiam*] id eſt, protectionem & defenſionem.

Digitized by Google

turi de noſtra progenie & generatione *S. Aymonis*, Comitis Genevenſis, *S. Wilelmi*, Filii ejus. *S. Wilelmi Dardelini*, *S. Gauceranni*, Canonici, *S. Richardi*, Vicedomini Militis, conſervantibus hæc, pax conſervetur æterna; ſi quis autem, quod abſit, contra hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens temere venire tentaverit; donec ad ſatisfactionem veniat, alienus a corpore & ſanguine Domini fiat. Feci autem hoc donum, ego GUIDO, Epiſcopus Genevenſis, publice in Civitate Gebenna, in Clauſtro B. Petri, aſtantibus & collaudantibus Canonicis meis *Alberico*, Decano, & *Wilberto*, Priore de Condominio, & *Pontio*, Capellano, nec non *Wilelmo*, ejusque filio *Rudolpho*, *Girardo*, Lauſanenſi Epiſcopo, & *Amedeo* Maurianenſi Epiſcopo, & multis aliis tam Clericis quam Laïcis. Præſente quoque Domino Catalaunenſi Epiſcopo, qui cum prædicto Abbate, pro pace Regni & Sacerdotii ad Dominum Imperatorem HENRICUM proficiſcebantur. Actum *Anno Dominicæ Incarnationis* M. CXIX. II. *menſis Septembris*.

V.

Privilegium Eccleſiæ Durbonenſis.

Ex Cartulario Durbonenſi nobis *a Clariſſimo Viro, Domino* JO. BOUCHETO, tranſmiſſum.

1281. EGo TAILLAFERS, (a) Viennenſium & Albonenſium Comes, (b) pro remedio animæ meæ, & pro animabus Prædeceſſorum & Parentum meorum, dono & laudo *Deo & B. Ma-*

(a) *Taillafers*] filius Raymondi, Ducis Narbonæ, Comitis Tholoſæ, & Conſtantiæ a Francia, qui fuit S. Egidii Comes. vid. QUERCET. *in Hiſt Delphin. c. 5.*

(b) *Viennenſium & Albonenſium Comes*] quippe qui Beatrici, Albonenſium & Viennenſium Comitiſſæ nupſerat, ex qua nulli liberi.

Digitized by Google

B. Mariæ, & S. Joanni, Baptiſtæ & Durbonenſibus fratribus, (c) tam præſentibus quam futuris, paſcua animalibus eorum, liberum tranſitum & uſaticum, & omne pedaticum, ut immunes ab exactione eant & redeant per totam terram meam & aquam; nec aliquid ab eis omnino prorſus exigatur. Et inſuper confirmo Sigillum & Eleemoſynam, quam Pater meus RAYMONDUS, *Dux Narbonæ, Comes Tholoſæ, Marchio Provinciæ,* eisdem fratribus conceſſit; hanc autem donationem fieri apud *Viſiliæ* (d) Caſtrum, in præſentia Domini *Chaberti,* Prioris *de Durbone, Anno Domini M. C. LXXXIII.* Teſtes *Guido de Podio Boſonis* &c.

Donationem hanc, ſive potius immunitatis privilegium, eisdem Monachis confirmavit Raymondus, Dux Narbonæ, Comes Tholoſæ, Marchio Provinciæ, & Dominus Gratianopolis Civitatis, ſine die & Conſule, quem Patrem Taillaferri ſuſpicor fuiſſe. vid. *Cartul. Durbon.*

VI.

Donatio a Guilelmo Comite Pontivi, Monaſterio Agaunenſi.

Ex Cancellaria Agaunenſi.

EGo *Guilelmus,* Comes *Pontivi* & *Monſtrolii,* (a) notum facio omnibus, tam futuris, quam præſentibus, quod ego ob remedium animæ meæ, Patris & Matris meæ, & *Alaidis* uxoris meæ, & *Mariæ* filiæ meæ, & Prædeceſſorum meorum, contuli in perpetuum in Eleemoſynam Canonicis 1210.

E 3 *S. Mau-*

(c) *Durbonenſibus fratribus*] vulgo *Durbon,* Monaſterium eſt Ordinis Carthuſienſis in Diœceſi Vapincenſi; initium habuit Anno 1116. inſtante Domino de Beaudiſuer.

(d) *Viſiliæ Caſtrum*] Viſile, antiquum Caſtrum in Delphinatu, non longe a Gratianopoli Civitate.

(a) *Comes Pontivi & Monſtrolii*] Comtes de Pontieu & de Monſtreüil in Picardia.

Digitized by Google

S. Mauritii de Chablais tredecim libras Pariſienſium, ad Guihalam meam in Abbatis-Villa, (b) quisquis eam tenuerit, annuatim recipiendos in Nundinis Trecarum, menſe Julio conſtitutas, ad emendas viginti ulnas ſcarlatæ, ad ulnam de Prunis, ad facienda Capucia, quæ prædicti Canonici in ſignum Martyrii beatorum Martyrum, Mauritii Sociorumque ejus, jure ordinis & conſuetudinis in Eccleſia *geſtare rubea* (c) dignoſcuntur. Conceſſi etiam Canonicis præfati loci octo ſolidos cenſuales, in Abbatis-Villa annuatim accipiendos a Firmino de Sernapont, Burgenſe meo, & ab hæredibus ejus de quatuor *Stallis Carnificum*, quæ prædictus Firminus de meo tenebat; & ut hæc firma & inconcuſſa permaneant, præſens ſcriptum ſigilli mei munimine roboravi. Actum hoc eſt *Anno ab incarnatione Domini* MCCX. *menſe Martio.*

VII.

Homagium Caſtri de Bracon, *Eccleſiæ Agaunenſi præſtitum.*

Ex eadem Cancellaria Agaunenſi.

In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.

1246. NOs JOANNES, *Comes Burgundiæ*, & *Dominus de Salins*, in præſentia Nobilium Virorum *Amedei*, Comitis Sabaudiæ, & *Hartmanni* de Harberg, *Nantelino*, Dei gratia Abbati Agaunenſi, pro feudo de *Bracon* (a) homagium ligium fecimus, eo modo, quo aliqui de Dominis de Salins, Prælatis Eccleſiæ Agaunenſis, melius & fidelius antea fecerunt, & fidelitatem in ſancta manu ejus, ſicut Domino ei promiſimus; reco-

(b) *Abbatis-Villa*] Abbeville vulgo, in eadem Provincia.

(c) *Geſtare rubea*] adhuc hodie Canonici S. Mauritii Agaunenſis Capucia rubea geſtant ex antiquo ordinis inſtituto, ſed Comitis Pontivi liberalitate a multis annis non gaudent.

(a) *Bracon*] Caſtrum eſt in Sequanis, juxta Salini oppidum.

Digitized by Google

recognovimus autem & manifeſtavimus ipſi coram omnibus, qui aderant, tenere ab Eccleſia Agaunenſi omnes illas terras & poſſeſſiones, quas GALCHERUS, *Dominus de Salins*, olim Domino GUNTHERO, *Abbati S. Mauritii Agaunenſis*, Prædeceſſori ſuo recognoverat, & recordatus fuerat, ſed tenere ab Eccleſia, *Bracon* cum omnibus appenditiis, & omnibus, quæ pertinent ad ejus Dominium, *Vallem de Mieges*, (b) *Areſche*, *Chamblacium*, ſuper hoc prædictus Abbas apponebat in eodem feudo *Chalme de Arlie & Huſié*, cum appenditiis ſuis, & cichum illud, quod dicitur *Caſtrum S. Mauritii* cenſuales & *Pontarlié*, ſicut in ſuis Privilegiis erat. Nos tamen non negamus, nec affirmamus, ſicut prædictus *Galcherius* prædicto *Gunthero* non negaverat nec affirmarat, pro his omnibus eſſe debemus homo ligius Eccleſiæ Abbati & ejus ſucceſſoribus, & ſicut Domino devotum illi obſequium impendere. Quando vero placuerit Abbati, ut veniat ad *Caſtellum de Bracon*, (c) *honorifice debemus eum ſuſcipere, & claves Caſtelli ei reddere; & ipſe debet portario commendare*. Nos autem *Domino Abbati* debemus in expenſis & ſociis ſuis regularibus honorifice providere.

(b) *Vallem de Mieges, Areſche*] loca ſunt in Comitatu Burgundiæ, quæ olim a Caſtro de Bracon, ſicut & Chamblacium dependebant. Item & Caſtra de Arlay, Uſié & Pontarlié, de quibus Carta loquitur.

(c) *Caſtrum de Bracon* donatum fuit a Sigismundo Rege in fundatione Monaſterii Agaunenſis, quod poſtea ſub homagio Meynerius, Præpoſitus S. Mauritii, Alberico Matisconenſi Comiti tradidit, ut ſuo loco videbitur, cujus Caſtri aliarumque rerum feudalium ab eo moventium, homagium præſtiterunt variis temporibus. *Galcherus*, Dominus Salinenſis, Anno 1199. *Raynaldus* de Cuſello & *Alaydis* ejus Conjux 1224. *Otho*, Comes Burgundiæ, *Palatina* & Domina de Salins 1302. & *Joanna*, Franciæ & Navarræ Regina, Comitiſſa Burgundiæ, Palatina & Domina Salinenſis.

dere. Recognoſcimus enim & proteſtamur pro recipiendo ejusmodi feudo & uſagio faciendo, Nos & quemlibet alium, ad quem ſpectaverit receptio feudi, ad Augonenſem Eccleſiam *perſonaliter accedere,* de jure teneri, & in Eccleſia Augonenſi feudum recipere, ſecundum ejusdem Eccleſiæ conſuetudines; recognoſcimus etiam, dictum feudum hac vice extra Eccleſiam Augonenſem ex gratia contuliſſe; de his omnibus præcepimus, ut charta fieret, & ſigillo noſtro roboraretur. Teſtes hujus rei fuerunt *Cono* Præpoſitus, *Wilelmus* Theſaurarius, *Jacobus de Grelliaco, Stephanus,* Prior de Luſtriaco, *Stephanus,* Monachus Luſtriacenſis, *Wilelmus de Belfort, Wilelmus de Eſtavayé, Guygo de Ponte vitreo, Conradus,* Advocatus Friburgenſis, *Hugo de Giſſyé,* Dominus *Petrus de Alingio, Aymo de Blonay* milites, *Boſo Major de Monteis, Emericus de Miribel, Petrus de Palatio, Petrus de S. Sigismundo,* Canonici Agaunenſes, & multi alii. Actum in Domo Epiſcopali Lauſanenſi, *Anno ab Incarnatione Domini,* M CC XLVI. *6. feria poſt feſtum beati Michaelis proxima.*

VIII.

Fundatio Cartuſiæ Repauſatorii.

Ex Tabulario ejusdem Eccleſiæ.

In Nomine Domini JEſu Chriſti.

NOtum ſit omnibus, & generationibus præſentibus & futuris, quod Ego AYMO DE FULCINIACO, (a) multum deſiderium, & promtam jam a multo tempore habens voluntatem, quatenus pro animæ meæ ſalute, omnisque meæ poſteritatis & ſucceſſionis, Domum (ſi fieri poſſet) Carthuſienſis Ordinis in meo ædificarem & conſtruerem territorio; tandem a Domino exauditus, cujus benigniſſima auris, poſt

(a) *Aymo de Fulciniaco*] filius Rodolphi Domini de Foucigny, qui obiit ſine liberis.

poſt multos labores, quos pro hac re obtinenda ſuſtinui, & preces, quas erga Dominos & Patres Carthuſienſes per me & amicos obtuli, ad optatum hujus rei effectum perveni; unde, divina gratia adminiſtrante, ſupradicti Domini Carthuſienſes, meæ petitioni aſſenſum præbentes, ad hunc locum poſſidendum, & inhabitandum, ut ipſa a me diu deſiderata & quæſita Domus in meo ædificaretur patrimonio. Joannem, quendam Venerabilem Virum & Religioſum, pro Priore, cum quibusdam fratribus in eadem Religione, Viris præclariſſimis, quorum iſta ſunt nomina: Petrus Monachus, Robertus, Pontius, Girardus, Wilelmus, alius Petrus Michael converſi, dixerunt, qui ad locum pervenientes, qui antea *Beol* vocabatur, & cum aptum & honeſtum, & ſecundum ordinem & propoſitum Carthuſienſe invenientes, ei nomen aliud, videlicet *Repauſatorium*, (b) impoſuerunt; quem locum ſicut diu optaveram, devoto affectu, & effectu ſecundum eorum conſilium & voluntatem, & eorum omnium, qui ad eos miſſi fuerant, conciliandos, illis in perpetuum tradidi poſſidendum, & ex omni parte, ut melius potui, & intellexerunt & petierunt liberum ab omni conditione & exactione ſervili, deinceps remotum & alienum, &, juxta bonos mores & conſuetudines Carthuſienſium, omni firmitate & ſtabilitate fundatum & ſancitum, quas conſuetudines, ne ab aliquo meæ poſteritatis & ſucceſſionis corrumpantur, per aliquam ignorantiam & præſumptionem, (quod omnibus modis prohibeo atque defendo.) Volo ad memoriam poſterorum, quantum in præſentiarum audivi & didici a ſupra dictis fratribus, eas ſcriptas & ſigillatim denotatas transmittere: & ut illas diligentiſſime & irrefragabiliter cuſtodire pro animæ meæ & eorum ſalute ſtudeant, mando & adjuro per Dominum JEſum,

F qui

(b) *Repauſatorium*] vulgo le Repoſoir, Carthuſia eſt in ſummis Fulciniaci montibus, loco aſpero.

qui Judex venturus eſt vivorum & mortuorum, ad cujus adventum omnes homines reſurgere habent cum corporibus ſuis, & reddituri ſunt de factis propriis rationem. Habent enim ſequentes terminos poſitos & determinatos, extra quos nil poſſeſſionis accipiant, a ſeptentrionali parte ad radices montis, intra planum de Valle dicti loci Repauſatorii, tendendo inde verſus occidentem, ſicut terra pendet in planum, ad rivulum, qui vocatur *Bornet*, aſcendendo per ipſum rivulum in ſummitatem montis, qui dicitur *Ranaiez*, proſpiciens Repauſatorium, & inde recte per crepidinem montium venientes usque ad collum, revertuntur ad meridiem per crepidinem *de Fiennes* usque ad faream *de Platuys*, unde verſus orientem tendunt, in adverſum usque ad *Feneſtralles*, & ad paſſum *de la Leziere* ad *Freſtam de Perluys*, & deſcendendo ad fontem de cruce, & ad fontem de palude, deinde tendendo ad pratum *Cucuatorum*, & ad nemus *de Canali*, & per locum, quem appellant *Balmam Roſſam*; ad prædictum *Foron* regrediuntur ibidem, ab orientali parte fluvii exitum accipientes, ubi ab occidentali ſumpſerunt initium, intra quos nulla præda a me, nec ab aliquo nunquam debet transduci, quod ſi aliqua arrogantia vel ignorantia patratum audaciter fuerit, præda ad integrum reddatur & reſtituatur, & digna ſatisfactione emendetur; nunquam ibi aves capi, nec aliqua venatio ab aliquo de feris debet fieri; per viam, qua quis ingreditur illuc, per eam egrediatur, arma bellica nunquam intra terminos debent portari, unumquemque propoſitum veniendi habentem ad locum hunc, ex quo inceperit iter eundi, donec ſit reverſus, ſecurum eſſe: Omnes utique, quicunque ibi ad refugium confugerint, pro quocunque reatu vel metu, ſalvos & tutos, quanto tempore ibi manſerit, eſſe, & permanere; univerſos etiam ex omni mea poteſtate, tam Clericos quam Laicos, qui ibi ſeſe ad habitum religionis transferre, & ad Dei ſervitium donare voluerint, liberos a me & a po-

Digitized by Google

a poſteris meis fore, & de ſe ſuaque ſubſtantia, ſecundum inſtituta ſui ordinis, libere agere; habent etiam extra terminos, quos incolendos inhabitant, alios terminos paſcuales, ad alenda vel hyemanda pecora, in quibus ſolummodo paſcua obtinent, qui determinati ſunt a Ponte de Marnax, ſurſum verſus, per omnem meam poteſtatem & advocationem, usque ad Flumet, & ne circumveniantur & infeſtentur minis, & conſtringantur deinceps a nullis, ſtabilio, laudo & dono, ut nulla unquam Religionis domus ædificetur a nullis perſonis, a rivo, qui dicitur Borna, ſicut Arva determinat ſurſum verſus, per cunctam meam ditionem & ſubjectionem, homines operarios, qui ad ipſorum opera venerint; ſimiliter ſtabilio, quamdiu apud ipſos operabuntur, ut nequaquam exire cogantur, & ad mea ire; & omne etiam commendatum, ſeu depoſitum, quod ibi ad cuſtodiam commendatum fuerit ab aliquo, ſecundum voluntatem & diſpoſitionem Commendatoris, & illorum fidele propoſitum & inſtitutum ordinetur; ſive in morte ſit ille Commendator, ſive in vita, mercenarios etiam ipſorum cum omni re ſua, quanto tempore cum eis obſequendo manſerint in univerſa mea poteſtate, ſalvos & ſecuros eſſe; ſi quis furtum intra terminos eorum vel de illorum re, vel aliorum perpetraverit, ſeu per vim inde aliquis rapuerit, ſive hominem ibi pro aliquibus inimicitiis capere præſumpſerit, uterque videlicet, fur & raptor, quando inventi fuerint & deprehenſi, tali pœna mulctentur, ut & ipſi corrigantur, & cæteri timeant, ne ulterius talia agere præſumant: Hanc libertatem illis & omnibus ſucceſſoribus donavi, & donando firmavi, ex hoc nunc & usque in ſeculum, ne ab aliquo poſterorum meorum de tali re moleſtentur; & contra bonos ſuos mores & conſuetudines agere, & deviare, (quod omnino prohibeo & defendo) cogantur, & ut Deus omnipotens, pro cujus amore hoc decrevi & deliberavi, animam meam, & omnis meæ poſteritatis & ſucceſſionis ſecundum

Digitized by Google

ſuam gratuitam gratiam & miſericordiam liberas & expertes reddet, & eruat a pœna & ſuppliciis externis. De hoc teſtes ſunt *Joannes*, (c) ejusdem Prior cum ſuis fratribus, qui hoc donum a me acceperunt. *Othmannus* & *Borno* Converſi Carthuſiæ, *Ardutius* Gebennenſis Epiſcopus, frater meus, & *Rodulphus Alamandi*, (d) ſimiliter frater meus *Ungrinus*, Converſus Portarum. *Petrus de Bueges, Perrudinus de Toſimo, Fontius Manfredus, Sanſo de Melſinge, Petrus Gaudinus de Marnax, Giroldus de Boſirem.* Actum XI. *Kal. Februar. Domino* Antelmo (e) *Priore Domus Carthuſiæ, ſedente anno Domini* M. C. LI.

IX.

Homagium Bernardi Domini de Turre,
Abbate Cluniacenſi.

Ex Cartulario Cluniacenſi, nobis a *R. P. Petro Franciſco Chifflet*, e *Societate Jeſu*, edito.

1. NOtum ſit omnibus, tam futuris, quam præſentibus, quod Ego BERNARDUS de TURRE, ſequens veſtigia Anteces-

---

(c) *Joannes, ejusdem Domus Prior*] cognomento Hiſpanus, quoniam Hiſpania oriundus erat, prius Eremita, poſtea Carthuſianus, Vir ſanctitate & miraculis clarus; cujus oſſa illuſtriſſimus & Reverendiſſimus CAROLUS AUGUSTUS DE SALES, *Epiſcopus & Princeps Gebennenſis*, levari curavit, ut pie colerentur.

(d) *Rodulphus Alamandi, Frater meus*] alibi *Theutonicus* cognominatur; Poſteri ejus, Alamanni nomine retento, primitivum dereliquerunt. Ab eis Domini Vallonefii, Albonæ & Copeti, magnæ apud Sabaudos & Delphinates authoritatis, derivati ſunt.

(e) *Antelmo*] qui poſtea Epiſcopus fuit Bellicenſis, & inter Divos relatus.

Digitized by Google

teceſſorum meorum, *Bertranni* (a) Patris mei, & *Guilielmi* Patrui, qui intuitu Dei, & pro remedio animarum ſuarum, mera donatione dederit Deo, & beatis Apoſtolis Petro & Paulo, & Abbati Cluniacenſi Dominium *Caſtelli de Turre*, (b) Domino Hugoni, Abbati Cluniacenſi, memoratum feodum recognovi, & hominium pro ipſo illi fieri & fidelitatem juravi, in præſentia Illuſtris Regis Philippi, & multorum Baronum, ſub tali conditione, ut in poſterum, Ego & ſucceſſores mei Caſtellum dictum & turelam Domus *de Sancto Pardulpho*, (c) & *de Carnis* juſtam & non malitioſam ab Abbate Cluniacenſi habeamus & teneamus; quemadmodum præfati Anteceſſores mei, Betrandus & Guilelmus, legitime tenuerant, tali conditione & modo, ut jus iſtud & Dominium jam dictum ad nullam aliquam Abbas Cluniaci transferat perſonam, quocunque alienationis titulo; quod ut ratum & firmum, huic Cartæ ſigillum meum apponi feci. *Actum Anno Incarnati Verbi 1191.*

F 3 X. *Con-*

(a) *Bertranni Patris mei*] Hinc patet, Clariſſ. Virum CHRISTOPHORUM JUSTELLUM, *Hiſt. Arvern. lib. 3.* lapſum fuiſſe in Turriana Genealogia, qui Dominum de Turre circa annum 1181. viventem *Geraudum* vocat; cui patrem Guidonem dedit, citra titulorum fidem; *Bernardus* ſiquidem Dominus de Turre, de quo hac in Carta, Bertrandum patrem habuit & Patruum Guilelmum.

(b) *Caſtelli de Turre*] in Arvernia.

(c) *De S. Pardulpho*] vulgo S. Pardoulf, in eadem Provincia.

Digitized by Google

X.

Confirmatio Donationis Eccleſiæ Cluniacenſi, *ab Euſtachio, Comite Bononienſi.*

Ex eodem Cartulario.

In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.

1125. EGo EUSTACHIUS, (a) olim *Comes Bononienſis*, nunc autem, diſponente Deo, Monachus Cluniacenſis, quod in ultimis Eccleſiæ Cluniaci dedi, præſenti Cartula ſigillo meo munita, corroboro & confirmo; videlicet, ut de villa mea, quæ eſt in Anglia, & vocatur *Fobinges*, annuatim ſine ullius contradictione vel diminutione tradantur prædictæ Eccleſiæ decem libræ Anglicæ monetæ, & aliæ decem ejuſdem monetæ Eccleſiæ de Rumiliaco, quam & ego cum alia *Uxore* mea, (b) dedi Monachis Cluniaci; hoc feci Ego *Euſtachius* in manu Bernardi, Prioris Cluniaci, publice apud *Rumiliacum, anno Verbi Incarnati* M. CXXV. laudante, ſimulque confirmante *Stephano*, (c) Comite Bononienſi, cui hæreditatem meam cum *Matildi* Filia mea dedi, qui & hoc donum laudavit atque confirmavit præſentibus multis, quorum nomina ſunt hæc: *S. Euſtachii*, qui hoc fecit, *S. Stephani*, Comitis Boloniæ, qui laudavit, *Matildis* Comitiſſæ, quæ & laudavit, *Bernardi*

(a) *Euſtachius Comes Bononienſis*] ejus nominis tertius.

(b) *Uxore mea*] omnes Hiſtorici, qui de Comite Euſtachio ſermonem habuerunt, unicam uxorem, ſcilicet MARIAM, *Malcolmi*, Scotorum Regis, Filiam ei tribuunt; attamen confirmatio hæc alteram eum habuiſſe, ſatis indicat, cujus nomen & familia ignorantur.

(c) *Stephano Comite Bononienſi*] qui, priuſquam *Matildam*, Euſtachii Comitis filium & hæredem, in uxorem ſibi conjunxiſſet, STEPHANUS BLESENSIS Montagnii Comes vocabatur; is eſt, qui poſtea *anno* 1135. *Angliæ Rex* inauguratus fuit.

nardi Prioris, in cujus manu factum eſt, *Balduini*, Abbatis S. Almari, *Balduini de Chaſol*, *Wilelmi de Edinot*, *Clarambaudi de Tiberona*, *Balduini* Conſtabularis, *Euſredi* Dapiferi, *Uſredi* Pincernæ & *Euſtachii* de Finles.

XI.

Donatio CONRADI *Regis Monaſterio Cluniacenſi.*

Ex Tabulario Eccleſiæ Cluniacenſis, ab Authore Cluniaci viſo.

In Nomine Dei æterni.

CHURANS, (a) nutu Dei Rex; quiſque pro Dei amore impendere aliquid curaverit, meritum ſibi in futuro confidat; quapropter notum ſit omnibus fidelibus noſtris præſentibus & futuris, qualiter pro Dei amore, atque remedio animæ noſtræ, ADELANIÆ (b) videlicet Reginæ, & *Infantium noſtrorum*, (c) res noſtras, quæ ſunt ſitæ in *Pago Morienſe*, videlicet locum, qui vocatur *Croatus*, cum omni appenditia, una cum Molendino ad Monaſterium S. Petri Cluniacenſis & Monachorum ſuorum, per præceptum concedimus; quod & libenter fecimus; volumus namque, & firmiter per hoc noſtrum præceptum decernimus, ut S. Petrus, vel Monachi ipſius famulantes, omnem obtineant vigorem perpetualiter, abs- 966.

(a) *Cunrans*] idem eſt, quod Conradus, Rex Burgundiæ transjuranæ.

(b) *Adelaniæ Reginæ*] Vidua erat Lotharii Regis, Othonis Alemannorum Regis Soror, & Conradi Regis Uxor.

(c) *Infantium noſtrorum*] A. QUERCETANUS, *Hiſt Burgund. Lib. 2. cap. 24.* in Regis Conradi proſapia quinque liberos numerat, quos Matildi Reginæ, ſecundæ Conradi uxori, adſcribit, nihilominus aliquos ex Adelaide prima uxore ſuſcepiſſe, quorum hic mentio fit, ex hac carta videre eſt, quos tamen Conradus aliter non deſignavit.

Digitized by Google

abſque ullo obſiſtente, vel contradicente; ut autem hoc noſtrum præceptum ab omnibus obſervetur, & a nemine unquam violetur, manu noſtra firmavimus, & de Sigillo noſtro ſigillari juſſimus. *Data X. Kal. Aprilis, anno XXVI. regnante* CONRADO *Rege* (d) *fœliciter Amen.*

XII.

Confirmatio Donationum factarum Abbatiæ S. Loci, a Domino de Sinemuro.

Ex Cartulario Abbatiæ Septemfontium.

1219. EGo MARIA, (a) *Soror Ducis Burgundiæ*, notum facio præſentibus & futuris, quod Dominus *Simon de Sinemuro*, (b) maritus meus, teſtamentum ſuum faciens, recognovit ſe promiſiſſe Petro, quondam Abbati & fratribus *Sancti Loci*, (c) quod nihil mali faceret rebus eorum, ſed potius in omnibus locis, pro poſſe ſuo, bona fide cuſtodiret; & præcipue Domum & Cellarium, quod habent apud Borbonium, ita ut, quicunque ſe vel res ſuas, ibi reponerent, tanquam in Eccle-

(d) *XXVI. regnante Conrado Rege*] anno ſcilicet ſalutis reſtitutæ 966. quia Conradus regnare tranquille in Burgundia tranſjurana tantum anno 939. cœpit, uti jam *cap. 1.* diximus.

(a) *Maria, Soror Ducis Burgundiæ*] ſcilicet Eudonis III. & Hugonis III. Ducis Burgundiæ, & Adelaidis *Lotharingiæ Filia*, cujus non meminerat A. QUERCETANUS, *in Hiſt Burgund. cap. 7.* eam e tenebris primi inter Hiſtoricos noſtros eruerunt hujuſce cartæ auxilio *Clariſſimi* SAMMARTHANI *fratres. Hiſt. Gen. Franc. Lib. 38. cap. 7.*

(b) *Simon de Sinemuro*] Dominus de Semur & de Luzy, illuſtri apud Burgundos genere.

(c) *Sancti Loci*] olim ita nominabatur Monaſterium, quod hodie Septem-Fontium, vulgo *Sept Fons*, in Borbonenſi Provincia Ordinis Ciſtercienſis, & Diœceſis Auguſtodunenſis. vid. CASP. JONGELLIN.

Digitized by Google

Eccleſia liberi eſſent; exceptis videlicet homicidiis & incendiariis. Quando autem vinum vendi ibi forte contigiſſet, tam ille Simon, quam homines ſui, legitima vadimonia mitterent; quæ videlicet plus valendo tertiam partem pretii excederent; ſua autem, ſi poſt quadraginta dies, redempta non eſſent, cæterorum vero poſt quatuordecim dies licite & libere vendi potuiſſent. Quidquid autem Domus ſancti loci in terris, in nemoribus, in planis, in aquis ſuis habebat, quando hæc promiſſio facta eſt, totum liberum eidem Domui dediſſe & conceſſiſſe; & quam talem promiſſionem credo eſſe profuturam, tam animæ Domini Simonis, quam meæ; univerſa quæ ſupra dicta ſunt, laudo, concedo & dono, & me fideliter tenenda promitto. Præterea Dominus Simon dedit eiſdem Monachis in manſo *Aſſulamon*, duos ſolidos debitales, & alios duos ſolidos in manſo *Eſcoſſenis* de Marcilly, & in manſo *Eſpoupardeurs*, duodecim denarios in feſto ſancti Nazarii perſolvendos, in manſo Adenet de Marcilly, duos ſolidos in feſto ſancti Nazarii, & alios duos ſolidos in Carnisprivio, in manſo Aſquilbans de Dio ſeptem quartas avenæ, in manſo Aſrabandetis ſeptem quartas avenæ, perſolvendas annuatim, in cujus rei confirmationem & teſtimonium, præſentem cartulam ſigilli mei munimine roboravi. *Act. hoc eſt hoc anno gratiæ* M. CC. XIX.

XIII.

Fundatio Abbatiæ S. Victoris Genevenſis, ab Hugone Genevenſi Antiſtite.

Ex Cartulario Cluniacenſis Cœnobii, ab Authore Cluniaci viſo.

UNicuique mortalium pro ſalute animæ rationabiliter tractare eſt neceſſarium, Domino & indubitanter acceptum: 1019. Quapropter Ego indignus nomine HUGO, *Genevenſis* Eccleſiæ Præſul, peccatorum meorum obliterationem Deo annuente promereri deſiderans; ſæpe mecum tacitus, frequen-

ter etiam cum *Seniore* (a) RODULPHO, cæteriſque amicis tractare diſpoſui, qua ratione loca in noſtra Diœceſi poſita, & ad noſtræ ſedis locum pertinentia, in meliorem ſtatum repararentur, noſtra induſtria, & eorum protectione aſſidua. Hæc autem ſæpiſſime tractante accidit ut bonæ memoriæ ADALHEID, (b) *Imperatrix Auguſta*, noſtri Pontificatus Urbem ingreſſa, Eccleſiam beatiſſimi Victoris Martyris Chriſti orandi gratia intraret, quæ, omnibus, propter quæ venerat, rite peractis, eundem locum Monaſticæ diſciplinæ & religionis congrui fore proſpexit, & ut id omnino peragerem, conſilium dedit, non multo poſt tempore, ejusdem beati Martyris membra invenire nos contigit, argenteo loculo diligentiſſime recondita, quæ hactenus per plurima tempora hominum aſpectibus fuerant occultata; his autem ſanctiſſimis membris ab humo, quæ diu latuerant cautiſſime levatis, & ſtrenuiſſime, ut oportebat, procuratis; in feſtivitate ipſius Martyris *Seniore noſtro* RODULPHO, *Domna* quoque *Regina* EGILDRUDE, (c) maximo etiam conventu Epiſcoporum, Comitum & aliorum Religioſorum & Nobilium Virorum congregato communi conſilio; ſtatuimus eadem præfata Martyris membra, ſub ara ipſius Baſilicæ eſſe locanda. Cum ergo cœptum opus devota mente compleviſſemus, cogitare mecum cœpi frequentius, ut prædictum locum amplificarem in melius, ſtatuendo ſcilicet illuc Monaſticæ religionis

(a) *Seniore.*] id eſt, Domino, infimæ Latinitatis loquendi formula.

(b) *Adalheid*] Uxor Imperatoris OTHONIS, cujus vitam ſanctitate & virtutibus coruſcam deſcripſit ODILO *Cluniacenſis Abbas*, ejus contemporaneus.

(c) *Regina Egildrude*] hinc collige Rodulphum III. Burgundiæ transjuranæ Regem, plures habuiſſe uxores, hanc ſcilicet *Egildrudem* a nullis Hiſtoricis memoratam & *Hermengardam* vel *Irainſindam* a QVERCETANO *Hiſt. Burgund. lib. 6. c. 25.* notas.

Digitized by Google

nis viros, qui eundem locum religioſis exornarent cultibus,& ſuo ordini congruis circumſtruerent habitaculis; quia vero in eodem loco non erat tanta facultas poſſeſſionis, ut aliquis ibi potuiſſet ordinari loco Abbatis; memorandum Clunienſis Cœnobii Abbatem, *Odilonem*, ad hoc peragendum evocavi, & permiſſione Domini *Rodulphi* Regis, conſenſu etiam fratris ejus *Burchardi*, (d) Lugdunenſis Archiepiſcopi, cæterorumque Comitum & Nobilium Virorum hortatu, prædictum locum ſancti Martyris Victoris ejus Ordinationi commiſi, ut ipſi, ſuique ſucceſſores prælibatum locum, prout potuerint, in melius ſtudeant reparare, & noſtrorum ſucceſſorum authoritate, deinceps in perpetuum poſſideant. Hanc autem conſtitutionem non ideo ſtatuimus, ut a poteſtate noſtræ Eccleſiæ aliquid (quod abſit) detrahere velimus; ſed tali hoc gerimus diſpoſitione, ut prædictus locus in perpetua valeat manere religione, & inter noſtros ſucceſſores Clunienſiſque Cœnobii Abbates, charitas excellentiſſima firmetur, & apud illos noſtra memoria ſpecialiter obſervetur; Succeſſorum præ-

G 2 terea

(d) *Burchardi Lugdunenſis Archiepiſcopi,*] Adverte duos *Burchardos* Lugdunenſes Archiepiſcopos fuiſſe, quorum *primus Rodolphi II.* Burgundiæ Regis & *Berta* Reginæ filius fuit, ut ex fundatione Monaſterii Paterniaci patet. *Alter* vero *Conradi Pacifici* filius, & *Rodolphi tertii*, Regis Burgundiæ Frater, de quo hic ſermo, & ſic vacillantes & errantes PARADINUM & SEVERTUM *in Archiv. Lugd. ſub Burchard.* ſublevamus, qui ex duobus Burchardis unicum conflarunt, licet diverſo tempore vixerint. Obiter nota etiam DAVIDEM BLONDELLUM *in Genealog. Franc.* deceptum fuiſſe, qui Burchardum ſecundum Archiepiſcopum Lugdunenſem *Aymonis Genevenſis* Comitis filium fuiſſe ait. v. *Tabul. Comitis Gen.*

Etiamſi fundationis hujus Carta ſine die & Conſule ſit, nihilominus conjicere facile eſt, eam circa An. 1019. ſcriptam fuiſſe, quia tunc Hugo Genevenſis Præſul Rudolphus III. cognomento negligens, & Odilo Abbas Cluniacenſis vivebant.

terea hortor & obſecro ſinceriſſimam charitatem, noſtram dignentur ſua confirmatione ſtabilire devotionem, quam ſtatuere cupio propter ſalutem animarum Succeſſorum noſtrorum *R. Regis* & CHUONRADI *Regis*, pro ſtabilitate quoque Eccleſiæ nobis a Domino commiſſæ, concedendo ſcilicet Clunienſis Cœnobii Rectoribus, omni reliquo tempore ordinationem prælibati loci Victoris Martyris Chriſti, ut in eodem loco memoria & religio perpetuo valeat obſervari, & ipſi de conſortio Religioſorum Virorum diutius poſſint gratulari.

XIV.

Donatio Roſſelini, Vice-Comitis Cenomanenſis, Monaſterio Cluniaci.

Ex eodem Cartulario Cluniacenſi.

1073. QUandoquidem in multis terrarum partibus beneficium Clunienſis Eccleſiæ innotuit, ROSSELINUS (a) *Vice-Comes Cenomanus* & ſanctæ Suſannæ, in remiſſionem peccatorum ſuorum & Anteceſſorum dedit, & in perpetuum conceſſit Eccleſiæ Cluniacenſi Baſilicam *de Ponte-Novo*, cum Cimeteriis & omnibus appenditiis, quæ ſita eſt ſupra *Sartam*, (b) juxta Caſtrum Bellimontis, (c) ita ſcilicet, ut omnes homines Monachorum ibi accipiant omne ſervitium Chriſtianitatis, tam in vita, quam in morte, ibique ſepeliantur non ſolum iſti, ſed omnes illi, qui gratiam beatorum Apoſtolorum P. & P. in quorum honore fundata eſt Baſilica, petierint, & ibi ſe contulerint; conceſſit namque Monachis Cluniacenſibus, ibidem Deo ſervientibus, Decimam omnium redituum Caſtri Bellimontis & totius Caſtellaniæ, & duos Furnos, quos in eodem Caſtro

(a) *De Ponte-Novo.*] vulgo le Pont-neuf, in Agro Cœnomanenſi.
(b) *Sartam*] fluvius eſt la Sarte.
(c) *Bellimontis*] Beaumont, Ducatus hodie.

ſtro habebat, ita liberos, quod certis terminis per annum miniſtros mutare poterunt; & de tribus Feriis, quæ apud Pontem-Novum in ſolennitatibus Apoſtolorum P. & P. ſunt, & unam liberam & immunem illam, videlicet de morte & aliarum duarum medietatem, & decimam omnium redditu um ſuorum de Anglia, atque quandam medietatem terræ apud locum - - -. - ita ut ſi quis ex ſupra dictis rebus aliquid inde Monachis auferret, tantumdem Juſtitiæ Vice-Comes ipſis faceret, ac ſi de ſuo aliquis raperet; & ſi quis Baronum ſuorum terram ſuam vel vineas, ſeu ædificia ſua, aut aliquid aliud præfatæ Eccleſiæ in eleemoſynam dare voluerit, hoc idem *Vice-Comes Roſſelinus, & Richardus* filius ejus, liberum & immune fore voluerunt; & quidquid in feodo illorum juſte acquirere poterunt, coram Deo & Apoſtolis P. & P. & omnibus ſanctis ſe ſervaturos, tam ea, quam cætera omnia, quæ ad prædictam Eccleſiam pertinent, promiſerunt Burgenſes, ſeu homines Monachorum *Pontis-Novi*, pro nullo foris facto alicui quod jus faciant, niſi in Curia Prioris; & ſi quid de Conſuetudinibus Vice-Comitis retinuerint, vel aliud aliquod delictum fecerint, nihil amplius quam XII. nummos pro foris facto, Vice-Comiti aut ejus Miniſtro reddant; ſed ſi homicidium ab aliquo prædictorum hominum perpetratum fuerit alicubi, quamvis in Curia Prioris ad jus veniant, tamen de hoc ſolo Vice-Comes medietatem habebit, & Prior aliam: Si vero alius homo undecumque veniat, & ſimile opus peregerit, aut etiam majus iſto, etiam infra Cimeterium ſupra dictum intrare potuerit, aut ſub cuſtodia Prioris ejusdem loci, de tota terra Vice-Comitis ſanus & incolumis exire licebit. Burgenſes autem, & homines Prioris, ita liberos & immunes conceſſit, ut in nullo negotio ſuo peragant, præter cauſa belli, aut cauſa perdendi Caſtrum, aut cauſa cuſtodiendi Caſtrum Bellimontis: Si Homines deſint, tantum hoc facere debent, ut idem Vice-Comes aut Seneſchallus ejus Priori

Digitized by Google

Pontis-Novi, ſuper hac re ſuppliciter petendo rogaret. Hanc Cartam CONSTANTIA *Vice-Comitiſſa* precibus Domini STEPHANI, (d) *Abbatis Cluniacenſis* laudavit, & cum liberis ſuis conceſſit, & ne oblivioni tradatur. Ego ROSSELINUS Vice-Comes, Sigilli mei caractere muniri feci.

XV.

Donatio Spinæ de Corona Domini, a B. Ludovico Rege, Monaſterio Agaunenſi.

Ex Cancellaria Agaunenſi.

1261. LUDOVICUS, *Dei gratia Francorum Rex.* Dilectis ſibi in Chriſto Priori & Conventui S. Mauritii Agaunenſis, ſalutem & dilectionem ſinceram. De pretioſis Beatorum Martyrum Agaunenſium corporibus, quæ nobis per Venerabilem Abbatem & Concanonicos noſtros, ac Nuntium noſtrum, veſtra liberalitas venerabiliter deſtinavit, charitatem veſtram dignis proſequimur actionibus gratiarum. *Mittimus autem vobis per ipſum Abbatem* (a) *ſacro-ſanctæ Coronæ Dominicæ ſpinam unam,* quam propter redemptoris reverentiam, petimus a vobis devotiſſime honorari, & ut nos & noſtros, veſtris orationibus habeatis ſpecialiter commendatos. Actum *Pariſiis,* anno Domini M. CC. LXI. menſe Februarii.

XVI.

Formula antiqua Manumiſſionis.

Ex Cartulario Carthuſiæ Montis-Merulæ.

1261. EGo HUMBERTUS de *Aſneriis,* (a) Domicellus, notum facio univerſis, quod Ego pro me, & hæredibus meis, & ſuc-

(d) *Stephani Abbatis*] qui vivebat Anno 1173. quo tempore notitia hæc ſcripta fuit. v. *Bibliothec. Cluniac.*

(a) *Spinam unam*] extat adhuc hodie in Eccleſia Agaunenſi, ubi pie colitur.

(a) *Humbertus de Aſneriis.*] Dominus S. Juliani ſupra Reyſſouzam fluvium in Sebuſianis.

Digitized by Google

ſucceſſoribus in perpetuum, *recepta ſiquidem tertia parte, ut moris* (b) eſt, *bonorum* WILELMI, Filii quondam *Petri Chavalet de Monteſantet*, dictum inquam *Wilelmum* & hæredes ſuos meræ libertati dono & trado, ipſumque & ſuos quitto penitus, & concedo Domui & fratribus *Montismeruli*, (c) Carthuſienſis Ordinis, perpetuo libere poſſidendos, ſine aliqua interpellatione, ſeu requiſitione a me de cætero facienda, in præfato *Wilelmo*, Succeſſoribusque & rebus ſuis, & promitto, me, præſtito juramento & ſtipulatione ſolemni, omnia præſcripta bona fide obſervaturum, nec & venire contra verbo vel facto, & renuntio omni auxilio Juris Canonici & Civilis, nec mori & conſuetudini, per quam poſſem contravenire, & ſpecialiter legi dicenti manumiſſionem ſervorum irritari poſſe, & ſervos glebæ ad priſtinam ſervitutem reduci poſſe. In cujus rei teſtimonium præſentes literas eidem W. tradidi. *Sigillo* HUMBERTI Capellani noſtri S. Juliani ſigillatas, *quoniam ego careo ſigillo proprio, & volo, quod illud ſigillum pro authentico habeatur, & robur obtineat & Sigilli authentici* firmitatem. Datum *Anno Domini* M. CC. LXI. die Jovis *poſt quindenam Paſchæ*.

XVII.

(b) *Ut moris eſt*] notatu digna prorſus eſt conſuetudo illa, qua Dominus, qui ſervum, ſive *Taillabilem* aut Manus-mortuæ hominem (ut apud noſtrates Sebuſianos loquimur) manomittere vellet tertiam bonorum ſervi partem, retinebat in pretium libertatis conceſſæ, quam conſuetudinem ſecuti ſunt CAROLUS VI. *Francorum* Rex, edicto 1402. & Sereniſſimus EMANUEL PHILIBERTUS, *Sabaudiæ* Dux, Edicto manumiſſorio, anni 1561.

(c) *Montis Merulæ*] Carthuſia eſt, apud Sebuſianos olim Vallis S. Stephani dicta, vulgo *Montmerle*, juxta Reyſſouzæ fluvium, & S. Juliani Oppidum.

Digitized by Google

XVII.

Bulla Aurea CONRADI *Romanorum Regis, pro Eccleſia Ebredunenſi.*

Ex Tabulario Eccleſiæ Ebredunenſis.

In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.

1147. CONRADUS, *Dei gratia Romanorum Rex II.* Wilelmo, Urbis *Ebredunenſis* (a) Archiepiſcopo, ejusque Civitatis Clero & populo, gratiam ſuam & bonam voluntatem. Antiqua conſuetudo celebris, & Imperatorum Inſtituta, Regum Romanorum diſcretionem ſollicitant; quatenus Eccleſiarum utilitatibus ſtudeant providere, Clericos defendere, bona illarum ad laudem & gloriam nomini Chriſti illibata obſervare, & ne aliqua impiorum tyrannide affligantur, maxime operam dare: Si qua etiam eisdem damna truculenter inferantur, pie & miſericorditer reformando, eadem reſarcire; imperialia itaque decreta non deſerentes, Anteceſſorum clementiam imitando. Tibi venerabilis prætaxatæ urbis *Wilelmo* Archiepiſcopo, & per te, Eccleſiæ tuæ & Succeſſoribus tuis, Ebredunenſis urbis voto, *noſtra Regalia* concedimus *juſtitiæ, Monetam, Pedagium, utraque ſtrata telluris & fluminis Durantiæ;* concedimus etiam tibi quæcunque in Regno noſtro Prædeceſſorum noſtrorum authoritas, vel quorumlibet pietas Principum Eccleſiæ tuæ & anteceſſoribus tuis charitatis ſtudio conceſſit; verumtamen, ut donatio iſta firma & ſtabilis poſteris tuis æternaliter permaneat; paginam præſentem Sigillo noſtro inſigniri juſſimus. Si qua vero improborum temeritas confirmationem iſtam præſumeret inquietare; *Banno* Regali ſubjaceat.

Hujus

(a) *Ebredunenſis*] vulgo Ambrum, Alpium maritimarum Metropolis, tunc in regno Arelatenſi ſita. Ideo Romanorum Reges & Imperatores, qui ſe Reges etiam Arelatenſes prædicabant, Civitatem illam & Eccleſiam variis decorarunt privilegiis.

Digitized by Google

Hujus donationis teſtes eſſe volumus Epiſcopos, *Ordibium* Baſilienſem, *Burchardum* Argentinum, *Bucam* Garmatienſem, *Arnulphum*, Cancellarium Conſtantienſem, *Anſelmum* Elicherium, Archidiaconum, *Rogerium*, & alios multos. *Anno ab Incarnatione Domini* M. CXLVII. anno vero X. Regni ejus.

XVIII.

Litera Protectionis & Immunitatis, Monaſterio Liuncelli a Vuilelmo Comite Valentino conceſſa.

Ex Cartulario *Abbatiæ Liuncellæ*, inter ſchedas *Domini de Peyreſc* reperto.

VUILELMUS (a) Pictavienſis, *Dei gratia Valentinus Comes*, G. Abbati & Fratribus *Liuncelli*, (b) in perpetuum; 1183.
Nobilitatis inſigne indicium eſt, atque gladii noſtri expoſcit authoritas, pupillos & viduas defendere, cuſtodire, judicium facere, juſtitiam in neceſſitatibus ſuis pauperibus miniſtrare. Hoc attendens & diligens Ego Wiliel. *Pictavienſis* cognomine; *Officio* (c) vero Valentinus Comes, & divina ordinatione, fratres Liuncelli ſub protectionis noſtræ ſuſcipio numine, & per totam terram noſtram immunes a Pedagiis, & omni violentia & actione, atque liberos conſtituo, eorumque me trado ſervitio, quatenus eorum eleemoſynis & orationibus a peccatis meis merear redimi, ac Deo omnipotenti, Domino meo, per ejus miſericordiam reconciliari.

H XIX.

(a) *Wilelmus*] Ademari Comitis Valentini filius, ut ex ſequenti patet carta.

(b) *Liuncelli*] vulgo *Lioncel*. Monaſterium ordinis Ciſtercienſis, in Diœceſi Valentina Bona-Vallis filia.

(c) *Officio Comes*] titulus Comitis Valentini tantum erat tunc dignitatis & officii nomen, non patrimonii.

G. Abbas Liuncelli, qui hoc donum recepit, vivebat Anno 1183. ideo hujusce litera data ad hunc annum referri debet.

Digitized by Google

XIX.

Aliud Privilegium, eidem Monaſterio LIUNCELLI *conceſſum ab eodem Comite Valentino.*

Ex eodem Cartulario.

VUILELMUS (a) Pictavienſis, Comes Valentinus &c. univerſis Caſtellanis ſuis & *Bajulis*, atque hominibus majoribus & minoribus, ſalutem & debitum amorem. Notum ſit omnibus, me Domum *Liuncelli*, & omnes res ejus mobiles & immobiles, in ſecuritate mea & protectione, atque *guidagio* ſuſcepiſſe, ſperans pro hoc magnam mercedem apud Dominum JEſum Chriſtum & ejus Matrem ſanctiſſimam, in cujus h. nore prædicta Domus fundata dignoſcitur, promereri. Audivi quidem, quod quidam peſtilentes, & etiam de Terra mea & Patris mei Domini Ademari, Liuncellenſibus injuriari non metuunt, & bona eorum rapere, & violenter abducere non formidant. Mando igitur Vobis, & firmiter præcipio, ut nemo veſtrum manum mittat de cætero in prædictos ſervos Beatæ Virginis, vel res eorum; & præcipue in *Mulos*, quibus in montanarum degentes anguſtiis, ſibi ſua omnia neceſſaria habent, imo, quantum poteritis, eos ab aliorum injuria, & inquietatione indebita, defendatis. Si qui vero veſtrum de eis juſte conqueſti fuerint, Liuncellenſes ſe ſtare judicio noſtro promiſerunt. Quisquis meorum hominum Mandatum iſtud transgreſſus fuerit, ſciat ſe iram meam & odium incurriſſe.

XX.

(a) Manuſcriptus quidam Codex, loquens de Wilelmo Pictavienſi, Comite Valentino, cujus uxorem Philippiam quandam QUERCETANUS fuiſſe ſuſpicatus eſt. Ait eum nupſiſſe Comitiſſæ Dienſi, quæ circa annum 1180. Rambaudi Bauciani, Arauſicani Principis, amore exarſit. Hujus Cartæ meminerunt clariſſimi SAMMARTHANI *fratres. Gall. Chriſt. Tom. 4.*

XX.

Concordia inter Eccleſias Novalicenſem & Contaminenſem pro Eccleſiis Thieſii & Caſtillionis.

Ex Cartulario Cluniacenſi.

CErta & vera ſit omnibus ſignificatio, quod controverſia, quæ de Eccleſiis *Thieſii* & *Caſtillionis,* (a) & earum appenditiis diu & ſæpe inter *Novalicenſem* (b) & *Contaminiacenſem* (c) ventilata fuit a *Bernardo* Bremetenſi Abbate, tunc Priore Novalicenſi, & *Anguizone* Cluniacenſi Camerario, tunc Priore Contaminæ, ſic in pace terminata ſtetit: Placuit itaque *Stephano* Cluſii Abbati, (d) qui judex & conciliator hujus negotii ab *Adriano* Papa conſtitutus erat, & *Bernardo* Abbati prædicto, communi Capitulo Novalicenſi & *Bremetenſi,* (e) & cæteris ſuis aliorum locorum Confratribus, ut ab Anguizone, Priore Contaminæ, mille quingentos ſolidos ſecuſienſes, eo pacto & tenore acciperent, ut præfata controverſia in perpetuo delata & ſcripta jaceret: Contaminiacenſis autem, prædictas Eccleſias, cum beneficiis & appenditiis ſuis, firma & perpetua pace deinceps haberet & poſſideret, quod factum ratum & confirmatum fuit, ex conſenſu & voluntate omnium prædictarum partium. Et *Ardutii* Gebennenſis Epiſcopi, & *Aymonis* Fulniacenſis, qui Advocatus hujus rei erat, *M. C. L. anno ab Incarnatione Domini,* Friderico Imperatore regnante, & guerram cum Mediolanenſibus agitante. Ii ſunt teſtes *V.* Comes 1150.

H 2 Mau-

(a) *Thieſii & Caſtillionis*] vulgo Thiez & Chaſtillon, vici in Ducatu Gebennenſi.

(b) *Novalicenſem*] celebre Monaſterium Ordinis Divi Benedicti, ad montis Cineſii radices, juxta Suſæ oppidum, Novaleſe.

(c) *Contaminiacenſem*] Contamiæ Prioratus in Pago Gebennenſi, de quo ſupra ſermonem habuimus.

(d) *Cluſii Abbati*] S. Michaelis de Cluſa, in Principatu Pedemontenſi.

(e) *Bremetenſi*] vulgo Breme, in Agro Mediolanenſi.

Digitized by Google

Maurianenſis, *A.* Fulciniacenſis, *R.* ejus Filius, *G.* de Vulſeno, *B.* Prior Aquæ-bellæ, & fere omnes Parochiani Thieſii.

XXI.

Donatio Rodolphi de Thoria Carthuſiæ Valonis.

Ex ejuſdem Carthuſiæ Autographo, nobis a R.P. Compain Societatis Jeſu exhibito.

1234. EGo *Rodolphus de Thoria*, (a) pro remedio animæ meæ, & pro anima Patris mei, *Raymundi de Fulciniaco*, (b) dedi & conceſſi unam caballatam vini puri, in vinea mea de Mouvant, Domui de *Valone* (c) annuatim perſolvendam, ut inde celebrentur Miſſæ in Domo Valonis. *Actum anno Domini* M. CC. XXXIV. *apud Boſſié, menſe Decembri.*

XXII.

Donatio Eccleſiæ Cluniacenſi, a Joſſerando Groſſo.

Ex Cartulario Monaſterii Cluniacenſis, ab Authore Cluniaci viſo.

1074. J*Oſſeranus*, cognomento *Groſſus*, (a) anno Domini MLXXIV. donavit Eccleſiæ Cluniacenſi Eccleſiam S. Laurentii, prope

(a) *Rodulphus de Thoria*] cujus Nobilis poſteritas adhuc hodie durat in agro Fuſciniacenſi, in Dynaſtis *de Bouſſy*, *de Bellecombe & d'Arbuzenier.*

(b) *Raymundi de Fulciniaco*] nota corruptelam ſeculi, cum Filius alio nomine deſignetur, quam paterno; Filii namque ditionum ſuarum ut plurimum nomina uſurpabant.

(c) *Valone*] Carthuſia eſt in Montibus Fuſciniacenſibus, vulgo Valon, unita Carthuſiæ de Ripalia, ad Lacum Lemanum, juxta Thononi oppidum.

(a) *Groſſus*] Branceduni; Uxellarum & aliorum locorum in Pago Matiſconenſi Dominus, qui inter Burgundiæ Proceres locum fere primum tenebat, ſive ob generis antiquitatem, ſive ob ditionum amplitudinem.

pe *Matisconem*, (b) ultra flumen Sagonæ, & quoſdam Manſos, cum hominibus & pertinentiis ſuis, ſitos in diverſis locis in Matisconeſio, nihil penitus ſibi in prædictis, vel ſuis retinendo.

XXIII.

Conceſſio in feudum Alberico, Matisconenſi Comiti, a Monaſterio Agaunenſi.

Ex Cancellaria S. Mauritii Agaunenſis.

In nomine Dei æterni.

Quicunque res Eccleſiæ ſub uſu beneficii acquirere deſiderat, ab ejusdem Rectoribus Eccleſiæ ſuffragium & tuitionem petat, quorum videntur ſubeſſe dominati. Quapropter omnibus Chriſtianis notum eſſe volumus: Quod nos Fratres de Congregatione S. Mauritii Agaunenſis Monaſterii, Meynerius videlicet Præpoſitus, ſeu & cæteri Fratres, inibi Domino famulantes, qualiter tu *Albrice*, (a) Comes petiiſti humiliter, & quasdam res noſtras, quæ ſitæ ſunt in Pago *Waraſcum*, (b) *in Comitatu Scodingum*, (c) ſcilicet Eccleſiam, quæ eſt conſtructa in honore S. Petri in Calme Arlicana, cum omnibus appenditiis, quæ ibi aſpicere videntur, 943.

(b) *Prope Matisconem*] S Laurentii vicus, hodie eſt in agro Sebuſiano juxta Araris Pontem, quaſi in Matisconenſi ſuburbio, licet a Matisconenſi Provincia minime dependeat.

(a) *Albrice Comes*] alibi vocatur *Albericus Matisconenſis* Comes, quem de Narbona cognominatum fuiſſe *Severius & Sanjulianus* perperam ſcripſerunt. *in Epiſcop. Matisc. p. 64. in Antiqu. Matisc.*

(b) *In pago Waraſcum*] ea pars Comitatus Burgundiæ, quæ Sebuſianis contermina eſt; olim vocabatur Pagus *Waraſcus*, ſive Comitatus *Waraſci.*

(c) *In Comitatu Scodingum*] Vallis ea eſt, in qua Salinarum Oppidum, vulgo *Salins*, a Salinis ita dictum.

Digitized by Google

Fiſcum Francium, cum appenditiis ſuis, medietatem *de Feoſtingo*, & quidquid ad ipſam medietatem pertinet, *Chiuricacum* Fiſcum, cum omnibus appenditiis ſuis, *Bracum*, & quidquid in ſalinis habere videtur ex ſupra dicta re, cum omnibus appenditiis, poteſtatem *Arecii*, cum Eccleſia *S. Melanii*, cum decimis & omnibus appenditiis, excepto Altari; Eccleſiam *S. Mauritii* in Camblaſio, cum poteſtate ipſa & decimis, & omnibus appenditiis ſuis, & aliis in has poteſtates inſertis, ubicunque acquirere poteſt. De Turna vero Jurenſe, ſcilicet *Ozeias*, & quidquid in has partes pertinere videtur, tibi & filiis tuis Leutoldo & Humberto, poſt tuum diſceſſum, *jubente & conſentiente Domino noſtro* CONRADO, *excellentiſſimo Rege*, concedere deberemus, quod & ita fecimus, ea vero ratione, ut annis ſingulis ad feſtivitatem S. Mauritii, cenſum perſolvatis ad fratres, ſolidos viginti & ſeptem; ad Secretarium XII. ſolidos, a Turma Jurenſe, ſolidos duos; de unaquaque Eccleſia ſolidos XV. & de ipſo cenſu negligentes non appareatis; & ſi negligentes in uno anno fueritis, in alio duplum componatis, & hoc ſuper inſertum, alienare poteſtatem non habeatis, ſed poſt veſtrum deceſſum omnis integritas emeliorata, quandoquidem Dominus voluerit, ad nos revertatur, & hæc *Præſtaria* (d) firma & ſtabilis permaneat, cum ſtipulatione ſubnixa. *Meynerius*, Præpoſitus, conſenſit & ſubſcripſit, *M. Simon* Levita conſenſit & ſubſcripſit. *Chuonradus* Levita, *Leucherius* Levita.

Ego *Henricus Gynk*, Notarius, hanc Præſtariam ſcripſi, datam die Dominico, anno V. (e) regnante Chuonrado, Domino Rege.

XXIV.

(d) *Præſtaria*] idem eſt, quod apud Feudiſtas Beneficium, dicimus nos infeudationem, ſive in feudum conceſſionem.

(e) *Anno V.*] annus V. Regni Regis Conradi cadit in annum Chriſti 943.

Digitized by Google

XXIV.

Promiſſio Guilielmi & Roſtagni de Sabrano, aliorumque Comitatus Provinciæ Procerum, Raymundo Berengarii, Comiti Barchinonenſi.

Ex Archivo Regio Aquenſi.

ANno ab *Incarnatione Domini* M CLVI. Juro ego *Guilielmus de Sabrano,* tibi RAYMUNDO BERENGARII, Comiti Barchinonenſi, & Nepoti tuo (a) *Raymundo* Berengarii, Filio Fratris tui Berengarii Raymundi, quod ſi *Stephania* (b) uxor *Raymundi de Baucio* & *Hugo* Filius ejus, & Guilelmus, & Bertrandus, & Giſbertus, commoti per vos, aut per unum nuntium, vel nuntios veſtros, uni ex vobis vel ambobus, (c) *Caſtrum de Trencatallia,* cum omnibus fortitudinibus ſuis, ſine veſtro *Enganno* non redderent: Ego *Guilelmus de Sabrano* jam dictus, veniam in poteſtatem veſtram, vel nepotis veſtri, vel illorum, qui locum veſtrum tenebunt ad decem dies, ex quo a vobis, vel veſtris commonitus fuero, vel illud ſciero *in Volubricis* (d) Inſula, ſicut undique circumclauditur Rhodano; ita tamen, quod ibi ſecurus ſim a vobis per omnia; præter *Oſtaticum* tenendum, ſine veſtro *Enganno,* quod inde aliquo modo 1156.

(a) *Nepoti tuo*] Comiti Provinciæ, qui Raymundus Berengarii Junior vocabatur.

(b) *Stephania*] uxor Raymundi, Domini a Baucio, & Gilberti Milialdi Comitis filia; quidquid in contrarium ſcripſerint Hiſtorici noſtri, qui Stephaniæ Patrem ajunt fuiſſe *Gilbertum,* quemdam Provinciæ Comitem. Alfonſi Tholoſani, Comitis, & Faydidæ, Comitiſſæ Provinciæ filium, quod omni fide caret.

(c) *Caſtrum de Trencatallia*] vulgo Trinquetaille, juxta Rhodanum, in vicinia Arelatenſis civitatis.

(d) *Volubricis Inſula*] dicitur hodie *Vallabregues,* Inſula eſt in Rhodano, non longe a Tharaſcone.

Digitized by Google

modo non egrediar, donec ſupra dicti *Stephania*, *Vgo* filius ejus, & *Guilelmus*, & *Bertrandus*, & *Gisbertus*, reddant vobis decem millia ſolidos *Melgorienſis monetæ*, ſine veſtro *Enganno*; & inſuper convenio vobis, quod ex quo Stephania ſupra dicta, & Vgo filius ejus, & Bertrandus, & Gisbertus commoniti per vos, vel per veſtros, Caſtellum de Trencatallia vobis ſine veſtro Enganno reddere noluerint, exinde ad tollendum vobis Caſtrum de Trencatallia, aut de guerra, quam propter hoc facerent vobis, eis adjutor non ero, neque vobis nocebo ullo ingenio, nec aliquis homo de tota terra mea eis adjutor erit, meo conſilio, nec meo mandato, nec mea voluntate gratuita, neque vobis nocebit ullo ingenio, quod hoc totum ad intellectum veſtrum ſine veſtro Enganno, ſicut ſuperius ſcriptum eſt, ita tenebo & attendam *Ego Guilelmus de Sabrano*. Idem juraverunt iisdem fere verbis: *Roſtagnus de Sabrano, Raymundus Raynaldi de Roccamaura, Stephanus de S. Egidio, Guilelmus de S. Stephano, Petrus de Serra, Bertrandus de Laudun, Guilelmus de Roccamaura, Bernardus Ademari* & *Bertrandus Rabinet*, & ſunt fidejuſſores pro iſtis ſupra dictis, ſcilicet *Guirandus de Simiana*, per duo millia & quingentos ſolidos. Et Comes Melgorienſis *B. Peleti*, per duo millia & quingentos ſolidos, & *Bertrandus de Armadioricis* per duo millia & quingentos ſolidos. *Signum Guilelmi Petri, Scribæ.*

XXV.

Donatio Monaſterio Saviniacenſi, ab Eurardo, Epiſcopo Maurianenſi.

Ex Cartulario Monaſterii Saviniacenſis, nobis a Domino *le Laboureur*, Inſulæ Barbaræ Præpoſito ſubminiſtrato.

1022. EGo in Dei nomine *Eurardus* (a) indignus, gratia tamen Dei Præſul ſanctæ Matris Eccleſiæ *Maurianæ*, (b) cum conſilio

(a) *Eurardus*] alias Eborardus, vel Huraldus, qui anno 1025. Concilio Aulæ interfuit. *Chron. Eccleſ. Ped. cap. 45.*

(b) *Mauriana*] vulgo S. Jean de Maurienne.

Digitized by Google

lio amicorum meorum, pro remedio animæ meæ, & *Senioris mei* CONRADI *Regis*, Filiique ejus RODULPHI Regis, nec non etiam Patris mei, & Matris, & omnium Parentum meorum, dono ſanctæ Eccleſiæ *S. Martini Saviniacenſis* (c) Monaſterii, ubi Dominus *Durannus* (d) Abbas, cum grege Monachorum habitare videtur, Eccleſiam ſancti Veranni, quæ eſt in Villa, quæ vulgo vocatur *Erbins*, juxta ripam *Iſaræ* fluminis, cum ſuo Presbyteratu, & omnibus adjacentiis ſuis, quæ infra terminos ſubtitulatos ſitæ ſunt. Sunt autem prædictæ res ſitæ in Pago Gratianopoli, *in Agro Savogenſi*, (e) & terminantur a mane Villis Marini, a ſero terra Vorni, a meridie Iſara volvente, a ſeptentrione vero Montem Benedictum; & in alio loco in villa, quæ dicitur *Balbiacus* manſum unum, & quantum ad ipſum adſpicit usque in exquiſitum; tali igitur tenore dono prædictas res Deo & ſancto Martino, ut ab hodierno die habeant Seniores ejusdem loci in ſuo Dominicatu, & annis ſingulis, in feſtivitate beati Andreæ, ad Altare beati Joannis ſanctæ Matris Eccleſiæ Maurianæ decem ſolidatas ceræ perſolvant; S. Euradi Præſulis, qui hoc donum fecit, & firmare rogavit; S. Riculfi qui conſenſit; S. Leotardi Præpoſiti, Arberti, Adalberti, Deſiderii, Franconis & Deſiderii filiorum Eurardi. *Data III. Kal. Jul. feria II. anno XVII regni Rodulphi Regis.*

I XXVI.

(c) *Saviniacenſis Monaſterii*] Abbatia de Savigny, in pago Lugdunenſi, Ordinis Divi Benedicti.

(d) *DURANNUS Abbas.*] In Cartulario Saviniacenſi *Durantus* vocatur, qui anno 1007. electus fuit de Burchardi Lugdunenſis Archiepiſcopi conſenſu, & conſilio Odilonis Abbatis Cluniacenſis, Raynaldi Abbatis Athanacenſis, Bernardi Abbatis Inſulæ Barbaræ, & Wigonis Abbatis ſancti Theuderii, Domino Rodulpho Rege luciduſſime ſe exhibente; hæc ſunt verba Cartularii Saviniacenſis.

(e) *Savogenſi*] id eſt Sabaudienſi. Anno XVII. Regni Rodulfi Regis, hoc eſt, anno Chriſti 1022.

XXVI.

Notitia Verpitionis Monaſterii Gigniaci, facta a Comite Bernardo.

Ex Gazophylacio Cameræ Computorum Pariſienſi; cura Clariſſimi Domini *Vion-d'Herouval* transſcripta.

ANno ab Incarnatione Domini VCCCLXXXXVIII. Indict. VIII. Cum conveniſſent *Ermengardis* (a) Regina, & cuncti Principes (b) LUDOVICI *Filii* BOSONIS † in loco, qui dicitur *Varennas*, ad placitum; acceſſerunt ad ejus præſentiam Monachi de *Gigniaco* (c) Monaſterio, *Berno* (d) videlicet Abbas, aliique ſub ejus regimine poſiti, conquerentes, & monachali humilitate conclamantes, quod *Bernardus*, (e) ejusdem Reginæ Vaſallus, eorum res injuſto ordine invadendo poſſediſſet. Hoc eſt *Balmam Cellam*, quam olim a RODULPHO (f) Rege per præceptum acquiſierant; quod

(a) *Ermengardis Regina*] filia Ludovici II. Imperatoris & Regis Provinciæ, Boſonis Provinciæ Regis uxor.

(b) *Principes*] id eſt, Proceres Regni. † *Ludovici* Filii Boſonis, qui poſtea fuit Imperator & Provinciæ Rex, cognomento cæcus

(c) *Gigniaco*] Monaſterium eſt inſigne in Sequanis, Ordinis Cluniacenſis, non longe ab Andeloto Caſtro, vulgo *Gigny*.

(d) *Berno*] ex Comite, Abbas Gigniacenſis Cœnobii a ſe fundati, qui, ut Author eſt SIGEBERTUS, *in Chron. ad an. 895 & 912.* ex dono Aviæ Comitiſſæ, conſtruxit Cluniacum Cœnobium in Cellam Gingiacenſem ea conditione, ut Eccleſia Cluniacenſis annuatim ſolveret Eccleſiæ Gigniacenſi cenſum duodecim denariorum. Hodie tamen Gigniacum a Cluniaco dependet.

(e) *Bernardus*] ſuſpicor, nec vana erit conjectura, Bernardum hunc fuiſſe Comitem Plantapiloſam cognomine, qui eo tempore vivebat; cujus ditiones in Burgundiam utramque protendebantur.

(f) *Rodulpho Rege*] ejus nominis I. Burgundiæ Transjuranæ, ſcilicet uti jam ſupra diximus.

Digitized by Google

quod tam benigniſſima & venerabilis Regina, quam omnes undecumque confluentium locorum Principes diligenter attendentes, diligentiusque audientes, prædictumque Bernardum in medium vocaverunt, & cur easdem res teneret, interrogaverunt. Ipſe autem reſpondit, per donum Ludovici prædictas res ſe tenere, credere, cujus reſponſionibus nec Regina conſenſit, nec alii conſentire dignum fore dijudicaverunt, & tunc ipſe per juſſionem Reginæ, jam dictum locum in præſentia omnium inverpivit; & ut ultra easdem res non invaderet, ſpoſpondit. Tunc, his ita expletis, juſſit Dominatrix Regina, tam Abbatibus, quam fratribus cæteris, hanc firmitatis ſcribere notitiam, ut nullo deinceps contradicente, præſcriptum locum quieto teneant ordine, & ut hæc notitia manere valeat firma per multorum temporum curricula, manu propria, manibus tam Epiſcoporum, quam Procerum, undique confluentium, firmavit, affirmarique rogavit, & Bernardi, qui inverpituram iſtam fecit. S. Ermengardis Reginæ, quæ fieri juſſit, & firmari rogavit. *S. Roſtagnus*, Archiepiſcopus Arelatenſis. *S. Andradus*, ſanctæ Cabilonenſis Eccleſiæ Epiſcopus. *S. Iſac* Gratianopolicenſis Epiſcopus. *Richardus*, (g) glorioſus Comes, firmavit. *Vindo* Comes firmavit. *Vigo* Comes firmavit. *Ratterius* Comes firmavit. *Teubertus* Comes firmavit. *Ragenardus* Comes firmavit.

XXVII.

Notitia Concordiæ, ſuper morte Prioris de Cuſsy, Cum Abbate Jurenſi.

Ex Manuſcripto Codice Cameræ Computorum Pariſ. qui liber Principum vocatur, nobis a *Domino d'Herouval* edito.

EGo *Blanca*, Comitiſſa Trecenſis *Palatina*, notum facio univerſis, præſentes literas inſpecturis, quod dilecti & fideles mei,

(g) *Richardus glorioſus Comes,*] non Boſonis Regis, Frater, Comes Heduenſis, & Dux Burgundiæ. Sed potius Ricardus Roſſillionis Comes, Abbatiarum Vezeliaci & Pulrariæ fundator. QUERCET. *in Hiſt. Burgund. lib. 2. c. 11.*

Digitized by Google

mei, Luca relicta Lamberti de Barro, & Petrus filius ejus, in præſentia mea conſtituti, creantaverunt, & fiduciaverunt, & *Plegios* dederunt Joannem Brebant, & Petrum de Maſſeys, quod Simoninus de Barro, Filius præfatæ Lucæ, ſuper foris facto illo, quod ei imponitur de morte Prioris de Cuſſy, ſtabit arbitrio & Ordinationi Venerabilium Virorum, *H. Trecenſis* (a) *Epiſcopi* G. (b) Abbatis Cluniacenſis, & Fratris Haymardi Templarii, videlicet de pœnitentia facienda, & de ſatisfactione exhibenda Deo & (c) Eccleſiæ, & ſpecialiter Eccleſiæ Jurenſi, & Epiſcopo Bellicenſi, prædictæ Eccleſiæ Abbati (d) Sciendum eſt autem, quod iſtud factum eſt de aſſenſu & voluntate præfati Epiſcopi Bellicenſis, & B. de Monte ſanctæ Germanæ, & B. S. Petri de Barro, Priorum, qui cum præfato Epiſcopo coram me, cum hoc fieret, affuerunt. Ego Epiſcopus Bellicenſis, cum hoc fieret, affui; & factum iſtud conceſſi & laudavi; & Sigillum meum appoſui in teſtimonium hujus rei. Actum anno Domini MCCXV. menſe Novembri.

XXVIII.

Notitia Comitiſſæ Valentinenſis, pro Abbate Liuncelli.

Ex Cartulario Liuncellano.

NOs FLOTTA (a) *Domina de Roianis*, uxor quondam Nobilis Viri, Wilelmi de Pictavia, & Mater Nobilis Viri Ademari

(a) *H Trecenſis Epiſcopi*] Hervæi.

(b) *G Abbatis Cluniac.*] Guilelmi.

(c) *Eccleſiæ Jurenſi*] Monaſterium eſt ſancti Eugendi Jurenſis, apud Sequanos antiquiſſimum & celeberrimum Ordinis S. Benedicti, vulgo Saint Claude.

(d) *Abbati*] Bernardi ſcilicet a Thoria, qui, depoſitis Epiſcopatus infulis, ex Epiſcopo Bellicenſi electus fuit, ſancti Eugendi Jurenſis Abbas, retento ſemper Epiſcopi Bellicenſis nomine, ut in *Hiſtoria Sebuſiana Part. 2. in Ep. Bellic.* monuimus.

(a) *Flotta Domina de Roianis*] hæc fuit uxor Wilelmi Pictavienſis, &

Digitized by Google

Ademari de Pictavia, Comitis Valentinenſis. Notum facimus univerſis, præſentibus pariter & futuris, quod, cum diſcordia verteretur inter Religioſum Virum, Dominum Andream, Abbatem *Liuncellis* Domus, nomine dictæ Domus ex una parte, & Petrum Sablon ſuper hoc, quod dictus Abbas dicebat; quod prædicti homines poſſidebant & diu poſſederant, quædam prata ad Tertium, quæ ſunt de dominio dictæ domus, tandem partibus compromittentibus in nos tanquam in amicum communem, viſis & auditis, quæ partes proponere voluerunt; diſcordiam taliter concordamus: videlicet, quod homines ſupra dicti & eorum Succeſſores poſſideant eadem prata, ſub annuo cenſu quinquaginta ſolidorum Viennenſium, in ſignum dominii, & de novo inveſtiant dicta prata; & pro inveſtitura ſolvant dicto Domino Abbati decem libras Viennenſes. Actum in Caſtro de Granna, *anno Incarnat. Dominicæ* M CC LXIII. *menſe J[illegible]ii.*

XXIX.

Donatio Monaſterio de Six.

Ex veteri Codice M. S.

AYmo, Dominus de Foucigniaco, univerſis præſentem paginam inſpecturis, æternam in Domino ſalutem. Noverit univerſitas veſtra, quod Dominus Stephanus Miles *de* 1126.

 Rou-

mater Ademari Comitis Valentinenſis, ejus nominis II. quod hucusque incognitum Hiſtoricis noſtris, ita, ut ſi *M. S Codici, de quo ſupra cap. 26. locuti ſumus*, fides adhibenda ſit, Wilelmum Pictavienſem primis nuptiis Comitiſſæ Dienſi nupſiſſe neceſſe eſt; a qua nullos habuerit liberos. Cæterum Dynaſtiam *de Roianis* apud Delphinates eſſe in Valentinenſi Comitatu, obiter notandum eſt, a qua dependent *Pons Roiani*, *Chabertum* & *S. Nazarius*. Stemma Domus Roianæ, ut ex ſigillo huic cartæ appenſo patet; Liliatum ſcutum eſt cum ſcutata coronide.

Rouιys, renuncians ſeculum, & regularium Canonicorum regularem habitum in manu Domini Jacobi, Eccleſiæ de Six Abbatis, ſuſcipiens, dedit Deo, & beatæ Mariæ & Servitoribus Eccleſiæ de Six, pro ſalute animæ ſuæ, & Anteceſſorum ſuorum, quidquid decimarum habebat in Parochia *de Myeury & Geneveydon, de Granneche*, & tenementum ejus, cum vinea, quæ prædictus *Geneveydus* faciebat in perpetuum. Nos vero, qui jam dictam domum, & ejus poſſeſſiones, tanquam Patronus & Dominus, ab omnibus defendere tenemur; hanc eleemoſynam volumus, & promittimus conſervare; & ut iſta donatio firmiter habeatur, & magis integra ad preces utriusque, ſcilicet memorati Abbatis de Six, & prædicta Stephani, præſentem cartulam ſigilli noſtri duximus munimine roborandam. Hujus rei teſtes ſunt, *Jordanus,* Capellanus de Caſtellione. *Rodulphus* de Taloire. *Wilelmus* de Boege. *Nantelmus de Graillié* (a) Milites, & multi alii. Anno Domini MCXXVI.

XXX.

(a) *Nantelmus de Graillié*] e Gralliorum familia Nobili ortus, quæ apud Geſios noſtros (Baillage de Gex) in pago Gebennenſi ſedem habet, ubi adhuc Caſtrum *de Grailly* (ſive patrio idiomate, Greilly) viſitur. Hinc prodeunt Domini *de Ville la Grand* & *de Veygié*, qui inter Nobiles Sabaudos non ultimum locum tenent; & olim prodiit Dominus *de Grailly*, Miles, Aquitaniæ Seneſcallus, circa annum 1300 qui rebus pro Eduardo Rege Angliæ ſtrenue & fortiter geſtis, Vicecomitatum Benaugii & Caſtellionis habuit, filiumque reliquit ejusdem nominis, qui *Blancæ Fuxiæ*, Comitis Fuxi filiæ, nupſit, e qua *Petrum* Dominum de Grailly, Vicecomitem Benaugis, & Captalem Buchi, *Raſſemburgiæ* Petragoricenſis maritum, ſuſcepit; horum unicus filius *Arcembaldus*, Dominus de Grailly, Benaugii & Caſtellionis Vicecomes, & Captalis Buchi, *Iſabellam Fuxiam*, Comitatus Fuxii hæredem, uxorem habuit, anno 1381. Is eſt, qui a Bonna Borbonia, Comitiſſa Sabaudiæ, Caſtrorum Greilliaci, Villæ

XXX.

Donatio Odonis Ducis Burgundiæ, Monaſterio Sancti Andochii.

Ex ejusdem Monaſterii originali littera.

EGo ODO, *Dux Burgundiæ*, notum facio præſentibus & futuris, quod *Regnaldus*, Viarius meus Eduenſis, (a) ad voluntа- 1195.

Villæ & Rotuli inveſtituram, Petro de Montagne Domicello, ejus nuntio, mediante, 15 Septembris anno 1392 accepit; quorum poſteritas aſſumpto *Fuxi* cognomine, Comites Fuxenſes, Lautrecios, Candallæos, Gurſonios, Flexienſes & Meillenſes, Benearni Principes, & Navarræ Reges, aliquot ſtupendo eventu glorioſe protulit; hujus rei veritas, quæ nulli hiſtoricorum noſtrorum innotuit; ex eo patet, quod anno 1447. die 14. Auguſti, *Gulielmus de Alingio*, Coudreæ Dynaſta, tanquam Franciſcæ a Verneto Maritus, illuſtri Joanni a Fuxo Caſtellionis Vicecomiti, Grailliaci; Villæ magnæ & Rotuli Domino, feudum præſtitit pro quibusdam rebus, a Caſtro Rotuli moventibus. Qui quidem Joannes Fuxus Margaretæ Suffolcienſi, Candalæ in Anglia Comitiſſæ, matrimonio ſe junxit, ſed cum in pugna, Anglorum partes ſecutus, a Regiis copiis jure belli captus fuiſſet & detentus; *Gaſto* Fuxus, ejus Pater, Longavillæ Comes, Meilliæ in Aragonia, Grailliaci, Villæ magnæ & Rotuli Dominus, ut filium a carcere liberaret, Margaretæ Candallæ Comitiſſæ, ejus uxori ſubveniret, & ſe erga creditores Aragonios magno ære exoneraret, mandatum dedit *Petro de Grailly*, Domicello & Arnaudo Bonin, Amanuenſi ſuo, die 3. Maji 1455. ut caſtra *Grailliaci*, Villæ magnæ & Rotuli venderent, qui hujus mandati virtute Grailliaci Caſtrum, cum omni jurisdictione, de Ludovici Sabaudiæ Ducis conſenſu, Ludovico Bonnivardi Conſiliario, Cambellano, & Ducalis hoſpitis Magiſtro, in Genuenſi Civitate 27. Auguſti ejusdem anni vendiderunt.

(a) *Viarius meus Eduenſis*] idem eſt apud Eduenſes, quod Divione Vicecomes Major, vulgo Maire. Viarii dignitas olim Æduæ ſupre-

luntatem & inſtantiam meam, ſpontanea etiam voluntate, guerpivit & donavit Deo & Eccleſiæ *Sancti Andochii Eduenſis*,(b) *Galterum Goiſto*, & hæredes ejus, in perpetuum pacifice poſſidendos. Præterea notum fieri volo, quod quidquid habebam in *Alberto de la Coruée*, & in hæredibus ejus, pro redemptione animæ meæ, & Prædeceſſorum meorum, præfatæ eccleſiæ dono & concedo: Decernens igitur, & volens, utramque donationem firmam & ſtabilem in poſterum permanere, ſigilli mei impreſſionem feci præſenti cartulæ in teſtimonium apponi: Huic facto interfuit Venerabilis *Galterus*, Eduenſis Epiſcopus, qui ad inſtantiam meam & ad preces Adelinæ, & ſanctimonialium Sancti Andochii, præſentem cartulam ſigilli ſui munimine roboravit. Hujus rei teſtes ſunt Dominus *Guido*, Prior Sancti Symphoriani. *Hugo* Eduenſis, Præpoſitus. *Seguinus*, Dominus Caſtri canini. *Huo*, Miles de Edua. *Regnaldus*, Viarius Eduenſis. *Regnaldus* de *Belna*, cognatus ejus. Acta hæc ſunt *Eduæ* apud vicum Sancti Joannis, in domo Regnaldi Vicarii. *Anno verbi Incarnati* M.C.LXXXXV.

XXXI.

ſupremi Magiſtratus nomen erat, qui jus vitæ & necis in Cives habebat, *Vergobretum* vocabant, nunc depravato nomine Vierg dicitur, ut nobis plena manu effundet Venerabilis & Clariſſimus Dominus THOMAS, *Cantor & Canonicus Eduenſis*, in ſua Eduenſi Hiſtoria.

(b) *Sancti Andochii Eduenſis*] Monaſterium Virginum eſt in civitate Eduenſi, Ordinis Sancti Benedicti, ſoli ſedi Romanæ ſubditum; quod olim Sanctæ Mariæ appellabatur, poſtea Sancto Andochio dicatum, a Brunechilde, Francorum Regina, fundatum, ut ex epiſtol. S. Gregorii magni liquet.

Digitized by Google

XXXI.

Homagium Amalrici, Narbonæ Ducis, Ebredunenſi Archiepiſcopo.

Ex Cartulario Eccleſiæ Ebredunenſis.

UNiverſis, ad quos præſens ſcriptum pervenerit, AMALRICUS, (a) Dei providentia Dux Narbonæ, Comes Tholoſæ, Vicecomes Biterrenſis, & Dominus Montisfortis, ſalutem in authore ſalutis. Univerſitati veſtræ præſentibus innoteſcat, quod Ego feci fidelitatem venerabili Patri & Domino noſtro, Bernardo, Ebredunenſi Archiepiſcopo, de omnibus illis, quæ habeo in *Ebredunenſi* Civitate, & in *Caturicis*, (b) & *Montegardino*, & in aliis locis in Ebredunenſi Archiepiſcopatu, ratione *Vercherlæ*, (c) uxoris meæ, filiæ Comitis Dalphini, (d) ſcilicet Andreæ. In cujus rei teſtimonium præſentes litteras curavi ſigilli mei munimine roborari. Actum apud *Avinionem*, anno ab Incarnatione Domini M CC XXII. in feſto Sanctæ Luciæ. 1222.

XXXII.

(a) *Amalricus*] Simonis illius Comitis Montisfortis, & Leyceſtriæ famoſiſſimi contra Albigenſes Ducis filius, poſtea Galliæ Comes ſtabuli.

(b) *Caturicis*] vulgo Chorges, in Diœceſi Ebredunenſi.

(c) *Vercheriæ*] id eſt, dotis; olim enim Allobroges, fundos & terras, in dotem mulieribus datas, Vercherias patrio ſermone vocabant, unde dotem Vercheriam appellarunt.

(d) *Filiæ Comitis Dalphini Andreæ*] Beatrix Delphina ea fuit, cujus mater Beatrix, Rainerii a Sabrano, Domini de Caſtellar, & Garſendæ, Comitiſſæ Forcalcherienſis, filia. QUERCETANUS *in Hiſt. Delph. cap. 6.* & fratres SAMMARTHANI, *Hiſt. Gen. Franc.* de matrimonio Amalrici cum Beatrice Delphina, contra hujuſce tabulæ fidem dubitarunt, quamquam ex ea plures habuerit liberos.

Digitized by Google

XXXII.

Donatio Edelgardis, Comitiſſæ Gebennenſis, Eccleſiæ Satiniati, ſtylo ſemi-Barbaro.

Ex Archivo Cameræ Computorum Camberienſis.

1007. SAcroſanctæ Eccleſiæ, ac Domui Dei, quæ in honore beati Petri, Apoſtoli Chriſti, ſita videtur apud Villam *Satiniatis*, (a) quæ eſt in pago Equeſtrico. Ego quidem ELDEGARDIS, cogitans Deum & ſalutem Domini RODULPHI Regis noſtri, ac remedium animæ jugalis mei, quondam bonæ recordationis, *Ayrberti* (b) Comitis, ſeu pro abſolutione facinorum meorum, & refrigerio Parentum noſtrorum, ſumpſit mihi voluntas, ut aliquid de rebus meis propriis vel mancipiis, quæ ipſe bonæ memoriæ mihi delegavit, & memoriale ſuum, quem ipſe in voluntatem habebat, poſt ſe conſtituere & perficere juſſit, ut ad ipſum locum ſanctum, vel ſuis Rectoribus concedere, ac condonare deberem, quod ita feci & dono; itaque ad ipſum altare & ſepulturam ipſius, qui mihi eaſdem res delegavit, ubi & ego tumulari opto. Manſum illum indominicatum in prædicta villa *ſatiniatis*, cum omni re ibi aſpiciente, præter hoc, quod in *Cauliaco* & in *Peliciaco* habere videor. Similiter dono ibi alias res in ipſo pago,

(a) *Satiniatis*] hodie dicitur *Verſoy*, in Geſii Ballivatu, ad Lacus Lemani ripam

(b) *Ayberti Comitis*] ſcilicet Gebennenſis, a quo antiqua Comitum Genevenſium tabula Genealogica, quæ in Genevenſis Civitatis Gazophylacio etiamnum videtur, incipit Ex tam illuſtri familia, in cujus commendationem & laudem plura deinceps daturi ſumus, ſolus ſuperſtes eſt *Illuſtriſſimus & Excellentiſſimus Dominus*, ALBERTUS EUGENIUS A GENEVA, *Lullini & Pancalerii Marchio, Ordinis Annuntiatæ Virginis Miles, Sabaudiæ Equitatus Præfectus*, rerum militarium gloria, & pluribus Legationibus clarus.

pago, & in villa *Calorge,* tam Manſum indominicatum, cum Eccleſia in honore beatiſſimæ Virginis Mariæ, omnibusque appenditiis ibi aſpicientibus, excepto illo, quod in villa Cretæ habetur. Inde in *Logratis* villa ſimiliter dono omnes res, quas ibi poſſidere videor, tam Manſum indominicatum, quod & illud ſub jam dicto pago. Dono etiam ibi alias res ſub ipſo pago, & in villa *Felgerias*, quidquid ibi aſpicit, vel ad me pertinet; præter hoc quod in *Gonziaco* habere videor; hoc eſt, tam terris quam agris, caſalibus cum ædificiis, tam indominicatis, quam & incolinitis, cum ſervis & uxoribus eorum, qui ipſas *Colonicas* proſervire videntur, vineis, pratis & ſylvis, rivis, fontibus, alpibus, arboribus pomiferis, & impomiferis, cultis & incultis, omnibus ad ipſas res pertinentibus, omnia & in omnibus, ad ipſum locum ſanctum, vel ſuis Rectoribus dono, lego & transfundo, & reſervo mihi ſervum, id eſt, nomine *Wolbertum,* cum uxore ſua; uſum vero & fructum de ipſis rebus, vel ſervitium de ipſis mancipiis diebus vitæ meæ mihi reſervo. Spondeo tamen annis ſingulis ad feſtivitatem Sancti Petri in cenſum Solidos V. ad Canonicos Sancti Petri *Genevæ* Civitatis, ob memoriam & refrigerium annuum ipſius defuncti. Similiter poſt me faciant annis ſingulis, qui ipſum locum regendi priores fuerunt, ad terminum inſtitutum: ſubjectionem vero ac patrocinium, vel piam defenſionem ad jam dictam Eccleſiam Genevenſem, volo & decerno, ac conſtituo, ubi *Dominus* RICULPHUS (c) Pontifex & Rector adeſſe videtur omni tempore, absque ullius contradictione; & ſi ullo tempore votum & conſtitutionem iſtam infringere tentaverit, aut in beneficium, vel *preſtariam* cuicunque aliquis voluerit transferre: Quia Eleemo-

K 2 ſynam

(c) *Riculphus Pontifex*] cujus meminit vetuſtiſſimus Genevenſium Epiſcoporum catalogus, in quo quadrageſimus primus in ordine ponitur.

ſynam pervertere viſus fuerit, habeant Pontificum authoritate propinquiores parentes noſtri in uſus proprios ipſas res, vel mancipia revocandi. Sane ſi quis vero, quod fieri non credo, Ego, aut ullus meus de meis hæredibus, vel quælibet perſona, contra hanc ceſſionem meam, ad ipſum locum ſanctum factam, venundari, aut eam infringere tentaverit, non valeat evindicare quod repetit, & ſit Rectoribus ejusdem loci culpabilis, & impleturus duplum tantum, quod ipſas res melioratas, vel eadem mancipia multiplicata fuerint, & ita ceſſio mea firma permaneat, ſtipulatione ſubnixa S. ELDEGARDIS Comitiſſæ, quæ hanc ceſſionem poſt votum & fideicommiſſum jugalis ſui feci, & firmari rogavi.

Ego in Dei nomine, *Majolus Levita*, ad vicem *Uldrici* Archi-Cancellarii, & præſente atque dictante, hanc ceſſionem ſcripſi, & *datum die Veneris X. Kal. Martii, Anno XXIV.* (d) *regnante Domino noſtro* RODULPHO *Rege.*

XXXIII.

Feudi Præſtatio Amedei Domini de Gex, Monaſterio S. Eugendi Jurenſis.

Ex ejusdem Eccleſiæ monumentis.

1225. EGo AMEDEUS DE JAS, (a) notum facio univerſis, ad quos præſentes litteræ pervenerint, quod ego de conſenſu & voluntate Matris meæ, & hominum meorum, donavi & conceſſi Deo & Eccleſiæ Sancti Eugendi, in alodio feudum de *Divona*, (b) ſicut Dominus de Divona a me tenet, & villam

(d) *Anno XXIV. regnante*] cum RODULPHI I. Burgundiæ transjuranæ Regis, regnum ab anno 888. inceperit, ut omnes Hiſtorici conveniunt, annus regni ejus 24. Chriſti nati eſt 1001.

(a) *Amedeus Dominus de Jas*] Amedei a Geneva, Domini de Gex, filius, *Aymonis I.* Comitis Gebennenſis nepos.

(b) *Divona*] Caſtrum eſt in Geſii Ballivatu, vulgo Divonne.

Digitized by Google

lam de *Soverniaco,* & villarium de *Cluſa,* quod ipſius erat, mihi in *feodum* conceſſit, & centum viginti quinque libras Gebennenſes donavit, pro quibus omnibus ego idem Eccleſiæ hominium feci, ſalva fidelitate Comitis Gebennenſis; ad hoc faciendum hæredes meos in perpetuum obligavi; ita quod ille de hæredibus meis, qui Caſtrum *de Jas* poſſidebit, quale homagium ego feci Eccleſiæ, tale eidem ipſe faciet, & ſupradictum feodum tenebit; & Ego, tactis ſacroſanctis reliquiis, juravi, fidelitatem eidem Eccleſiæ me perpetuo ſervaturum; nec unquam aliquo tempore vel pacto me contraventurum. Actum anno gratiæ MCCXXV. menſe Junio.

XXXIV.

Privilegium Carthuſiæ Sellionis, a Dominis CUSELLI *conceſſum.*

Ex ejusdem Eccleſiæ Avtographo.

NOtum ſit omnibus, præſentes litteras inſpecturis, quod ego *P. Dominus Cuiſelli,* (a) & Hugo dilectus filius meus, dedimus & conceſſimus in puram & perpetuam eleemoſynam, toti Ordini Carthuſienſi, & ſpecialiter Domui *Sellionis,* (b) pedagium, & omnes conſuetudines & exactiones per totam terram noſtram, & præcipimus fidelibus noſtris, quod, quando per eos tranſierint, eos tueantur & defendant. *Datum anno Domini* M CC XXX. 1230.

K 3 XXXV.

(a) *P. Dominus Cuiſelli*] id eſt Pontius, Oppidi Cuiſelli in patria Reverſi-montis Dominus, dicunt *Cuſeau,* qui Laurentiæ Milonis Barri ad Sequanam Comitis Nepti nupſerat, ex qua Hugonem de quo hic ſermo, *Cuiſelli* Dynaſtam, & tres filias ſuſcepiſſe legitur, quarum prior *Amedei* Domino de Gex, 2. *Hugoni* Albæ-Spinæ Domino, & 3 *Fromondo,* Domino de Tramelay collocatæ ſunt.

(b) *Sellionis*] Carthuſia eſt prope forum Sebuſianorum, vulgo Seillon.

Digitized by Google

XXXV.

Donatio Monaſterio Caſſaniæ, a Guidone, S. Triverii Domino.

Ex Cartulario ejusdem Monaſterii.

1177. NOverint præſentes & poſteri, quod GUIDO *de S. Triverio* (a) dedit Deo & Fratribus de *Caſſania* (b) jure perpetuo, quidquid juris habebat in territorio *de Fayſens*, & quidquid juris habebat in tribus partibus terræ, quæ erat fratrum de Villa, quæ dicitur *Frens*; (c) calumniam vero, quam movebat pro terra de Buxo, prorſus reliquit, hæc omnia filii ejusdem *Guidonis, Hugo* videlicet, *Guido* & *Guigo* laudaverunt. Fidejuſſores pacis ſunt, *Stephanus* Dominus de Villars, *Conſtantius* de S. Triverio, *Petrus de Vaſſaliaco, Berlio & Wicardus* filii ejus, teſtes *Utfredus* (d) Abbas, qui hoc donum recepit, & Wicardus Sub-Prior. *Actum anno* M. C. LXXVII.

XXXVI.

Littera Ludovici Regis, qua Prioratum Ambertæ ſub poteſtate ſua ponit.

Ex Cartulario Monaſterii Cluniacenſis, a *R. P. Petro Franciſco Chifflet*, e *Societate Jeſu*, nobis edito.

In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Amen.

1169. EGo LUDOVICUS, *Rex Francorum*, omnibus in perpetuum: Regiæ Magnificentiæ opus eſſe dignoſcitur; non ſolum

(a) *Guido de S. Triverio*] e Santriveriorum familia, apud Dombenſes Nobilis & antiqua: olim *Chabeu* vocabantur.

(b) *Caſſania*] Abbatia eſt Ordinis Ciſtercienſis in Sebuſia noſtra, Chaſſagne.

(c) *Frens*] Vicus eſt in Dombenſi Principatu.

(d) *Utfredus*] primus Caſſaniæ Abbas.

Digitized by Google

ſolum Eccleſias Regni beneficiis ampliare, verum & brachio defenſionis amplecti; & ne a dignitate Coronæ in manus alienas proceſſu temporis deveniant, præcavere. Notum itaque facimus univerſis, tam futuris, quam præſentibus, quod rogatu amici & fidelis noſtri, venerabilis Viri, STEPHANI, *Cluniacenſis Abbatis*, & totius Eccleſiæ, quæ magnum ejus Regni membrum exiſtit, & cujus Religio diebus noſtris inſigne ſanctitatis præbet exemplum; crebra etiam petitione dilecti & familiaris noſtri, *Artaldi*, Prioris de *Amberta*, (a) eandem Eccleſiam, videlicet *Ambertam*, cum omnibus appenditiis ſuis, in manu & protectione noſtra ſuſcipimus, decernentes, ut Eccleſia & poſſeſſiones ſuæ univerſæ in perpetuum ſub Regio permaneant dominio & protectione, authoritate etiam Regia prohibentes, ne alicui hominum noſtrorum, aut alii unquam homini, liceat eam aliquo modo ad aliam transferre poteſtatem. Quod ut ratum impoſterum, & immobili firmitate ſubnixum permaneat, ſcripto notari, & ſigilli noſtri authoritate confirmari præcepimus. *Actum publice apud Fontembliaudi, anno Verbi Incarnati* M C LXIX. *Regni vero noſtri* XXXIII. PHILIPPI, filii noſtri, nativitate 5. Subtus etiam inſcripto nominis noſtri caractere, aſtantibus in Palatio noſtro, quorum appoſita ſunt nomina: *S. Guidonis* Buticularii, *S. Mathæi* Camerarii, *S. Radulphi* Conſtabularii. Data per manum Hugonis Cancellarii, & Epiſcopi Suesſionis.

XXXVII.

(a) *Amberta*] Prioratus erat in Foreſiis celeberrimus, Ordinis Cluniacenſis.

XXXVII.

Donatio Eccleſiæ Inimontis, ab Alberto Domino de Turre.

Ex eodem Cartulario Monaſterii Cluniacenſis.

In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.

1202. EGo ALBERTUS, (a) Dominus de Turre; notum facio univerſis, præſentes litteras inſpecturis, me anno ab Incarnatione Domini M. CC. II. in manu Domini Abbatis Cluniacenſis, quondam Abbatis Radingenſis, dediſſe Domui *Inimontis*, (b) pro omnibus injuriis Eccleſiæ illi, & aliis membris Eccleſiæ Cluniacenſis illatis, poſſeſſionem illam apud *Neyriacum*, (c) quam teneram in partem meam *a Bernardo de la Cra*, integre & ſine aliqua retentatione in perpetuum poſſidendam libere & quiete, excepto Dominio paſcuorum; & ſimiliter dedi eidem Domui apud *Sarrarias*, (d) locum fullonum, & aquam fullonibus neceſſariam; ſimiliter & campum ſub illa via, quæ ducit ab Eccleſia ad rivum, quantum juris illic habebam, & pro damnis a me illatis hominibus Inimontis, dedi eiſdem hominibus & Eccleſiæ, ut in villa mea de *Luys*, (e) ab omni *leida*, quantum ad me, in perpetuum ſint immunes, hac conditione, ut ipſi remitterent mihi omnem inju-

(a) *Albertus Dominus de Turre*] id eſt, de Turre-Pini, in Delphinatu, non de Turre-in Arvernia, ſicut male opinatus eſt Clariſſimus Vir, CHRISTOPHORUS JUSTELLUS, *in Hiſt. Arvern. lib. 5. c. 9.*

(b) *Ynimontis*] Prioratus eſt in Bugeſia, Ordinis Cluniacenſis, vulgo Ynimont.

(c) *Neyriacum*] Vicus eſt non ignobilis ad Rhodanum, non longe a Groleæ Caſtro, Neyrieu.

(d) *Sarrarias*] vulgo Serrieres, juxta Rhodanum, in Bugeſienſi Provincia.

(e) *Luys*] Caſtrum eſt prope *Neyriacum*.

Digitized by Google

injuriam & rancorem: Recognovi etiam in prænominati *Abbatis*, & *Stephani* Prioris Portarum, & aliorum plurimorum præſentia, me in domo, villa & rebus *Ynimontis*, nullam gardam, dominium, aut conſuetudinem debere habere; hoc tamen retento, quod recognitio iſta non poſſit mihi nocere impoſterum, ſi poſſem probare legitimis ſcriptis, me aliquid ibi debere habere *dominii vel uſagii:* Hoc autem totum in perpetuum bona fide ſervaturum per me & per meos, & quod nullam Eccleſiæ Ynimontis facerem injuriam, tactis ſacroſanctis Evangeliis promiſi & juravi, tali conditione, quod ego non tenerer ſuper hac donatione vel juramento, ſi domus Ynimontis aliquod dominium vel Gardam tribueret alicui perſonæ *ſuper ſe Nobili vel potenti*, ne forte ſuper hoc mihi poſſet damnum aliquod evenire. Super hac autem pactione fideliter conſervanda, conſtitui Dominos Lugdunenſem & Viennenſem Archiepiſcopos, & ſuper eorum Capitula fidejuſſores, ſuper juſtitia contra me facienda, ſi a præſcriptis pactionibus reſilirem: hæc autem omnia ſupra ſcripta juravit *Albertus* filius meus, ſe bona fide in perpetuum ſervaturum; ſuper hac autem donatione, recognitione & juramento meo *Teſtes* ſunt *Nantelinus* Prior, *Bozo de Briord*, *Guigo de Moreſtel* & *Joſſeranus de Langes*, & alii, qui, ſuper horum omnium confeſſione & juramento facto a filio meo, ſimiliter teſtes ſunt.

XXXVIII.

Donatio Monaſterio Nantuaci, a Simone de Joinvilla, & Lyoneta de Gex.

Ex Archivo ejuſdem Monaſterii.

NOs *Simon de Joinville*, (a) Miles, Dominus *de Jays*, & Nos 1276.

(a) *Simon de Joinville*] alterius *Simonis* Domini de Joinville, Campaniæ Seneſchalli; & *Beatricis* Burgundæ, Dominæ de Marnay,

Nos *Leoneta*, (b) uxor ejus, *Domina de Jays*, notum facimus univerſis, præſentibus & futuris, quod Nobilis Vir *Amedeus*, quondam Dominus *de Jays*, Pater dictæ *Leonetæ*, bonæ memoriæ, dedit & aſſignari juſſit Prioratui *de Nantua*, (c) in eleemoſynam perpetuam quinque florenos, annuatim perſolvendos, pro remedio animæ ſuæ & Anteceſſorum ſuorum, & dicti floreni nunquam fuerunt ſoluti dicto Prioratui, nec etiam aſſignati. Nos volentes ipſius ultimam voluntatem, prout melius poſſumus & debemus, adimplere; illos quinque florenos aſſignamus in pedagio *de Jays*, & præcipimus, ut quiſquis pedagium emerit, ſive tenuerit, illos quinque florenos ſolvat dicto Prioratui, vel ejus mandato, in feſto Benedicti

nay, filius *Joannis*, Domini de Joinville, Seneſchalli Campaniæ, & *Goffredi* de Joinville, Domini de Vaucouleurs frater, uti e Feudi pro Caſtro de *Marnay* a noſtro *Simone* de Joinville, Domino de Gex, *Joanni* Comiti Burgundiæ, Salmenſi Domino, & Avunculo ſuo, præſtatione facta menſe Novembri 1255. conſtat, qua patrem, matrem & fratres nominat. Quod ignoravit CLAUD. MENARD. *in ſua Joinvillanorum Proſapia, in Not. ad vitam S. Ludovici.*

(b) *Leoneta*] unica filia & hæres Amedei Domini de Gex, & Beatricis Baugiacæ, ejus primæ uxoris.

(c) *Nantua*] inſigne Monaſterium eſt Ordinis Cluniacenſis in Bugeſia, cujus fundationem Sancto Amando Trajectenſi Epiſcopo. & conſecrationem Sancto *Gregorio* in *Hiſtor. Sebuſiana* perperam me tribuiſſe doctiſſimus & R. P. GODEFRIDUS HENSCHENIUS, *Societatis Jeſu Theologus*, in ſua *de Trajectenſi Epiſcopatu Diatriba*, æquo parum animo ſcripſit, contra Martyrologii & variorum ejuſdem Monaſterii titulorum Hiſtoricorumque fidem. Quoniam Epiſtola *Gregorii Magni*, ætati *Childerici* Regis; qui fundationem confirmavit, non convenit, quam ideo ſuſpectam disertis verbis agnovimus, & tanquam interpolatam ad calcem operis inter elucidationes adjecimus, ut benignus Lector videre poterit.

dicti Michaëlis Archangeli annuatim; promittentes bona fide, quod contra prædictam eleemoſynam & aſſignationem non veniebat in futurum. Et Nos *Joannes*, Prior de Nantuaco, ſi aliquid retentum fuerit de dicta Eleemoſyna contra voluntatem teſtatoris, vel minus plene ſolutum, vel etiam, ſi prædictus Amedeus, quondam Dominus *de Jays*, in vita ſua aliquid de rebus noſtris, per ſe, vel per alium, minus juſte ceperit, vel habuerit, illud remittimus & quittamus, in cujus rei teſtimonium nos prædictus *Simon*, Dominus *de Jays*, & Nos *Leoneta*, uxor ejus, & Nos, Prior de Nantuaco, præſentibus litteris ſigilla duximus imponenda. *Actum in octava Nativitatis* B. MARIÆ *Virginis, anno Domini* MCCLXXVI.

XXXIX.

Donatio Artaldi Comitis, Monaſterio Saviniacenſi.

Ex Cartulario ejusdem Eccleſiæ.

In Deî Nomîne.

EGo *Artaldus* (a) Comes, *Geraldi*, (b) quondam nobilis Viri, & *Gimbergiæ* filius, reminiſcens malorum omnium, quæ tam pro acquiſitione, quam etiam pro defenſione honoris mei, contra Dei præcepta egi; paveſco Dei judicia, pro his metuens æterna perpeti ſupplicia; verum quia longanimis eſt ſuper me Domini patientia, non differo diutius pœnitentiæ ſubire remedia. Nuper itaque Sacerdotum ac Miniſtrorum Dei adii Conſilium, quærens ab eis ſalubre con- ab Anno 984. ad Ann. 995.

L 2 ſilium,

(a) *Artaldus Comes*] Lugdunenſis ſcilicet & Forenſis, Hiſtoricis Lugdunenſibus & *Quercetano* notus. Horum Comitum pleniorem expectamus Hiſtoriam ab eruditiſſimo Domino de la MURE, *Eccleſiæ Montisbriſonis Collegiatæ Canonico & Sacriſtæ digniſſimo.*

(b) *Geraldi*] cujus pater fuerat alter *Artaldus* Comes.

Digitized by Google

filium, qui dijudicantes me ſecundum Sanctorum Canonum ſtatuta, hæc inter cætera mihi indixerunt monita, quo posſint levius mea ſolvi peccata. His ſalutaribus præceptis monitus, conſiderans, quæ & quanta erga Sancti Martini Monaſterium, quod vocatur *Saviniacum*, (c) commiſerim mala in deprædando villas ejus, ac devaſtando agros, primum ipſi *Beato Martino* aliquid ex rebus meis poſſeſſionis tribuo. Igitur Ego *Artaldus* dono de hæreditate mea Eccleſiæ Sancti Martini, quam regit Dominus *Abbas* HUGO, (d) una cum grege ſibi commiſſo. Eſt autem ipſa hæreditas ſita in pago Lugdunenſi, in agro Cogniacenſi, ſuper fluvium Ararim, in villa Toriniaco, hoc eſt, vinea indominicata, cum curtilis viridariis, campis, pratis, ſylvis, aquis, aquarumque decurſibus, ſervis etiam & ancillis, quantumcunque in ipſa villa viſus ſum habere, & in villa *Caſocco* manſum unum, cum omnibus appenditiis ſuis, id eſt, curtilis, campis, pratis, ſylvis, & quidquid ibi viſus ſum habere hæreditatis, & quidquid in *Miſeriaco* & in *Mota* videor habere, id eſt, portum cum piſcationibus, terras cultas & incultas, ſervos & ancillas utriusque ſexus, quidquid ego in prædictis villis, & a rivulo *Morgonæ* usque in Ronnencum viſus ſum habere totum ac integrum, usque in exquiſitum, dono Sancto Martino, & Monaſterio Saviniacenſi ad ſtipendium fratrum, Deo ibi inſervientium, pro emendatione mali facti, pro abſolutione omnium peccatorum meorum, & omnium parentum meorum; tali vero ratione hanc eleemoſynam in donationem fieri juſſi, ut a die

(c) *Saviniacum*] jam ſupta diximus eſſe Monaſterium Ordinis Sancti Benedicti, Divo Martino dicatum, in pago Lugdunenſi, non longe ab oppido la Breſle.

(d) *Abbas Hugo*] qui electus fuit anno 984. Indict. 2. conſentiente Conrado Rege, & Burchardo Archiepiſcopo Lugdunenſi. vid. *Cartul. Saviniac.*

a die præſenti ſupradictæ res in dominio & poteſtate Sancti Martini permaneant. Nullique hominum liceat ab hodierna die, & deinceps, quidquam de ipſis rebus ab ipſa Eccleſia auferre & deminuere, nec mihi, nec alicui Parentum meorum, vel propinquorum, nec Epiſcopo, nec Abbati, nulli inquam poteſtati. *S. Artaldi* Comitis, & uxoris ejus *Theodebergiæ*, (e) qui ita fieri & firmare rogaverunt. *S. Fredelanni, Vichardi, Milonis, Bernardi,* & alterius *Beraldi, Eteleni, Leudegarii.* Data per manum *Gerberini, menſe Martio, regnante* CONRADO (f) *Rege.*

XL.

Donatio Eccleſiæ Peloniaci, a Roberto Geneveníi Comite, ſtylo prorſus barbaro.

Ex Archivo Abbatiæ Abundantiæ.

SAcroſanctæ Eccleſiæ perpetuæ Virginis Mariæ, & Sancti Veranni, & Sancti Andreæ Apoſtoli, & illis reliquiis, quæ in iſta Eccleſia conſiſtunt, quæ eſt constructa in pago Genevenſe, & in villa de *Peloniaco*, (a) donat ROBERTUS Comes (b) de *aloto* ſuo, hoc eſt, Terram dominatam in pago Genevenſe, & in villa de Peloniaco manſos XII. & *Lunaticum* unum, & illos Caſalis quos in Peloniaco habebant, & in Broliaco manſos II. & in Rumblatis manſum I. & Lunaticum 1019. vel 1020.

L 3 unum

(e) *Theodebergia*] alibi Tetbergia vocatur.

(f) *Regnante Conrado Rege*] annus hic deeſt; ſed cum Hugo Saviniacenſis Abbas vixerit ab anno 984 usque ad annum 1005. & Conradus mortuus ſit anno 995. uti jam ſuperius judicavimus, neceſſe eſt, illud eveniſſe ab anno 984. usque ad annum 995.

(a) *Peloniaco*] vulgo *Pellionex*, in Diœceſi Gebennenſi.

(b) *Robertus Comes*] videlicet Gebennenſis; hic nota tres Comitum Gebennenſium generationes. *Conradum* nempe, iſtius *Roberti* patrem; & alterum *Conradum*, Roberti filium.

Digitized by Google

unum, & inter pratos, & campos, & Nonas manſos II. in Peloniaco, in Loyas manſos V. inter Feſigniaco & Alpiniaco manſos III. in Marſolatis Lunaticum unum, ad exertum manſum I. in Severnatis manſum I. a Avaliaco decimam de uno lunatico, a Preſennio decimam de *aloto*, quæ Roberto fuit, ad Maciliaco Caſalem unum cum vinea inſimul tenere inter Breſenatis & Aciſia & Eſtabulo manſos ſeptem a Seunfejo manſum I. a Peloniaco mannare I. a Filennio mannare I. iſtam terram tenent Canonici ſex in beneficium, qui in ipſum locum ſervitium faciunt, & donat Robertus de intus Cluſas Eccleſiam de Paciaco, & vineam indominicatam unam medietatem, & Contamineam indominicatam unam medietatem, & Boſco indominicato unam medietatem, qui in defenſum eſt, & de alia terra, quam *Robertus* pro *Aloto* tenet manſos XX. in ipſa Valle, in ipſa Eccleſia, quæ Magiſtratum tenet de ſex Canonicis, unam medietatem habet Eccleſia de Paciaco in ante; ipſam terram donat Robertus in Communia de intus Cluſas, excepto unam medietatem de Eccleſia de Paciaco, quam Magiſter tenet per deceſſum *Hugonis* Nepotis, & donat Robertus Comes iſtam terram, ſicut in iſta Carta commemorat pro Dei amore & bona voluntate, pro anima Epiſcopi *Geroldi*, (c) qui locum conſtruxit, & pro anima patris ſui *Conradi*, & pro anima ipſa *Roberti*, qui iſtam Eleemoſynam fecit, & pro anima filii ſui *Conradi*, & pro anima *Hugonis* Clerici, parentis *Roberti*; & donat Robertus ad Uſturia in Peloniaco manſum I. in Marſolatis manſum I. ad tectum reparandum; & donat Robertus iſtam terram de intus Cluſas, quæ iſta Carta commemorat in communia, in tali communia,

(c) *Geroldi*] is erat Gebennenſis Epiſcopus, cujus antiquum Eccleſiæ Genenenſis Tabularium, in quo Epiſcoporum Genevenſium Catalogus reperitur, meminit his verbis: *Girardus vel Giroldus, qui Eccleſiam de Pellionex fundavit*, quod huic Cartæ optime congruit.

Digitized by Google

nia, ut inſimul ſtent ab initio Quadrageſimæ, usque ad primum Lunæ poſt octava Paſchæ, & per tres Feſtivitates Sanctæ Mariæ, & feſtum Sancti Andreæ, & feſtum Sancti Veranni, & feſtum Sancti Petri, & feſtum omnium Sanctorum, & die S. Pentecoſtes; & donat Robertus, ſicut iſta carta commemorat, Sanctis qui in iſta carta denominati ſunt, pro Dei amore & bona voluntate, & pro anima Epiſcopi Geroldi, qui illum locum conſtruxit, & pro anima Hugonis Nepotis, Senioris Roberti, & pro anima Conradi Patris Roberti, & pro anima ipſius Roberti, & pro anima filii ſui Conradi, & pro anima Ugonis Clerici, Parentis Roberti, & donat Robertus iſtam Eleemoſynam ad illos Sanctos, qui in iſta carta denominati ſunt; & pro ipſis animabus, quas Dominus perduxit in vitam æternam, Amen.

S. Roberti, qui hanc donationem fieri & firmari rogavit. S. Conradi, filii Roberti, qui conceſſit & laudavit iſtam eleemoſynam. S. Everardi teſtis. S Walteri teſtis. Si ullus homo iſtam eleemoſynam voluerit tollere, quam Robertus fecit ad iſtos Sanctos, qui in iſta carta denominati ſunt, ſit excommunicatus, & meledictus, & damnatus, & anathematiſatus, & vituperatus a Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, & Sancta Maria, Matre Domini noſtri JEſu Chriſti, & a Sancto Michaele, cum novem ordinibus Angelorum, & a quatuor Evangeliſtis, Marco, Mathia, Luca & Joanne, & a Sancto Petro, Principe Apoſtolorum, qui habet poteſtatem ligandi & ſolvendi, & a Sancto Andrea, & a Sancto Veranno, & a Sancto Juſto, & ab aliis Sanctis, quibus iſta eleemoſyna data eſt, & a centum quadraginta quatuor millia innocentum, qui pro Chriſto paſſi ſunt, & ab omnibus Sanctis Dei, & ab univerſa poteſtate, quæ in cœlo & in terra ſcripta eſt, ſit ligatus & excommunicatus, & damnatus anima & corpore, ſicut Datan & Abiron, & Judas & Pilatus, qui Dominum tradiderunt, usque ad tenebras exteriores. Fiat.

Ego

Digitized by Google

Ego HUGO Epiſcopus de Geneva (d) Civitate, per diem Dominicam Miſſam cantabam ſuper altare Sancti Petri, Principis Apoſtolorum, qui iſtam excommunicationem & maledictionem feci, contra eum, qui iſtam eleemoſynam voluerit deſtruere, quam Robertus Comes fecit, ſicut iſta carta commemorat.

Ego BENEDICTUS, (e) Sanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ Præſul, confirmans decrevi, ut nullus homo ſupra dictam hæreditatem Sanctæ Mariæ Dei Matris, & Sancti Veranni, & Sancti Andreæ, ab eorum jure ſubtrahat; quod ſi fecerit, Apoſtolico anathemati ſit ſubmiſſus.

XLI.

Carta quædam de Lege Salica.

Ex Cartulario Eccleſiæ S. Vincentii Matiſconenſis.

DOmino fratri *Adalgiſo*. Ego *Altaſia* & filii mei *Beraldus* Presbyter, & *Wlfardus* venditores, vendimus res noſtras, quæ ſitæ ſunt in pago Matiſconenſi, in *Agro Fuſciacenſe, in Villa Varennas,* (a) hoc eſt, curtile cum vinetis, & arboribus, & campo, qui dividitur a mane terra Rumat, a meridie de via publica, a ſero - - - Lentgando Presbytero, quæ res intra iſtos terminos ſunt mihi obventæ in ſponſalitio de parte *Senioris* mei, *Humberti*, ego & filii mei, Beraldus videlicet,

(d) *Hugo Epiſcopus de Geneva*] qui Geroldo immediate ſucceſſit.

(e) *Benedictus*] nominis hujus octavus Pontifex, qui obiit anno 1023. Ideo confirmationem hanc, ſecundum *Hugonis* Genevenſis Epiſcopi tempora factam fuiſſe circa annum 1019. vel 1020. conjicio.

(a) *Fuſciacenſe & Varennas*] Vici ſunt in Comitatu Matiſconenſi, vulgo *Fuiſſé & Varennes.*

ſicet, atque Wlfardus, tibi vendimus ſecundum *Legem Salicam*, (b) tradimus atque transfundimus, & accipimus de vobis pretium Valent. X. ſolidos, & pro ipſo pretio de ipſis rebus verpitionem tibi facimus, ut facias de ipſis, quidquid volueris. S. Altaſiæ, S. Beraldi, S. Aldonis, S. Hiraldi, S. Bernolfi.

XLII.

Venditio a Domino Nantonis, Prioratui S. Petri de Belna.

Ex Cartulario Monaſterii Cluniacenſis.

NOverint univerſi, præſentes & futuri, quod *Leobaldus de Nanto*, (a) miles, & uxor ejus, *Matildis*, laude & aſſenſu filiorum ſuorum, *Guidonis* militis, & Joannis fratrum, & Anſelici filii ejusdem Matildis vendiderunt. W. Priori S. Petri Cluniacenſis *de Belna*, (b) manſum, qui eſt inter domum ipſius Prioris & manſum Bergamorum, & ab eodem receperunt pretium venditionis, ſcilicet Valentiam quatuor viginti & decem librarum, & tenentur, ut venditores, *garentire*. In cujus rei memoriam & teſtimonium præſens carta, ad preces utriusque patris, munita eſt ſigillo communi Belnenſ. Actum eſt hoc publice & ſolemniter apud *Belnam*, anno ab Incarnatione Domini noſtri JEſu Chriſti, M CC XIV. menſe Octobris. 1214

XLIII.

(b) *Secundum Legem Salicam*] viderint hic authores hujus ſæculi, qui iniquo prorſus animo contra legem Salicam tam acriter declamarunt: eam non fuiſſe incognitam *in Comitatu Matiſconenſe*, ſicut eam apud Sebuſianos & Helvetios viguiſſe, jam alibi diximus.

(a) *Nanto*] Caſtrum eſt in Diœceſi Cabilonenſi, unde Nobilis & antiqua Familia de *Nantom prodiit*.

(b) *Belna*] vulgo Beaune.

Digitized by Google

XLIII.

Præſtatio Feudi a Domino de Turre Eccleſiæ Lugdunenſi.

Ex Cartulario majori Eccleſiæ Lugdunenſis.

1228. EGo ARBERTUS, (a) Dominus *de Turre*, notum facio per præſentes litteras univerſis, quod Dominus *Robertus*, Archiepiſcopus & Eccleſia Lugdunenſis, conceſſerunt mihi & hæredibus meis in feodum & caſamentum, caſtrum *S. Andreæ*, cum mundamento & pertinentiis ejusdem, propter quod ego & hæredes mei tenemur reddere dictum caſtrum dictis Archiepiſcopo & Eccleſiæ Lugdunenſi, vel eorum alteri, cum a nobis petierint; ob hoc etiam debemus ego & hæredes mei *hominium & fidelitatem* ligiam dictis Archiepiſcopo & Eccleſiæ, excepta fidelitate & hominio ligio Eccleſiæ Viennenſis & Comitis Sabaudiæ. Pro hac autem conceſſione, Ego caſtrum *de Antone*, (b) quod ab eisdem Archiepiſcopo & Eccleſia habebam, juravi, me eis redditurum, vel eorum alteri, quoties fuero requiſitus; inſuper, quidquid ego habeo, vel alius habet a me citra *Chareis* verſus Rhodanum & Lugdunum, cepi ab eisdem Archiepiſcopo & Eccleſia, eo excepto, quod habeo in terra *del Malchi*, munitiones quoque, quas infra dictum terminum habeo, vel in futurum fecero, vel habuero, teneor eis

(a) *Albertus Dominus de Turre*] hujus nominis III. Alberti II. domini de Turre-Pini, & Mariæ de Turre Comitiſſæ, filius Hugonis de Turre, Epiſcopi Claromontenſis frater. CHRISTOPH. JUSTELLUS *Hiſtor Arvern lib. 5. cap. 9.* Bernardum quemdam Dominum de Turre in Arvernia ei fratrem primogenitum addit, quod omni fide caret.

(b) *Caſtrum S. Andreæ*] ad fluvium Suranum in Sebuſianis meis, vulgo S. André ſur Suran, quod hodie poſſidet Abbas Ambroniacenſis.

Digitized by Google

eis reddere. De aliis autem, quas alii a me habent, vel in futurum habuerim, eo modo eis teneor, vel tenebor, quo alii mihi tenentur, vel tenebuntur; in conceſſione autem mihi facta retinuerunt dicti Archiepiſcopus & Eccleſia in *pedagio* legitimo & antiquo, pro ſingulis *troſſellis* octo denarios, quos percipere debent, & levare in perpetuum, ubicumque levabitur pedagium, ſive in terra de *Coloniaco,* ſive alibi, occaſione terræ de *Coloniaco.* Hanc retentionem pedagii, & omnia ſupradicta, pro me & hæredibus meis eisdem bona fide conceſſi, promittens cum juramento, ſuper ſancta Dei Evangelia præſtito, me omnia ſupradicta bona fide ſervaturum, & nulla ratione contraventurum. *Beatrix* (c) quoque, uxor mea, omnia ſupradicta conceſſit & promiſit juramento, ſuper ſancta Dei Evangelia corporaliter præſtito, ſe ea bona fide ſervaturam, & nulla ratione contraventuram. In cujus rei ſecuritatem & teſtimonium, Ego & ipſa præſentem cartam conceſſimus eisdem Archiepiſcopo & Eccleſiæ, ſigillorum noſtrorum teſtimoniis communitam. *Actum anno Domini,* MCCXXVIII. menſe Junii.

XLIV.

Præceptum Rodulphi Regis de Talveriis.

Ex Cartulario Monaſterii Saviniacenſis.

In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.

RODULFUS, (a) divina favente gratia Rex. Rebus noſtris ab anno 1007. usque ad ann. 1032.
Eccleſias Dei augmentare, more Regum Prædeceſſorum noſtrorum, utile ducimus, & honeſtum dijudicamus. Qua-

(c) *Beatrix*] Hugonis Coloniaci & Reverſi-montis Reguli filia; cujus illuſtris familiæ Hiſtoriam Genealogicam ſcripſit Clariſſimus *Vir*, D. JOAN BOUCHETIUS, quæ adhuc ſub prelo eſt, magno omnium Galliæ litteratorum deſiderio.

(a) *Rodulfus III.*] ſcilicet Burgundiæ transjuranæ Rex.

Digitized by Google

propter notum ſit omnibus Dei, Eccleſiæ, & noſtris fidelibus, natis, & naſcituris, qualiter ob animæ noſtræ remedium, & petitione IRMINGARDIS (b) Reginæ, conjugis noſtræ dilectæ, & *Burchardi* Archiepiſcopi, fratris noſtri, & *Burchardi*, Viennenſis Archiepiſcopi, cæterorumque noſtrorum fidelium. Damus in pago *Albanenſe* (c) *Talveris*; (d) villam cum appenditiis ſuis, & cum Eccleſia in honore Sanctæ Mariæ, & Sancti Petri, & Sancti Mauritii conſecratam, ad Sanctum Martinum, & Monaſterium Saviniacenſe, & ad regimen & ſubjectionem *Iterii Abbatis*, (e) & ſucceſſorum ejus, & utilitatem fratrum, Talveriis monaſtice Deo famulantium; ita ut in noſtra tuitione & *Irmingardis* Reginæ, & ſucceſſorum noſtrorum Regum remaneat. Et ut hæc a nobis facta credantur, manu noſtra roboravimus, & ſigillari juſſimus, *S. Domini Rodulfi Regis*.

XLV.

Carta Raynaldi Archiepiſcopi Lugdunenſis, pro Eccleſia Cluniaci.

Ex Cartulario ejuſdem Monaſterii.

1203. NOverint tam præſentes, quam futuri, quod ego R. (a) *Dei gratia* primæ Lugdunenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, de

(b) *Irmingardis*] eadem eſt, quæ poſtea anno Domini 1025. Prioratum Talveriarum fundavit, ut dicemus *in Hiſtoria noſtra Sabaudica*

(c) *Albanenſe*] Pars ea Ducatus Gebennenſis, quæ Anneciacum, Talverias, Rumiliacum, & loca circumvicina continet. Pagus olim Albanenſis vocabatur, vulgo Albanois.

(d) *Talverias*] inſigne Monaſterium eſt Ordinis Sancti Benedicti, ab Abbatia Saviniacenſi dependens, ad lacum Anneciacum, vulgo Taloire

(e) *Iterii Abbatis*] qui Duranno Abbati anno 1007 electo ſucceſſit, ideo præceptum illud ante fieri non potuit; Sed quando non liquet, deficiente anno regni Regis Rodulphi, qui obiit 1032.

(a) R.] Raynaldus.

Digitized by Google

de mandato *Guidonis* (b) fratris mei, Comitis Forenſis, cum haberem Comitatum Forenſem in manu mea nomine tutelæ Liberorum ejus, nepotum meorum, aſſignavi Abbati & Conventui Cluniacenſi totam decimam *Villæ de Nerviaco*, (c) citra aquam & ultra aquam, ſcilicet majorem & minutam decimam pro decem libris Lugdunenſis monetæ, quas debitales annis ſingulis de mandato præfati fratris mei eis aſſignare tenebar, libere & ſine aliqua diminutione jure perpetuo poſſidendam; ita, quod nec Ego nomine Archiepiſcopi, vel aliquis ſucceſſorum meorum, ſive Capitulum Lugdunenſe, pater meus, ſive nepotes mei, vel hæredes eorum, aut aliquis alius in prædicta decima aliquid vendicare poſſimus; ſed ea integra in annona, cum nutrimentis animalium, ad faciendum anniverſarium ſæpe dicti fratres mei Eccleſiæ Cluniacenſi quieta & in pace remaneat, & ſciendum, quod ad hanc decimam colligendam nullus miniſter eſt per hæreditatem, vel per aliquam ſucceſſionem; ſed ille eam colligit & feret ad utilitatem Eccleſiæ, cui Abbas, vel nuntius ejus ipſam committere voluerit colligendam & ferendam in ea libertate, in qua tempore fratris mei hoc fieri conſuevit. Ego quoque ad majorem firmitatem authoritate Archiepiſcopi ratum iſtud habeo, & ſigilli mei authoritate confirmo. Hoc laudaverunt *Pater meus* (d) & nepos meus *Guigo*, & ſorores ejus *Guigona* & *Marquiſſa*, (e) & uxor fratris mei *Adaladix* (f) Comitiſſa.

 Teſtes

(b) *Guidonis*] usque ad annum 1205. vixiſſe Comitem hunc Foriſienſem QUERCETANUS ſcripſit, quod poſſibile non eſt; Raynaldus ſiquidem Archiepiſcopus Lugdunenſis, ejus frater, jam ante annum 1203. liberorum ſuorum tutelam geſſerat.

(c) *Nerviaco*] vulgo Nervieu, in Comitatu Foreſii.

(d) *Pater meus*] Guigo II. ſcilicet Lugdunenſis & Foriſienſis Comes, qui Guidone III. filio ſupervixerat.

(e) *Marquiſſa*] ea eſt, cujus proprium nomen in Foreſiorum Comitum proſapia apud *Quercetanum* deeſt.

(f) *Adaladix Comitiſſa*] ejus quoque nomen Quercetano incognitum fuit.

Digitized by Google

Teſtes ſunt Hugo Benedictionis Dei & Euſtorchius Mauricienſis, Abbates, Guilelmus Archipresbyter de Nerunda, Durannus de Spodis, & Joannes de Vaura, Joannes Roche, Aymardus de Vernol, Catardus de Suire, & Chatardus de Tierno. *Actum anno Incarnat.* M CC III. *menſe Decembri.*

XLVI.

Donatio Guilelmi Gebennenſis Comitis Monaſterio Agaunenſi.

Ex Cancellaria ejusdem Monaſterii.

1245. NOs *Guilelmus*, Comes Gebennenſis, univerſis Chriſti fidelibus, præſentem paginam inſpecturis, rei geſtæ notitiam cum ſalute: Quoniam labilis eſt hominum memoria, & eorum vita in momento tranſitoria; eapropter univerſitati veſtræ, tenore præſentis paginæ volumus fieri manifeſtum, quod nos pro remedio animæ noſtræ, *Alaidis* (a) uxoris noſtræ, & filiorum noſtrorum, omniumque Anteceſſorum noſtrorum in perpetuum, Eccleſiæ S. Mauritii Agaunenſis & Abbati, ejusdemque loci ſervitoribus, dilectis & cariſſimis noſtris, quibus integræ & veræ fidelitatis & fidei tenemur & adſtringimur ligamento *pedagium*, quod nobis, aut alicui nomine noſtro apud caſtrum *de les Clez* ſolvere tenentur, pro rebus eorum, quæcumque fuerint, & quandocumque ipſas per illum locum tranſire contigerit, vel etiam deportari remittimus; & hoc pro nobis & noſtris hæredibus ſeu ſucceſſoribus, promittimus, ſolenniter ſtipulando, futuris temporibus tueri, & inviolabiliter obſervare. Si quis autem ex noſtris hæredibus, ſive ſucceſſoribus, contra donationem iſtam aut eleemoſynam venire præſumpſerit, maledictionem induat pro benedictio-

(a) *Alaydis*] filia erat *Alberti III* Domini de Turre Pini, & *Mariæ* de Turre-Averniæ, quæ in dotem habuit Caſtra Cornillonis & de Bornant, ut ex ejus teſtamento patet, anni 1256.

dictione, & Dominus JEſus in diſtricto die Judicii dignam retribuat talionem. Hujus rei teſtes ſunt Dominus Abbas dicti loci, Wilelmus *Theſaurarius*, Nicolaus *Cantor*, Aymo de Sancto Paulo, *Canonici*, Dominus Albertus de Compeys, *Miles*, Valterus de Albiaco *Miles*, Wilelmus Mareſch. *Actum anno Domini* MCCXLV. menſe Auguſto.

XLVII.

Verpitio Eccleſiæ Cluniacenſi, a Comite Matiſconenſi.

Ex Cartulario Monaſterii Cluniacenſis.

Univerſis præſentes litteras inſpecturis.

JOannes, *Comes Matiſconenſis*, (a) & *A.* Comitiſſa, uxor ejus, 1237.
ſalutem in Domino. Univerſitati noſtræ notum facimus, quod Nos in quadam domo Cluniacenſis Eccleſiæ, quæ dicitur *Montis-Bertholdi*, (b) prope Lugdunum, unam habuimus, vel percepimus, vel exegimus aliquam *Procurationem*, (c) aut giſtum

(a) *Joannes Comes Matiſconenſis*] Joannes Drocenſis vocabatur, e Comitum Drocenſium ſtirpis Regiæ familia, qui Alexiæ Comitiſſæ Matiſconenſi nupſerat.

(b) *Montis-Bertholdi*] vulgo Montberthod, Prioratus in Dombis Ordinis Cluniacenſis.

(c) *Procurationem*] id eſt, annonæ cibaria, quibus Epiſcopus viſitans, item Epiſcopi Comites & jumenta paſcuntur, de quo ſubſidio *in cap. conquerente de Off. ordin. cap. cum Apoſtolus, cap. ſopitæ de cenſibus.* Quod verbum non adeo inſolens in hoc ſignificatu videri debet, quandoquidem ſcriptores Claſſici verbum procurare, pro cibo vires reficere nonnunquam uſurpaverint, ut ſummus Poëtarum. *Æneid 9*

Quod ſupereſt læti bene geſtis corpora rebus
Procurate viri.

Apud FULBERT. *ep. 110.* & JUON. *Carnol. ep. 49.* Procuratio vocatur Cirrada, quia circantibus & circumeuntibus, id eſt, viſitantibus debetur. Viſitationi enim annexa eſt procuratio. cap. cum Venerabilis de Cenſib.

Digitized by Google

giſtum ſeu exactionem; & ſi quid de prædictis in eadem domo habere de jure poſſumus, vel debemus, vel Prædeceſſores noſtri aliquo modo habuerunt. Hoc penitus libere & abſolute pro nobis & ſucceſſoribus noſtris damus, concedimus & quittamus in perpetuum, Abbati & Cluniacenſi Eccleſiæ ſupradictæ, ut noſtri noſtrorumque memoria a Succeſſoribus in Eccleſia Cluniacenſi in perpetuum habeatur; in cujus rei teſtimonium & confirmationem præſentibus litteris Sigilla noſtra fecimus apponi. *Actum anno Domini* MCCXXXVII. menſe Januario.

XLVIII.

Privilegium Monaſterio Portarum a Domino Montislupelli.

Ex Portarum Cartophilacio.

1217. EGo *Humbertus, Dominus Montislupelli*, (a) notum facio omnibus hominibus hanc Cartam inſpicientibus, pro ſalute & remedio animæ meæ, & parentum meorum, me dediſſe domui Portarum per totam terram meam, tam terra quam in aqua, pedagia & uſagia, videlicet, ut quidquid aliquis converſus, ſive alius Nuncius Domus *Portarum* (b) emerit, vel vendiderit, nullum *Oſagium* dare, quidquid duxerit, vel per terram, vel per aquam, tam in deſcenſu quam aſcenſu, nullum *pedagium* ſolvere teneatur; præterea omnes homines, qui ad Domum Portarum gratia viſitationis, vel negociationis, vel operationis acceſſerint, & ſecum Nuntium Portarum habuerint, tam in adventu quam in reditu, ab omnibus hominibus meis amicis accipio perpetuo in *guidagio*, & conductu

(a) *Montislupelli*] vulgo Montluel, in agro Vallis-Bonæ apud Sebuſianos.

(b) *Portarum*] Carthuſia eſt in Bugeſio, *Portes*, totius Ordinis poſt magnam Carthuſiam antiquiſſima, non longe a S. Ramberti Oppido.

ductu meo; ut autem hæc eleemoſyna mea rata ſit in perpetuum, præſentem cartam ſigilli mei munimine roborari feci. *Anno ab Incarnat. Domini* MCCXVII. *actum eſt iſtud.*

XLIX.

Fundatio Prioratus Campimuniti ab Aymone, Comite Gebennenſi.

Ex veteri Codice M.S.

In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.

EGo AYMO, *Comes Gebennenſis*, & filius meus *Giroldus*, damus & concedimus Domino Deo Salvatori noſtro, & Sancto Michaeli Archangelo *de Cluſa* (a) omnem *Campummunitum*, (b) cum appenditiis ſuis, ex aqua, quæ vocatur *Dyrſaz*, & rupe, quæ vocatur *Alba*, usque ad *Balmas*, ſicut ex integro ad Comitatum meum pertinere videtur, id eſt, terras, ſylvas, Alpes, venationes & banna, & Monachi Deo & Archangelo ſervientes hoc totum habeant, & teneant ſine contradictione alicujus hominis, & nihil nobis niſi eleemoſynas & orationes pro animabus noſtris, & Parentum noſtrorum retinemus, ut Sanctus Michael Archangelus perducat nos & illos in Paradiſum exultationis. Si quis autem, quod abſit, hoc donum confringere voluerit, in anathemate & maledictione ſit, ſicut Datan & Abiron, quousque reſipiat, & ſatisfaciat; ex iſtis ergo donis ſunt legitimi teſtes uterini fratres Comitis, *Wilelmus Fulcigniacus* & *Amedeus* & *Turumbertus de Naugiaco*, & *Albertus* Miles, & *Angobardus* Presbyter & Silico. Ego

ab anno 1088. usque ad annum 1099.

(a) *Michaeli de Cluſa*] Monaſterium eſt inſigne Ordinis S. Benedicti in Pedemontio.

(b) *Campum-munitum*] vulgo Chamonix, Prioratus Benedictinorum, ab Abbatia Divi Michaelis de Cluſa, dependens in editiſſimis Fucigniacæ Provinciæ jugis.

Digitized by Google

Ego *Andreas,* Comitis *Capellanus,* hanc Cartam præcepto ipſius Comitis ſcripſi & tradidi *feria 7. Luna XXVII. Papa* URBANO *regnante.* (c)

L.

Donatio Monaſterio Cluniaci, ab Hugone Duce Burgundiæ.

Ex Cartulario ejuſdem Eccleſiæ.

ab anno 1075. uſque ad annum 1078. QUoniam humana ſæpe vita in decurſu eſt, & quotidie in proclivia labitur, tam in progreſſu dierum, qui ſemper aſcendendo minuuntur, quam præteritorum delapſu, qui volentes, nolentesve nos ſemper infeſtant, ad mitigandam tantam miſeriam, oportet, nos aliquid medelæ, dum vacat, nobis adhibere. Quod ego HUGO, (a) *Dux Burgundiæ,* conſiderans pro ſemper permanentibus, transeuntia mutuare cupiens; Ideo dono Deo & Sancto Petro, Cluniacenſique Cœnobio, poteſtatem juris mei, quæ vocatur *Mondie,* & omnia quæ ad illam pertinent, pro peccatorum meorum redemptione, & progenitorum meorum venia culparum, & ut participes fiant omnium bonorum, quæ fiunt in illo loco, & in centum locis ad ipſum pertinentibus. Hujus autem donationis laudatores & teſtes ſunt, inprimis *Sibylla* (b) uxor mea, cui eamdem villam in dotalitio dederam, & *Henricus* (c) frater meus,

(c) *Papa Urbano regnante*] ejus nominis II. ideo hujusce fundationis carta referri debet anno 1088. uſque ad annum 1099. quo Urbanus obiit.

(a) *Hugo Dux Burgundiæ*] ejus nominis I.

(b) *Sybilla uxor mea*] TILLIUS, QUERCETANUS *Hiſt. Duc. Burg cap. 3* & SAMMARTHANI fratres, *Hiſt. Gen. Franc. lib. 18. cap. 3* tradendoſe uxorem Hugonis, *Tolandam*, Wilelmi Nivernenſis Comitis filiam fuiſſe exiſtimarunt, cum hic Sibylla vocetur.

(c) *Henricus frater meus*] Portugalliæ Comes, a quo Reges Luſitaniæ.

Digitized by Google

meus, & Comes *Guilelmus*, genitor jam dictæ uxoris meæ, *Raynerius* Seneſchallus, *Humbertus de Fonuens*, *Hugo* Vicecomes de Belna, & Raymundus frater ejus, & Seguinus de Belna; *Litandus* de Ruclia; *Landricus* de la Freſcurte, & alii multi de familia mea. Hæc autem poteſtas, ſive Villa, in pago Eduenſi eſt ſita, & hoc donum factum eſt tempore *Aganonis*, (d) Auguſtodunenſis Epiſcopi.

LI.

Donatio Monaſterio Saviniacenſi, a Comite Foreſii.

Ex Cartulario Saviniacenſi.

DOmino HENRICO *Auguſto*, bellum cum RODULFO *Duce* gerente, Sanctoque Papa HILDEBRANNO in Apoſtolico ſolio reſidente, atque Archiepiſcopatu Lugdunenſi, ſub regimine Domini GEBUINI quieſcente, Domno etiam DALMATIO, Savinienſis Monaſterii baculum tenente, WIDELINUS (a) *Comes Foreſii*, atque Falco, cum Berardo & aliis fratribus ſuis, *Umberto & Wichardo; Theotarino* quoque cum fratribus ſuis, *Milone* & *Altardo*, ſive *Agnone*; *Beraldus* etiam cum *Rotbaldo* fratre ſuo, *Duraniusque Varenarum* cum fratribus ſuis, ac *Lino Sancti Nicetii*, & *Durandus Monaior, Arnulfusque, Guigo* cum uxore ſua *Pontia*, omnibusque ſuis hæredibus, omnes concorditer hanc Cartam de Ec- 1078.

 clesia

(d) *Aganonis*] qui ab anno 1072. usque ad annum 1087. Eduæ ſedit. Cum autem Hugo in Burgundia anno 1075. tantum regnare cœperit, & veſtem monachalem Cluniaci anno 1078. induerit, neceſſe eſt, hanc donationem factam fuiſſe ab anno 1075. usque ad 1078.

(a) *Widelinus Comes Foriſii*] nulli hiſtoricorum noſtrorum hucusque notus, qui, ut opinor, pater *Guilelmi Comitis Lugdunenſis & Foriſii*, a quo QUERCETANUS *in Hiſt. Burg. lib. 3. cap. 70.* proſapiam Comitum Foriſienſium inchoavit, erat.

Digitized by Google

cleſia Sanctæ Paulæ, quæ ſita eſt in Parochia Sancti Laurentii, cum finibus ſuis, fieri juſſerunt & laudaverunt; quum Comes *Artaldus*, pater ejus, Sancto *Martino Savimacenſi*, cum omnibus ſupradictis pro anima ſua dedit, & ità libere, quod nec Vicarius, nec ullus homo in Eccleſia, nec in honore ejus, vi aliquid & fraude apprehendere poſſit, ſine anathemate, a Vernea usque ad Balneum, & a Balneo usque ad *alodos*, & ab *alodis* usque ad ſylvam, quæ vocatur *Kuironella*, & ab illa usque adcorſum ad *Verneam*; atque dedit licentiam nobis accipiendi & emendi ab omnibus hujus terræ poſſeſſionibus. Quod ſi quis aliquid campi, aut vineæ & ſylvæ, & pro anima ſua, & pro pretio nobis dare voluerit, quod nos ſine ulla offenſione & occaſione nullius hominis accipere poſſumus. S. Vuidelini *Comitis*, Falconis, Agnonis, Berardi, Umberti, Wichardi Teotgrini, Milonis & aliorum ſupradictorum. *Facta eſt carta iſtius doni, menſe Majo feria 12. & XIV. anno Domini* M LXXVIII. Indict. I. concurrente VI. Epacta IV. ſcripta manu Laurentii Monachi.

LII.

Donatio Eccleſiæ Brivatenſi, a Dalmatio Vicecomite Poliniaci.

Ex Cartulario Eccleſiæ Brivatenſis, nobis a Clariſſimo Viro, Domino *Joanne Bouchetto* transmiſſa.

ab anno 923. usque ad annum 936. SAcroſanctæ Dei Eccleſiæ, S. Juliani Martyris vico *Brivate*, (a) qua ipſe Sanctus Dei Martyr corpore, cum cæteris Sanctis, requieſcit, ſub quo loco *Dalmatius* (b) Dei gratia *Vicecomes*, Rector præeſſe videtur temporibus *Cuneberti* Præpoſiti

(a) *Brivate*] Brioude in Arvernia.

(b) *Dalmatius Dei gratia, Vicecomes*] Stephani Vicecomitis filius, Armandi Vicecomitis nepos, a quibus vetuſtum & illuſtre Vicecomitum Poliniacorum genus.

Digitized by Google

poſiti, Rectoriſque Decani curam adminiſtrantes, ita nos in Chriſti nomine *Gotdeſcalcus*, Epiſcopus, *Aurelius*, Epiſcopus, *Dalmatius* Vicecomes, Suffitianius, Girardus, Odilus, Heracuus, Deſiderius, Rayherius, Bernardus, Bertrannus Eleemoſynarii Guilelmi, qui fuit quondam per fideicommiſſum, & per ſuam donationem, & per abſolutionem animæ ſuæ, ut ei pius Dominus per interceſſionem B. Juliani, & omnium Sanctorum de peccatis ſuis indulgentiam tribuere dignetur. Cedimus & in communi victû Canonicorum ſuorum, res illius proprias, quæ ex hæreditate parentum ſuorum evenirent, ſuntque ſitæ res in patria Arvernica, in Comitatu Brivatenſi, in Vicaria Vejonenſi, in villa quæ dicitur *Pinata*, in ipſo Villare; cedimus Deo Sanctoque Juliano manſos II. duplos, cum manſis, & campis, & pratis, & ſylvis, cultis ſeu incultis, quæſitum, vel quidquid acquirendum, & cum duabus partibus ex decima totum cedimus Deo & Sancto Juliano in Communia fratrum ad habendum & vendendum, donandum ſeu commutandum, & ab hodierna die, & deinceps, quiquid juſto judicio & inde facere volueritis, licentiam habeatis faciendi abſque ulla contradictione dictorum, ſane ſi quis homo aut hæres meus voluntates noſtras immutare voluerit, aut qualibet ſubrogata perſona Canonicos Sancti Juliani conturbare elaboraverit. In primis iram Dei incurrat, & cum Datan & Abyron, & cum Juda traditore, qui Dominum tradidit, in infernum præcipitentur, niſi reſipuerint, & ad emendationem venerint; & inſuper auri puri libram unam coactus perſolvat, & ejus nullum habeat locum. *Facta affirmatio iſta fuit* III. Non. Junii, apud Caſorum, quod vocatur *Podumniacus*, (c) regnante RODULPHO (d) *Rege Francorum*, nec non Aquitanorum;

N 3

(c) *Podumniacus*] ita ævo illo corrupte Poliniaci Caſtrum in Velaunis vocabatur.

(d) *Rodulfo Rege*] Duce Burgundiæ, qui in Regem Francorum contra jus anno 923. Caroli ſimplicis Regis facilitate & deſidia abutens, electus fuit, obiit 936.

Digitized by Google

rum; hæc carta, tunc temporis conſcripta, omni tempore firma permaneat. *Teſtibus* iſtis Godeſcalco Epiſcopo, Aurelio, Dalmatio, Suſtitiano, Giraldo, Odilone, Heraclio, Deſiderio, Raynerio, Bernardo, Bertranno, iſti omnes Eleemoſynarii Guilelmi cartam iſtam fieri rogaverunt, *Authoardo* a *Bernardo Auteraio*.

LIII.

Concordia inter Monaſteria Miratorii & Gigniaci.

Ex Cartulario Eccleſiæ Cluniacenſis.

1155. NOtum ſit omnibus, quod fratres de *Miratorio*, (a) reddiderunt Domui Cluniacenſi, mediantibus Dominis *Eraclio*, Lugdunenſi Archiepiſcopo, Apoſtolicæ ſedis Legato, & *Henrico* (b) Wintonienſi Epiſcopo, undecim millia ſolidorum Lugdunenſis monetæ pro X. & 7. millibus ſolidis, de quibus Domus prædicta Cluniacenſis ab illis *de Miratorio* inveſtiri præceperat pro omnibus decimis, quas *Gigniacenſes* exigebant; dictum eſt, quod fratres de Miratorio LXX. ſolidos *Ledonenſis Monetæ*, (c) eis annuatim perſolvant, & pro his de iis inter eos perpetuo pax permanebit.: de paſcuis dictum eſt, quod illi *de Miratorio* paſcua in terris Gigniacenſibus ſine damno, eorum bona fide interveniente, habeant. Similiter Monachi Gigniacenſes de propriis animalibus paſcua in terris de Miratorio habeant; ſi quis etiam Gigniacenſis aut ab Eccleſia illa egreſſus, vel alius quiſpiam poteſtati eorum ſubditus, illis de Miratorio damna vel injurias inferret, ipſe Prior Gigniaci, & alii fratres, illum ad reſtitutionem damnorum vel injuriarum bona fide compellent; ſi vero malefactor ille penitus a poteſtate Gigniaci recederet, & poſtea aliquis

(a) *Miratorio*] vulgo le Miroir, Monaſterium eſt Ordinis Ciſterciensis, non longe a Cuſello oppido, in Baillivatu Cabilonenſi.

(b) *Wintonienſi*] in Anglia.

(c) *Leidonenſis Moneta*] quæ olim apud Ledonem in Comitatu Burgundiæ cudebatur.

Digitized by Google

aliquis hominum ſuorum, tam Clericorum, quam Laicorum, eundem ſuſcipere, vel ipſi auxilium præbere, ſeu etiam conſulere cauſa malignandi reperiretur, Prior Gigniaci cum aliis fratribus receptatorem vel conſulatorem illum ad reſtituenda damna coerceret. Poſtquam etiam a poteſtate eorum foret penitus egreſſus, Domini Archiepiſcopus Lugdunenſis, Epiſcopus Wintonienſis, Abbas Cluniaci, Prior Gigniaci & ſui, ipſum graviter bona fide usque ad ſatisfactionem perſequerentur; ſimiliter illi de Miratorio, Gigniacenſibus de ſuis facient, de terris vel querelis, quas Gigniacenſes & fratres de Miratorio hinc inter ſe habent. Dictum eſt, quod atteſtatione bonorum Virorum, ſi fieri poſſit, conveniant, ut ibi unusquisque jus ſuum recipiat; ſi autem inter ſe in aliquo convenire non poſſint, ante Dominos Lugdunenſes, Archiepiſcopum, & Henricum Wintonenſem Epiſcopum, ad terminandam querelam remearent. Hoc itaque totum tam Cluniacenſis Conventus, quam Gigniacenſes, nec non & Miratorienſes, laudaverunt & fieri conceſſerunt. *Factum eſt etiam laudantibus & confirmantibus Dominis* E. Lugdunenſi Archiepiſcopo, Apoſtolicæ ſedis Legato, *Henrico* Wintonienſi Epiſcopo, P. Cluniacenſi & E. Miratorienſi Abbatibus, & G. Priore Gigniaci, quod & omnium Sigilla præſenti cartæ inſerta declarant. *Hæc autem facta ſunt anno ab Incarnat. Domini* M C LV. VI. Non. Martii, confirmata in Capitulo Cluniacenſi.

LIV.

Notitia Ardutii Epiſcopi Gebennenſis, pro Eccleſia de Condaminio.

Ex Cartulario Monaſterii Cluniacenſis.

A*Rdutius* (a) Dei gratia Gebennenſis Epiſcopus, cunctis in 1178.
Chriſto fidelibus, tam præſentibus quam futuris, æternam

(a) *Ardutius*] e familia Fucigniacenſi, ut jam ſupra tetigimus.

Digitized by Google

nam in Domino ſalutem. Tranquillitati & libertati Eccleſiarum, Deo jugiter famulantium, ex officio nobis indicto & ex debito charitatis, quæ in ſuo fonte non admittit alienos invigilare; debemus ut in beneplacito creatoris vel ad modicum reſpiret Sancta Dei Eccleſia, quæ a Principibus hujus ſæculi frequenter gemit inter malleum & incudem. Hinc eſt, quod Eccleſia de Condaminio poſt perſecutores & naufragia portum ſuæ liberationis adinvenit. *Henricus*,(b) Dominus de Focigniaco, Nepos noſter, apud *Salanchiam*, (c) convocatis majoribus terræ ſuæ, quidquid juris in Eccleſia de Condaminio haberet, in noſtra præſentia, & R. Teutonici & Raymundi fratrum noſtrorum, Wilelmi & Aymonis nepotum noſtrorum, recordari fecit poſt fidelitatis examen & juramenti interpoſitionem *a Dapiferis & Miniſtris*, & ab eis, ad quos tum ex ævi longinquitate, partim ex ipſis rebus conſtabat notitia, talis facta eſt recordatio; ſi contingeret, terram de Fulciniaco impugnari ab hoſtibus, in tutamentum terræ eſſe debent homines Eccleſiæ de Condaminio, & ſi caperetur, ipſius vænationis dimidium ad Dominum de Fucigniaco portaretur, juſtitia adulterii, homicidiorum, furtique banna ad Dominum de Fucigniaco pertinent, in aliis omnibus libera eſt Eccleſia ſupradicta ab omni exactione & gravamine, niſi eſſet ejus ſpontanea voluntas. Hoc in manu noſtra firmiter ſtabilitum eſt, & laudatur a Domino Henrico de Fucigniaco, & a fratribus ſuis Guilelmo, & Aymone, & Marcheſio; ita tamen, quod, ſi quando inde oriretur querimonia ex parte Eccleſiæ de Condaminio, quod gravaretur, vel moleſtaretur in aliquo diſtrictu a Nobis & a noſtris ſucceſſoribus, pro illo exceſſu fieret juſtitia, ne temeritas remaneret impunita. Hanc

(b) *Henricus*] Humberti Domini de *Foucigny* filius, qui ſine liberis obiit.

(c) *Salanchiam*] oppidum eſt in patria Foucigniaci, vulgo Salanche.

Hanc præſentis paginæ ſigillo noſtro ſubſcriptionem confirmavimus & munivimus, ut nullam habeat repulſam, quod juſtitia ſtabilivit. *Actum eſt* hoc Domino ALEXANDRO, *S. Romanæ Eccleſiæ Præſidente*, FEDERICO *Imperatore*, *Amedeo* Comite Gebennenſi, tempore Prioris *Guilelmi*, qui multum pro hac pace & pro libertate Eccleſiæ laboravit, *anno ab Incarnat. Domini noſtri JEſu Chriſti* MCLXXVIII. die *Veneris, menſe Junio.* Ego Gilbertus, Gebenn. Canonicus & Magiſter, ſcripſi & feci hanc Cartam, juſſu Domini Ardutii, Gebennenſis Epiſcopi, habentis *vices Cancellarii*; pro teſtibus adfuerunt multi Canonici & Monachi, Rodulphus Teutonicus & Raymundus de Focigniaco fratres Epiſcopi, Pontius Pilatus, Guido de Fraxino, Aymo de Siriaco, Guilelmus de Fraxia miles, Alimarus de Caſtellione, Turumbertus filius ejus M - - - de Salanchia, & alii.

LV.

Præceptum Rodulphi Regis, pro Monaſterio Cluniacenſi.

Ex Cartulario ejusdem Eccleſiæ.

NOtum ſit omnibus fidelibus noſtris, tam præſentibus, 994.
quam abſentibus, quod ego RODULFUS, (a) Dei gratia Rex, *Monaſterio Cluniacenſi*, ſito in Comitatu Matiſconenſi, quod in honore Beatiſſimorum Apoſtolorum Petri & Pauli conſtructum eſt, pro Dei amore, nec non pro reverentia ipſorum Apoſtolorum, inviċtiſſimus cupio eſſe. Quapropter jubemus, ut ipſum Monaſterium, ac ipſas res ad ipſum pertinentes, quiete ac ſecure abſque ullius improbitate permaneant jugiter,

(a) *Rodulphus*] ſcilicet III. Burgundiæ transjuranæ Rex, qui anno 994. regnare cœpit, ut ſupra notavimus, tempore *Majoli* Abbatis Cluniacenſis, quo præceptum Regis emanavit, ut indicat cartularium Cluniacenſe; cujus ideo data ad illum annum referri debet, quo ipſe *Majolus* obiit.

Digitized by Google

jugiter, ſicut dudum per noſtræ authoritatis præceptum ſancivimus; de rebus vero, quæ in loco, qui dicitur *Colviriacus*, conſiſtunt, quæ nuper ad ipſum Monaſterium in Eleemoſyna datæ fuerunt, præcipimus, ut, ſicut antiquitus determinatæ fuerunt, reſtituantur; eodem quoque modo commendamus, ac omni ſollicitudine delegamus, ut omnia prædia ac poſſeſſiones, quæ eidem Monaſterio pro Dei amore fuerunt conceſſa, & quæ jam futuris temporibus donanda ſperamus fore, perpetualiter abſque alicujus inquietudine illibata perſeverent. Vos quoque, o Principes Judices, ſive Rectores Comitatus illius, & regionis, in qua illud Monaſterium conſiſtit, quicumque in præſentia mea eſtis, aut quicumque futuri eſtis, obſecrando jubemus, & jubendo obſecramus, quatenus pro præmio vitæ æternæ, & pro amore ipſorum Apoſtolorum, ſitis in adjutorium & protectionem, atque in defenſionem veſtra vice, loci illius, ſive Monachorum ibidem conſiſtentium, Chriſtoque ſervientium, in quocumque negotio indiguerint, ut noſtro veſtroque freti auxilio ſecurius, tam pro nobis, quam pro ſtatu regni totius noſtri, Domino noſtro JEſu Chriſto, Regi Regum, ſupplicare valeant, & in inceptis bonis perpetualiter perſeverent; quod ſi quis ulterius idem Monaſterium, ſeu habitatores ejus, reſque ibi collatas, temerare aut inquietare præſumpſerit, primitus Dei atque Apoſtolorum iram incurrat, ac deinde noſtræ ſeveritatis experiatur cenſuram. Inſuper coram, ut notitia hæc firma ſit, noſtro Sigillo roborare ſtuduimus.

LVI.

Carta Protectionis Carthuſiæ Majorevi, ab Henrico Delphino conceſſæ.

Ex Archetypo Majorevi.

1327. HENRICUS DALPHINI, *Baroniarum Montis albani & Medullionis Dominus.* Omnibus Baillivis, Judicibus, Caſtel-

Caſtellanis, Præpoſitis, Chacipollis, cæteriſque familiaribus, cujuſcumque conditionis exiſtant *in terra Dalphinatus Viennenſis, & terra Turris,* qui nunc ſunt, & pro tempore fuerint conſtituti, ſalutem & dilectionem ſinceram. Cum Nos & prædeceſſores noſtri ſemper habuerimus, & adhuc habemus magnam affectionem & dilectionem erga *ordinem Carthuſienſem,* & Domus *Majorevi* ſit quoddam membrum ejuſdem ordinis, quod *Meyrié* vulgariter appellatur, & quod Domus *Majorevi* poſita eſt in terra chariſſimi conſanguinei noſtri, Domini *Humberti, Domini de Thoire & de Villars,* quam domum cum religioſis, Monachis, hominibus, rebus & familiaribus ejuſdem domus, volumus inviolabiliter cuſtodiri, cum in divinis & orationibus, quæ fiunt & fient ibi, credimus fore participes & conſortes. Quare tenore præſentium vobis & veſtrum cuilibet præcipimus, injungimus & mandamus fortiori modo quo poſſumus, & in quantum indignationem noſtram volueritis evitare; quatenus ipſam domum, Monachos, converſos, homines, bona, res, poſſeſſiones, nec non familiares dictæ domus, ubicumque exiſtentes & exiſtentia, cuſtodiatis, defendatis, & inviolabiliter obſervetis, mandato alio ſuper hoc à nobis, vel altero, minime exſpectato, & ad hoc faciendum alter veſtrum, alterum ſuper hoc non exſpectet. Volumus etiam, quod vos Caſtellani prædicti præconiſari faciatis publice & in generali, ſub pœna X. librarum Viennenſium, ne aliquis de terra Turris & Dalphinatus dictæ domui Majorevi, Monachis, converſis, hominibus, familiaribus ejuſdem domus, nec rebus, neque bonis eorundem, tam tempore pacis, quam tempore Guerræ, aliquod malum ſeu damnum inferant, neque inferri patiantur. *Datum, cum appoſitione Sigilli noſtri apud Poncins,* (a) *die Jovis poſt feſtum exalta-*

(a) *Poncins*] oppidum eſt non ignobile in Bugeſia, non longe ab Idano fluvio.

altationis S. Crucis, anno Domini M CCC XXVII. *Reddantur Portitori,* (b) viſo tenore eorundem, expedita per me *Henricum* prædictum oretenus.

LVII.

Decretum ſeu Præceptum CONRADI *Regis, pro Eccleſia Saviniacenſi.*

Ex eodem Cartulario Monaſterii Saviniacenſis.

In nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri JEſu Chriſti.

976. CONRADUS, divina ordinante providentia invictiſſimus Rex. Si petitionibus ſervorum Dei pro quibuslibet Eccleſiaſticis neceſſitatibus aurem Serenitatis noſtræ libenter accommodamus. Ideo nobis & ad mortalem vitam temporaliter deducendam, & ad æternam feliciter obtinendam, profuturum liquido credimus. Idcirco notum fore volumus cunctis fidelibus Sanctæ Eccleſiæ Dei, & noſtris, præſentibus ſcilicet & futuris: Quia AMBLARDUS, (a) Sanctæ Lugdunenſis Eccleſiæ Præſul, cum cæteris noſtrorum fidelium Epiſcopis ſeu Comitibus, ſupplex noſtræ Serenitatis adiit Majeſtatem, quo per largitionis noſtræ ſcriptum, quoddam Monaſterium, quod *Saviniacus* vocatum eſt, in quo *Gauſmarus* (b) præeſſe dignoſcitur Abbas præſentialiter, ac perpetuo faceremus munitum; metuenſque, ne futuris temporí-

(b) *Reddantur Portitori*] nihil frequentius hac clauſula, in hiſce Provinciis, quæ Diplomatibus apponi ſolebat, quando horum pluribus in locis opus erat; ſufficiebat enim, ut oſtenderentur & legerentur, ſive alia per ſcriptum notificatione.

(a) *Amblardus*] cujus geſta ab anno 957 ignoravit *Jacobus* SEVERTIUS, *Archiepiſcopus Lugdun. Cartul. Saviniac.* nec eum Lugduni ſediſſe usque ad annum 976 novit.

(b) *Gauſmarus*] qui electus fuit Abbas Saviniacenſis anno 955.

p...ous ea, quæ pro divino amore, vel ab ipſo, vel a Chriſtianis fidelibus ei conceſſa ſunt, aut in futuro concederentur a ſuis ſucceſſoribus, parvi pendendo annullarentur, deprecatus eſt noſtram Sublimitatem, ut paternum morem ſervantes, noſtræ immunitatis præceptum fieri cenſeremus, per quod declaretur, quatenus nullus Pontifex Lugdunenſis Eccleſiæ ex prædicti rebus Monaſterii ſeu poſſeſſionibus, aliquid injuſte minorare præſumat, nec manſionaticos, nec ullas redhibitiones exigere tentet. Fratres vero Monaſterii prælibati debito ei ſervitio ac ſubjectionis reverentia impenſa, omnia quæ ad hoc pertinent, abſque ulla diminutione, ſeu impulſione, teneant & poſſideant; habeant etiam poteſtatem eligendi Abbates ex eorum Cœnobio, & electos ante præſentiam ejusdem Civitatis Epiſcopi deducere, aut ab eo benedictione accepta congregationem ſibi commiſſam regulariter gubernare ſtudeant; cujus petitionibus libenter aſſenſum præbuimus, & hoc noſtræ authoritatis præceptum erga ipſum Monaſterium, immunitatis atque tuitionis gratia, pro divini cultus amore, & animæ noſtræ ac ſucceſſorum noſtrorum remedio, fieri decrevimus, per quod præcipimus atque jubemus, ut ſic ab eodem *Archiepiſcopo Amblardo* hæc res ſtatuta vel ante præſentiam noſtram delata eſſe dignoſcitur; ita deinceps a nobis vel noſtris ſucceſſoribus, & ab omnibus Sanctæ Dei Eccleſiæ fidelibus, etiam ab ipſis Epiſcopis, & ab omni Clero Lugdunenſis Eccleſiæ conſervetur, quatenus Epiſcopus ſubjectionis, ſive obedientiæ recepta reverentia debita, noſtram juſſionem ac ſucceſſorum noſtrorum conſervet, & Monachi, Deo ibidem militantes, Abbati ſuo, ut decet, humili devotione obedientes exiſtant, ut Præpoſitum ſuum, Domino largiente, libere conſervare valeant. Præcipientes etiam jubemus, ut nullus Judex publicus, ad cauſas audiendas, vel freda aut tributa exigenda, nec paratas, aut manſiones exigendas, vel faciendas, aut fidejuſſores tollendos, aut homines ejus-

dem Monaſterii, tam ingenuos, quam ſervos, diſtinguendos, aut ullum cenſum, aut ullam redhibitionem exigendam, ſive ea, quæ ſupra memorata ſunt, exacturi minime præſumant. Ut autem hæc authoritas firma habeatur, & a fidelibus Sanctæ Eccleſiæ futuris temporibus diligentius conſervetur, de annulo noſtro ſubter juſſimus ſigillari. Signum Domini CHUONRADI, *invictisſimi Regis.* Ego *Vincentius* recognovi. *Datum Non. Octobris, anno ſcilicet Incarnat. Chriſti* VCCCCLXXVI. *Indict. II.* & *anno XXXVII. imperii* Domini CHUONRADI, *Sereniſſimi Regis. Actum Lugduno publice feliciter.*

LVIII.

Donatio Monaſterio Saviniacenſi, a Gaufredo, Engoliſmenſi Comite.

Ex Cartulario Saviniacenſi.

Ante Annum 1028. MEta mundi meante, crebeſcunt mundi ruinæ, mala ſæculi inundant, finem ejus nunc demonſtrant, quam celeriter occurrit dies judicii, oſtendit. Quapropter vigilare debet quisque, & ſummo ſtudio curare, ne eum poſſit ipſa dies anticipare: Domini enim vox in Evangelio fideles ſuos admonet, dicens: Date Eleemoſynam, & ecce! omnia munda ſunt vobis. Et Prophetam: Sicut aqua extinguit ignem, ita Eleemoſyna extinguit peccatum. Salomon etiam affirmat, dicens: Redemptio animæ viri propriæ divitiæ. Iſtarum admonitionum ob auditores fieri cupientes: Ego *Gaufredus*, & uxor mea *Petronilla*, (a) delegimus Eccleſiam Sancti Pauli, quæ eſt ſita in Santonenſi territorio, ſubter Caſtrum, quod vocatur *Botavilla*, (b) mancipandam ſervitio Dei, pro

(a) *Gaufredus & Petronilla*] Gaufredi iſtius meminit JO. BESLY *in Comit. Pictavien. Hiſt. cap. 20.* uxoris autem nullus adhuc quod ſciam.

(b) *Botavilla*] vulgo Bouteville, in Ducatu Enculiſmenſi.

Digitized by Google

pro animabus noſtris, Patrum etiam & Matrum noſtrarum, ſeu filiorum noſtrorum, & filiarum noſtrarum, & omnium Parentum noſtrorum, ſub Regula Monachorum; freti vero adjutorio Domini, & conſilio *Wilelmi Comitis Engolismenſis,* (c) & uxoris ejus, Dominæ *Gerbergæ,* Patris videlicet mei & Dominæ Matris, & Domini *Elduini* (d) fratris mei, nec non Domini *Iſſi,* Epiſcopi Santonenſis, & aliorum fidelium noſtrorum; Donamus Deo & Rectoribus Eccleſiæ Sancti Martini, Saviniacenſis Monaſterii, ſcilicet Domino Abbati *Itterio,* & Monachis ſub eo degentibus, & omnibus ſucceſſoribus eorum, ſub Regula Sancti Patris *Benedicti,* in eodem Monaſterio Deo ſervientibus, quatenus ipſa Eccleſia Sancti Pauli, cum omnibus, quæ ibi delegavimus, & quæ in antea daturi ſumus, vel quantum ipſa Eccleſia, a fidelibus Chriſti acquiſitura eſt, gubernationi Abbatum & Monachorum, & eorum ditioni ſubjaceat; perpetuo enim anathemate damnamus, & omnibus maledictionibus, quæ in libris Veteris & Novi Teſtamenti continentur, maledicimus omnes illos homines, ſive fœminas, qui hanc eleemoſynam calumniaverint, & ſubtraxerint, & de poteſtate Abbatum & Monachorum Saviniacenſium abſtulerint, quamdiu ipſum Monaſterium in Regula Patris Benedicti ſteterit. *S. Domini Gaufredi & uxoris ejus Petronillæ,* qui hanc eleemoſynam fecerunt, & ſcribi juſſerunt, & firmari rogaverunt. S. Domini Wilelmi, Comitis patris

(c) *Wilelmi Comitis Engolismenſis & Gerbergæ*] Comes hic Wilelmus II ejus nominis, fuit cognomine *Tailiefer,* de quo plura apud *Beslium in Hiſt Comm. P.Et.iv. cap. 20 22.* obiit autem anno Domini 1028 ut refert Chronicon quoddam mſ. continens geſta Epiſcoporum & Comitum Engoliſmenſium a *R. P* LABBE, *e Societate Jeſu,* relatum, *Tom. I. Miſcell.* § 2. ſed uxoris nomen tacetur.

(d) *Elduini*] qui poſt Patris obitum Comes Engoliſmenſis fuit, & ſine liberis deceſſit. JO. BESL. *in ead. Hiſt. cap. 23.*

Digitized by Google

patris ejus. S. Gerbergæ, Comitiſſæ matris. S. Alduini, fratris ejus. S. Falconis & Wilelmi, filiorum eorum. S. Domini Isſi, Epiſcopi Santonenſis, qui laudavit, Synodum, quam prædictæ Eccleſiæ ſuæ debebat, dedit. S. Aymardi. S. Aymonis, Wilelmi, Ademari, Wilelmi, Itterii Presbyteri, Otgerii. *Data per manum Duranti* Monachi, menſe Junio, feria III. regnante ROBERTO (e) Rege in Francia, & RODULFO in Gallia.

LIX.

Carta Comitis Nivernenſis, pro Eccleſia Cluniacenſi.

Ex ejusdem Monaſterii Cartulario.

1214. H. *Comes Nivernenſis*, (a) dilectis ſuis *Burgenſibus* de Caritate, de S. Stephano, Nivernenſi, de S. Salvadoro, Nivernenſi, de S. Maria de Prato, *de Luperciaco*, (b) de Chauno, de Sancto Reveriano & omnibus aliis hominibus ad Eccleſiam Cluniacenſem, & de Caritate, tam in capite, quam in membris pertinentibus, ſub cuſtodia & noſtro dominio conſtitutis, ſalutem & dilectionem. Mandamus vobis, rogamus & volumus, quatenus dilecto noſtro Abbati Cluniacenſi faciatis competens auxilium de - - - veſtris, ita quod ipſe

(e) *Roberto Rege & Rodulpho*] duorum Regum, eodem tempore regnantium, Regno ſubſcripta hæc fuit carta. Roberti Regis Franciæ, nempe quia Comes Engoliſmenſis ſub ejus clientela erat; Rodulfi autem, Burgundiæ Regis, quoniam Monaſterium *Saviniacenſe*, cui Comitis filius donabat, in regno Burgundiæ ſitum erat. Hanc vero donationem ante annum 1028. quo *Wilelmus* Comes e vivis deceſſit, ſcriptam fuiſſe oportet.

(a) *H. Comes Nivernenſis*] Hervæus Baro de Donzy, Conii & S. Aniani, Comitis Genabenſis filius, qui poſtea Nivernienſis Comes extitit, ut infra dicemus.

(b) *Luperciaco*] vulgo *le Val de Lurcy.*

Digitized by Google

ipſe nobis exinde grates habere debeat; & ſciatis pro certo, quod ſi hoc non faceretis, non poſſemus ſuſtinere, quin vim noſtram ad hoc apponeremus, & hoc auxilium ei faciatis, ſicut nos diligetis, pro debitis Eccleſiæ ſuæ pagandis. *Actum apud Marciniacum, anno Domini* MCCXIII. *menſe Octobri.*

LX.

Donatio Monaſterio Saviniacenſi a Comite Foreſii.

Ex Cartulario Eccleſiæ Saviniacenſis.

In Dei nomine.

EGo *Gerardus*, (a) Comes, conſilio fidelium meorum, dono de rebus meis Deo & S. Martino Saviniacenſis Monaſterii, ubi Dominus *Durandus* (b) Abbas præeſt, pro remedio animæ meæ, & pro animabus patris mei, Altardi, & matris meæ, Theotbergiæ, & fratris mei, Altardi. Eſt autem in pago *Lugdunenſi*, in agro *Tarnautenſi*, in finibus Villæ, quæ *Conziacus* vocatur, Mons, qui dicitur *Ledaicus*, triticeæ ſationi habilis, concluditurque finibus villarum, quarum nomina ſubjecimus, a mane villa, quæ dicitur *Conziacus*, a meridie *Verſennacus* & *Appiunacus*, a ſero *Amantiniacus*, a *Cæcia* terra Sancti Martini. Hunc ſupradictum Ledaicum Montem, cum juncta ſylva, ſicut antiqua diſtributione in finibus denominatarum villarum, ſibi circumpoſitarum, conſtat, aſpicitque, & aſpicere ad ipſum montem videtur, communi conſenſu fidelium meorum dono jam dictæ Eccleſiæ, ad menſam 1007.

(a) *Geraldus Comes*] Lugdunienſis & Foriſienſis, noſtris Hiſtoricis non notus.

(b) *Domnus Durannus Abbas*] anno Chriſti, (uti jam ſupra notavimus) 1007. electus, & ideo donationis iſtius datam ejuſdem anni eſſe, nihil vetat. *vid. Cartular. Saviniac.*

Digitized by Google

menſam fratrum perpetuo ſervaturum, ac æternaliter permanſurum, & de noſtra poteſtate tranſfundimus in eorum dominationem. Ut autem hæc ſcriptio firma permaneat, Ego *Geraldus*, Comes, manu propria firmavi, ac fideles meos firmare rogavi. S. Vinfredi, Sylvii, Berardi, Girardi, Pontionis, Jarentonis, Sylvionis.

LXI.

Carta Dominæ Branciduni, pro Eccleſia Cluniaci.

Ex ejusdem Monaſterii Cartulario.

1224. EGo *Beatrix Groſſa*, (a) Domina de *Oſellis*, omnibus notum facio, præſentes litteras inſpecturis, quod nos laudamus & concedimus pactum, quod Dominus *Jocerannus*, (b) filius noſter, fecit cum Eccleſia Cluniaci, in villis de Saviniaco, de Lornando, & de Marſilliaco, & in terra, quæ ſita eſt apud Lornandum, quæ partitur cum Domino *Joanne Milite*, & quod contra dictum pactum per Nos, nec per aliquos veniemus. In cujus rei teſtimonium præſentibus *Sigillum noſtrum appoſuimus*. Actum anno gratiæ M.CC.XXIV. menſe Julio.

LXII.

(a) *Beatrix Groſſa, Domina de Oſellis*] Henrici Groſſi, Branceduni & Oſellarum Dynaſtæ, inter Burgundiæ Proceres præcipui, Vidua, & Gautherii, Domini Vangionis rivi (vulgo Vignorri) ſoror, quæ Caſtro de Oſellis (Uxelles nunc dicunt) pro dotalitio fruebatur.

(b) *Jocerannus*] cognomine Groſſus, Branceduni (Brancion) & Oſellarum, in pago Matisconenſi Dominus.

LXII.

Conſecratio & dotatio S. Pauli de Botavilla, a Comite Engoliſmenſi.

Ex Cartulario Saviniacenſis Monaſterii.

SUperna diſpoſitio omnipotentis Dei, & Salvatoris noſtri JEſu Chriſti, qui dixit in Evangelio, ſine me nihil poteſtis facere in quarumlibet rerum initiis, ſummo ſtudio ac fideli exhortanda eſt, ut, a quo omne bonum incipitur, ejus perceptione finiatur. Omnipotentis enim gubernatio, qua regitur omne quod eſt, ad redemtionem humanæ noſtræ in thalamo uteri Virginalis conjunctam ſibi ſponſam quotidie adoptionis filios generare non ceſſat: quatenus Sancta Eccleſia diverſis Ordinibus venerabiliter adornata, ac regenerationis lavacro mundata, indefeſſas laudes Creatori ſuo perpetualiter ſolvat. Dominus ergo Redemptor noſter, JEſus Chriſtus, qui omnes vult ſalvos fieri, & neminem vult perire, ipſe per ſemet ipſum fideles ſuos docet, & ex talento ſibi credito redemptionem peccatorum, & repromiſſionem æternæ hæreditatis acquirant; quatenus eleemoſynarum fulti juvaminibus, cum ipſo feliciter gaudeant. Hujus igitur admonitionis & promiſſionis ſocius & particeps cupiens fieri, Ego in Dei nomine *Gaufredus*, (a) filius *Wilelmi*, Comitis Engoliſmenſis, notum fieri volo omnibus Sanctæ Matris Eccleſiæ filiis, tam præſentibus, quam futuris, qualiter in nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis miſericordiſſima pietas animo meo infulſit, ut Eccleſiam Sancti Pauli, ſitam in pago Santonenſi, in Vicaria Chriſtiolenſi, in villa, quæ vulgo dicitur *Botavilla*, quam ego & uxor mea *Petronilla* ex noſtro proprio fecimus 1029.

 ædi-

(a) *Gaufredus*] qui *Inculiſmenſis* ſive Engoliſmenſis, poſt Alduini primogeniti fratris obitum, Comes evaſit; cui Falco ejus filius in Comitatu ſucceſſit. JO. BESL. *in Hiſt. Comm. Pict. c.23.*

Digitized by Google

ædificare, & ſub Dominatione Sancti Martini, Saviniacenſis Monaſterii, & Domni Iterii Abbatis, & Monachorum, in prædicto Monaſterio commorantium, conſtituimus, & ad conſecrationis & benedictionis ſublimitatem ab Epiſcopis fecimus roborari. Placuit hæc convenientia amicis & fidelibus meis, & una cum conſilio Domni Iterii Abbatis expetivi ſuffragia, & adjutorium vicinorum meorum Epiſcoporum, Domni videlicet *Gotafredi,* Archiepiſcopi Sanctæ Matris Eccleſiæ Burdegalenſis, & Domni *Iſſonis,* Epiſcopi Santonenſis, & Domni *Arnaldi,* Epiſcopi Petragoricenſis, quibus in unum conventis, antequam ad conſecrationis gratiam pedem verterent, dixerunt nullo modo Eccleſiam Catholicam poſſe benedici, niſi ſub nomine dotis; convenit autem mihi, ut juſſionibus eorum obtemperarem, & ſponſarem ipſam Eccleſiam in nomine Domini, ex proprio meo conſtituens ibi, ſecundum poſſe meum, ex redditibus meis & uxoris meæ Petronillæ, quam Dominus jam de hoc ſæculo vocavit, ad victus Monachorum, ibi degentium, quæ propriis nominibus ſubter vocabantur, videlicet Maximatis villæ unam medietatem cedo, & Foſſatis villam, quantum ibi viſi ſumus habere, ex terris etiam inibi adjacentibus, quas boni homines dederunt Deo & Sancto Paulo, pro animabus ſuis, cum cenſu, qui mihi advenit in vino & denariis, totum in dotem dono; ſimiliter etiam de ipſis terris, quæ in antea daturæ ſunt, cenſum dono. Decimas etiam ſimiliter ex molendinis dono, acreſco etiam juxta *Marinacum,* culturam terræ ampliſſimæ, & valde bonæ in ſponſalitio, & in villa, quæ dicitur Triſſis terras, vineas & ſylvam, quæ *Maynardus Gaifferius* per beneficium tenet. *Actum ab Incarnat. Domini anno M XXIX. Indict. XI. ſceptrum regni Domino* ROBERTO, *invictiſſimo Rege, tenente;* ſummæ Cathedræ Pontificalis, honoris Sanctæ Matris Eccleſiæ Burdegalenſis, *Domno Gotafredo* decentiſſime inſidente, Domno vero *Iſſone,* Sanctæ Matris Eccleſiæ Santonenſis

Digitized by Google

nenſis Epiſcopali ſolio præeunte; nec non Domno *Arnaldo*, Sanctæ Matris Eccleſiæ Engoliſmenſis Pontificali ſtola fulgente; aſtante Domno *Gautfredo*, nobiliſſimo Comite, coram eis publice Beati Pauli Apoſtoli, Doctoris Gentium, hæc diſpoſitio ſive inſtitutio a prædictis Epiſcopis ſolidata & confirmata eſt. Laudantes eum Abbates & Monachi, ſeu plurimæ populorum catervæ, inibi ad conſecrationem Eccleſiæ convenientes. Amen. *Data manu* Almanni Monachi *præcipiente Domno* Iterio, *Abbate.*

LXIII.

Donatio Domui Carthuſiæ ſanctæ Crucis, a Joannetta de Montelupello.

Ex Archivo Carthuſiæ Saletarum in Delphinatu.

NOs *Petrus de Eſchalone, Canonicus Valentinenſis*, officialis 1319.
Curiæ Lugdunenſis, notum facimus univerſis, præſentibus & futuris, quod cum inclytæ recordationis JEANNETA *Nata* Viri Nobilis *Guyoti*, quondam Domini Montislupelli, in infirmitate de qua deceſſit, rogaverit Nobilem Dominam *Montislupelli & Coloniaci*, (a) quondam Matrem ipſius *Joannetæ*, & Virum illuſtrem, *Joannem*, Dominum Montislupelli, fratrem quondam dictæ Joannetæ, ut matri & fratri ſuis placeret; quod ipſa daret pro remedio animæ ſuæ, Parentum & Anteceſſorum ſuorum, Viris Religioſis, Priori, & Conventui *Domus Sanctæ Crucis*, (b) Carthuſienſis Ordinis, Lugdunenſis Diœceſis medietatem redituum de *Verſiaco*, & directum Domini-

(a) *Coloniaci*] Margareta Domina Montislupelli, Domina etiam Coloniaci dicitur, quia Guilelmi Domini Coloniaci filia erat & hæres.

(b) *Sanctæ Crucis*] in Jareſio, Monaſterium & Carthuſianorum a Beatrice de Turre-Pini, Guilelmi Domini Roſſillionis & Annoniaci uxore, anno 1280. fundatum,

minium ipſorum redditutuum, ad dictum Dominum Montiſlupelli pertinentium, pro eo, quod Prior & Conventus dicti loci ponerent in dicto Prioratu, & manutenerent tres Monachos ſui Ordinis Carthuſienſis, ulterius Monachos jam ibidem inſtitutos, videlicet ſacerdotes, ſeu aptos ad ſacerdotium promovendum, qui in dicto Prioratu divina celebrent officia, prout cæteri Monachi dicti Ordinis celebrare conſueverunt, pro remedio animæ ipſius *Joannetæ*, Patris & Patrui ſui, Prioris quondam Sancti Spiritus, Parentum & Anteceſſorum ſuorum, volens & præcipiens eadem Joanneta, quod ſi forſan, quod abſit, Prior & Conventus, ſeu Monachi ad prædicta facienda inſtituti, vel inſtituendi, in præmiſſis deficerent, quod Dominus *Montiſlupelli*, qui nunc eſt, vel qui pro tempore fuerit, ipſos redditus in illo caſu & non aliter poſſit aliis Religioſis concedere & donare, pro divinis celebrandis ad ſanam intentionem Joannetæ prædictæ, quæ ſiquidem Domina Margareta & Joannes Dominus Montiſlupelli, rogationi & voluntati dictæ Joannetæ inſiſtere cupientes, & volentes toto poſſe deſiderium & pium propoſitum dictæ Joannetæ adimplere, prædictos *redditus de Verſiaco*, & directum Dominium ipſorum, & medietatem molendini & Domus de *Verſiaco*, (c) per dictam Joannetam acquiſitæ, dictæ Domui ſanctæ Crucis ex cauſa prædicta, & pro prædictis faciendis grato animo conceſſerunt, & donaverunt. In qua conceſſione & donatione Religioſus Vir, frater *Petrus de Moyrenco*, Prior & Conventus dictæ Domus ſanctæ Crucis, pro ſe & ſucceſſoribus ſuis in medietate dicti loci de *Verſiaco*, prout nunc eſt, dictum Dominum Montiſlupelli ſuperiorem recognoverunt, & dimiſerunt omnimodam Juriſdictionem, merum & mixtum imperium, *banna groſſa & minuta*, tallias & homines loci prædicti, pertinentes ad medietatem prædictam; prout idem Dominus

(c) *Verſiaco*] vulgo Verſieu, in Delphinatu.

Digitized by Google

minus Montiſlupelli & prædeceſſores ſui ipſam Juriſdictionem, & alia ſupradicta retroactis temporibus tenuerunt; quæ quidem omnia & ſingula ſupradicta Domina *Margareta*, & *Joannes*, Dominus Montiſlupelli, pro ſe & hæredibus ſuis, ac Prior & Conventus pro ſe & ſucceſſoribus ſuis promiſerunt, videlicet dictus Dominus Montiſlupelli per juramentum ſuum ſuper Sancta Dei Evangelia corporaliter præſtitum, & dicti Domina Margareta, Prior & Conventus bona fide, contra per ſe, vel per alium, modo aliquo non facere, nec venire, nec conſentire, & alicui volenti ſeu volentibus contraire. *In quorum teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus duximus apponendum* XXI. menſis Aprilis, anno MCCCXIX.

LXIV.

Confirmatio Privilegiorum & Immunitatum Monaſterii Sancti Ragniberti Jurenſis, a PAULO *III. P. M.*

Ex Archivo ejusdem Monaſterii.

PAULUS, *Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Dilectis* filiis *Franciſco Bachodi*, (a) cubiculario de numero participantium familiari, continuo commenſali noſtro, perpetuo Commendatorio, & Conventui Monaſterii *Sancti Ragniberti*, (b) *Jurenſis*, Ordinis Sancti Benedicti, Lugdunenſis Diœceſis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem; cum a nobis petitum, quod & juſtum, & honeſtum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per ſollicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Quapropter dilecti in Domino 1538.

(a) *Franciſco Bachodi*] qui poſtea Epiſcopus & Princeps Gebennenſis fuit.

(b) *Sancti Ragniberti*] vulgo *Saint Rambert*, de Joux, Abbatia eſt in Bugeſio antiquiſſima, medio quaſi inter Forum Sebuſianum & Bellicenſem civitatem itinere.

mino filii veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, omnes libertates & immunitates a felicis recordationis CELESTINO III. (c) & aliis Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, ſive per privilegium, vel alia indulta vobis & Monaſterio veſtro, in quo divino eſtis obſequio mancipati, ac illius membris conceſſas, nec non libertatis & exemptionis ſæcularium exactionum, a Regibus, Principibus, ac aliis Chriſti fidelibus, vobis & Monaſterio veſtro, ac illius membris prædictis rationabiliter indultas; ſpecialiter autem cenſus, redditus, proventus, poſſeſſiones & alia bona a fundatoribus & benefactoribus veſtris vobis erogata & conceſſa, ſicuti ea juſte & pacifice poſſidetis, vobis, & per vos Monaſterio, & membris ejusmodi confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. *Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ* M CCCC XXXVIII. *X. Kal. Januarii, Pontificatus noſtri anno V.*

LXV.

Donatio Eccleſiæ Cluniaci, a Comitiſſa Nivernenſi.

Ex Cartulario Monaſterii Cluniacenſis.

1226. EGo MATILDIS, (a) Comitiſſa Nivernenſis, omnibus notum facimus, tam præſentibus quam futuris, quod nos

(c) *Celeſtino III*] Bulla anni 1191. quam integram dedimus *in Hiſtoria noſtra Sebuſiana*.

(a) *Matildis*] Curteniaca, Petri Domini de Courtenay & Agnetis, Nivernenſis Comitiſſæ unica filia & hæres, quæ nupſit Hervæo, Baroni Douziaci, ratione uxoris, idem Comiti Nivernenſi.

Digitized by Google

Nos pro remedio animæ noſtræ, & *Hervæi* bonæ memoriæ, quondam Comitis Nivernenſis, & Domini & mariti noſtri, dedimus & conceſſimus Eccleſiæ B Petri Cluniacenſi, pro anniverſariis noſtris, annuatim in ipſa Eccleſia celebrandis, X. libras redditus curſualis monetæ, in cenſu *Deſiſiæ*, (b) poſt deceſſum noſtrum annuatim in perpetuum percipiendas; volumus ſiquidem & præcipimus, ut Epiſcopus, qui pro tempore erit, ponat ſententias Excommunicationis in perſonas hæredis aut ſucceſſoris noſtri, & interdicti in terram ipſius, ſi contra donum iſtud ullo modo ire attentaverit, nec ipſam relaxet, quouſque dictæ Eccleſiæ de dicto reddito ad plenum fuerit ſatisfactum: Quod ut ratum permaneat, præſentes litteras fecimus ſigilli noſtri munimine roborari. Actum anno Domini M CC XXVI.

LXVI.

Carta Raynaudi, Epiſcopi Matiſconenſis, pro fratribus Muciæ.

Ex Archetypo.

R*Egnaldus*, Dei gratia Matiſconenſis Epiſcopus, omnibus 1186.
has litteras aſpicientibus, æternam in Domino ſalutem: Noverit univerſitas veſtrum, quod cauſa & querela, quæ vertebatur inter fratres *de Mucia* (a) & *Umbertum de Genos*, (b) Militem, a Domino Papa nobis audienda & determinanda fuit commiſſa. Nos itaque partem utramque apud *Cuvania-*

(b) *Deſiſiæ*] vulgo *Deſiſe*, ad Ligerim fluvium, alias *Deciſa*; in *Itinerario Antonini* vocatur *Diceda*, in itinere a Burdegala *Augustodunum*.

(a) *Fratres de Mucia*] Ordinis tunc Templariorum, nunc S. Joannis Jeroſolymitani, vulgo la Muſſe, juxta Balgiacum in agro Sebuſiano.

(b) *Umbertum de Genos*] Dominum de Genos, prope Pontem Velæ.

Digitized by Google

niacum, (c) in Idibus Julii menſis, anno ab Incarnatione Domini M C LXXXVI. coram Nobis convocavimus, auditis utriusque partis allegationibus, per communem aſſenſum ipſorum, de omnibus querelis, & nominatim de Molendino & Battitorio, de Ponte de Vela, & de aliis terris planis, nemoribus & pratis eosdem concordavimus. Ipſe enim Umbertus inde VII. libras habuit, & quidam alii XX. ſolidos. Flammenſis & Stephanus Paylodus, & Stephanus de Montibus, cum eodem Umberto, pacem prædictis fratribus ſuper hoc in perpetuum tenendam, juraverunt; audientibus & videntibus iſtis *Ugone*, Camerario Lugdunenſi, B. Priore S. Petri, Petro Beraldi, Aymino de Piſeys, & Stephano de Maliaco Archidiaconis Matisconenſibus, Gaufredo de Molis, & Magiſtro Martino, Deſiderio ſacerdote, & Joanne Presbytero de Lays, Umberto Presbytero S Mauritii, Petro Capellano de Muciaco, Archipresbytero de Balgiaco, Stephano fratre ejus, Ugone de Igiaco, Gabroldo & Bernardo de Biſiaco, Acharia de Bioleriis, Olardo & Otgerio filiis ejus, fratre Anſelmo, Umberto de Aſneriis, Umberto de Marbo, Joanne de Viriſeto, & pluribus aliis.

LXVII.

Donatio Eccleſiæ Cluniacenſi, a Comite Clarimontis.

Ex Cartulario Monaſterii Cluniacenſis.

In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.

1091. NOtum ſit omnibus, tam præſentibus quam futuris, quod ego *Gilibertus*, (a) Comes Clarimontis, & frater meus *Her-*

(c) *Cavaniacum*]. vicus eſt ad Velæ fluvium; ita olim vocatus, nunc S. Joannis des *Avantures* nomen habet, apud Sebuſianos meos.

(a) *Gilibertus, Comes Clarimontis*] apud Bellovacos ſcilicet. Qui de Claromontanis Comitibus ſcripſere, ne verbum quidem de hoc Comi-

Digitized by Google

Hermannus, atque uxor mea *Leugardis*, tradidimus Beatis Apoſtolis Petro & Paulo in Cluniacenſi Monaſterio, ubi Dominus Abbas *Hugo* præeſt, pro animabus noſtris, vel parentum noſtrorum, partem mediam Eccleſiæ *S. Symphoriani*, (b) & quidquid habuimus in circuitu, ſive in agris, ſive in arboribus, ſive in aquis, ſive in pratis, Advocationem tantum retinentes in manu noſtra. Obtinuimus autem apud *Leodicenſem* Epiſcopum *Henricum*, ut prædicta Eccleſia per ſe ſtet, nulli obnoxia ſervituti, jus proprium habeat Abbas baptiſmi atque ſepulchri, nullique aliquem reſpectum ſolvens, niſi quatuor tantum denarios Epiſcopo Leodicenſi, in cujus Parochia ſita eſt; de nemore autem noſtro habitantes ibi accipiant, quantum voluerint, ſive ad ædificandum, ſive ad ignem faciendum, ſed minime vel ad vendendum, vel ad dandum. Conceſſimus etiam omne *uſuarium* de beſtiis eorum, ſive bobus, ſive porcis, ſive aliis. *Actum eſt iſtud anno ab Incarnatione Domini* M XCI. Epacta Lunæ XXVIII. regnante HENRICO *Imperatore IV.* Epiſcopo autem prædicto *Henrico*, Leodicenſi Eccleſiæ præſidente. Hujus rei teſtes ſunt *Arnulfus d'Eſtrées*, *Lanfridus de Tillou*, Godefredus de Jelain, Robertus de Maures & filii ejus, Robertus Boſo, Wermannus de Es, qui donum receperunt, Rodulfus, Lambertus-Fulconus de Frens, Galterus & Adelardus, de Louvernal, Godofredus de Piſſeleu, Petrus & Adelardus de Fontaines, Theodoricus de Marenes. Huic traditioni legitime placuit etiam poſtea Amitæ meæ *Hermengardi*, Comitiſſæ, & filio ejus pariter concordat, ſuamque partem, quam in prædicta Eccleſia paterno jure poſſidebant,

Q 2

Comite dixerunt; ſed tantum de *Rodulfo* quodam Comite, qui circa annum 1187. vivebat, quem antiquiorem gentis crediderunt. CHOPPIN. *de Doman. lib. 3. tit. 3. n. 11.* A. LOYSEL. *Antiq. Bellovacenſ.*

(b) *Sancti Symphoriani*] in pago Leodicenſi apud Belgas.

Digitized by Google

bant, eisdem beatis Apoſtolis ſimili diffinitione contradere, coram jam dicto venerabili, ac piæ memoriæ *Henrico*, Epiſcopo, & coram idoneis teſtibus, qui infra ſubſcripti ſunt Canonici, Albertus de Sancto Lamberto, Theobaldus de Sancto Michaele; Laici, Lambertus de Foro, Arnulphus d'Eſtrées, Galterus & Fratres, & multi alii.

LXVIII.

Donatio Monaſterio Talveriarum a Comite Gebennenſi.

Ex Autographo Eccleſiæ Talverienſis.

1192. APprobatæ Principum conſuetudinis eſt, ſuis largitionibus Eccleſiarum poſſeſſiones ampliare, poteſtateque a Deo ſibi tradita a raptorum incurſibus easdem viriliter defenſare. Ea propter ego WILERMUS, *Gebennenſium & Valdenſium* (a) *Comes*, ad notitiam tam præſentium, quam ſequentium tranſmitto, me ad exemplar bonæ memoriæ Prædeceſſoris mei *Aymonis*, Comitis Gebennenſis, ob remedium animarum Anteceſſorum meorum & meæ, Deo & B. Mariæ, Talverienſis Monaſterii Servitoribus, per manum Raymundi Prioris, duas partes decimarum Correatæ meæ in *Anneciaco*, & duos decimarum vineæ, & decimam prati mei, & quatuor domos, cum ipſis caſalibus, in eodem Anneciaco ſitis, & paſtum omnium porcorum Talverienſium Monachorum in Sylva mea, quæ vocatur *Chevennieu*, & totum ſervitium & exactionem, quam habebam in prædicti loci capellano, & totum dominium, quod habebam, ſicut Comes & bonus Advocatus in Eccleſiis, quæ ſitæ

(a) *Valdenſium Comes*] Gebennenſes Comites, olim multa oppida ad lævem Lacus Lemani ripam, apud Vantuates poſſidebant, ideo ſe *Valdenſes* Comites profitebantur. *Vantuatum* enim regio, illo ſæculo, Valdenſis patria vocabatur, quæ adhuc hodie dicitur *le Pays de Vaud*.

Digitized by Google

ſitæ ſunt in Anneciaco novo & veteri, perpetua donatione confirmaſſe, & ſigilli mei authoritate roboraſſe. Hujus donationis & confirmationis, apud Anneciacum vetus factæ, teſtes ſunt Magiſter Fulco, Joannes de Mayetés, *Turumbertus de Lucingio,* (b) Willermus de Inſula, & multi alii.

Proceſſu vero temporis hanc donationem & confirmationem ſic factam *Humbertus,* (c) filius meus, bona fide laudavit, & confirmavit; unde teſtes ſunt, Raymundus, Prior Talverienſis, Joannes de Mayetés, Turumbertus de Lucingio & multi alii. Facta eſt autem hujus conceſſionis & confirmationis carta *anno Incarnationis Dominicæ M C L X X X X I I. Indict. X. Epacta IV. concurrente III. Celeſtino ſummo Pontifice, Henrico Romano Imperatore.*

LXIX.

Teſtamentum HUMBERTI, *Domini Montislupelli.*

Ex Cartulario Inſulæ Barbaræ.

In Nomine Domini noſtri JEſu Chriſti.

ANno Domini MCCXXXVI. Kal. Auguſti. Ego HUMBER- 1236.

(b) *Turumbertus de Lucingio*] e Lucingiorum apud Focunates ſive Focignios, familia nobili & antiqua, quæ in Sabaudia etiamnum multo cum honore viget.

(c) *Humbertus filius meus*] quem *Albericus Monachus Trium Fontium* Viduæ Domini de Focigni nupſiſſe ſcribit. In Comitatu Gebennenſi *Willermo* Patri ſucceſſit, ſed paulo poſt obiit, relicto *Eubalo* unico filio, cui *Wilelmus* Patruus Comitatum contra primogenituræ legem præripuit; *Eubalus* autem in Angliam profugus ſine liberis deceſſit, anno 1259. *Albericus* ei fuiſſe fratrem, nomine *Guilelmum*, Comitem Gebennenſem, majorem natu ait, quod fide caret, deceptus enim *Albericus*, Patruum pro fratre accepit.

Digitized by Google

BERTUS, (a) *Dominus Montiſlupelli*, in bona & ſana mente conſtitutus, volens intrare religionem *Militiæ Templi Jeroſolymitani*, volo facere teſtamentum nuncupativum, de rebus meis diſpono in hunc modum: Inprimis *Alaſiam*, (b) filiam meam, hæredem inſtituo in dote ſua, quæ eſt ſex mille ſolidorum Viennenſium, & in redditibus X. librarum Viennenſium, & in quinque ſolidis Viennenſibus, quæ ſibi ſolvi præcipio poſt mortem meam naturalem, & pro iis omnibus volo eam eſſe contentam, tam de rebus paternis, quam maternis. *Helizabeth*, (c) filiam meam, hæredem inſtituo in dote ſua, quæ eſt CXX. librarum Viennenſium, & in redditibus C. ſolidorum Gebennenſium, & in CXI. ſolidis Viennenſibus, quos ſibi præcipio ſolvi poſt mortem meam naturalem, & pro iis omnibus volo eam eſſe contentam tam de rebus paternis, quam maternis. *Margaretam* (d) filiam hæredem inſtituo in dote ſua, quæ eſt C. Marcharum argenti, & redditPUuum, quos pro dote ſua in *Verrumeis* (e) aſſignavi, & CXI. ſolidorum Viennenſium, quos ſibi præcipio ſolvi poſt mortem meam naturalem, & in medietate omnium rerum, quas habebam, & habere debebam apud *Sanctum Marcellum* (f) nomine meo, vel nomine Matris ſuæ, pro iis omnibus volo eam eſſe contentam, tam de bonis paternis, quam maternis.

Mat-

(a) *Humbertus, Dominus Montiſlupelli*] Petri Domini Montislupelli & de Montanay filius.

(b) *Alaſiam*] quæ nupſit Berlioni de Turre Militi, Alberti, Domini de Turre-Pini, filio, apud Delphinates.

(c) *Elizabeth*] uxorem Arnaldi Guili, Militis.

(d) *Margaretam*] quæ Domino S. Amoris in Comitatu Burgundiæ nuptiis conjuncta fuit.

(e) *Verrumeis*] Pars eſt Bugeſianæ Provinciæ, vulgo le Valromey.

(f) *Sanctum Marcellum*] Vicus eſt in Sebuſianis.

Matthiam, (g) filiam meam, hæredem inſtituo in dote ſua, quæ eſt centum librarum Viennenſium, & dominii & uſagii, quæcumque habui tempore dotis conſtitutæ apud *Montaney,*(h) & in CXI. ſolidis Viennenſibus, quos ſibi ſolvi præcipio poſt mortem meam naturalem, & in medietate omnium rerum, quas habebam & habere debebam apud Sanctum Marcellum, nomine meo, vel nomine Matris ſuæ, & pro iis omnibus volo eam eſſe contentam, tam de rebus paternis quam maternis; & ſi filiæ meæ contentæ non eſſent iis, quæ ſibi reliqui, vel aſſignavi ultra dotem, volo quod ea, quæ eis reliqueram, vel aſſignaveram, ultra dotem ad filium meum, *Petrum,* remaneant & revertantur, quem in omnibus aliis rebus meis, mobilibus ac immobilibus, vel ſe moventibus, juribus & uſagiis, dominiis & feudis, debitis & actionibus, quaſcumque habeo, vel habere debeo de jure, vel de facto, hæredem inſtituo, & volo & præcipio, ut pro iis omnibus ſolvat debita mea, & clamores, quæ, legitima & moderata computatione facta, computavi ad valentiam *mille & quingentarum marcharum argenti,* medietatem uſusfructus dotium uxorum quondam mearum mihi retineo ad vitam meam, donec moriar morte naturali. Eccleſiæ *Inſulæ Barbaræ* (i) do, lego, duas petias terræ, quas habeo ſuper *Miribellum,* (k) quæ ſunt de feudo Eccleſiæ ſupradictæ; & ſi non valerent XX. ſolidos annuatim, volo quod in aliis rebus feudi tantum apponatur, ut

(g) *Matthiam*] quæ Guygonem Dominum de Buyes in Valle-bona apud Sebuſianos maritum habuit.

(h) *Montaney*] Caſtrum eſt in confinio Lugdunenſis, Dombenſis & Sebuſianæ Provinciarum.

(i) *Inſulæ Barbaræ*] vulgo l'Isle-Barbe, olim Monaſterium Benedictorum inſigne, ad Ararim fluvium, juxta Lugdunum, nunc Canonicorum ſæcularium Capitulum.

(k) *Miribellum*] oppidum eſt non longe a Montelupello.

ut valeant annuatim XX. ſolidos. Domui *Buxæ* (l) dono pratum unum, quod eſt in prato majori, vel quinque ſolidos cenſuales Eccleſiæ S. Martini de *Dagnieu*, volo quod duodecim denarii aſſignentur in villa de *Dagnieu* (m) annuatim. Tredecim Eccleſiis circa Montemlupellum, ſingulis tres ſolidos jubeo dari, ad arbitrium Domini Abbatis Inſulæ Barbaræ, & Guigonis Sacriſtæ, Sancti Pauli, Ponti Rhodani X. ſolidos, Operi Eccleſiæ Lugdunenſis V. ſolidos, fratribus Minoribus unam procurationem, fratribus Prædicatoribus alteram, Pœnitentibus Sancti Martini IV. ſolidos; & ſi hæc voluntas mea non valeat nomine teſtamenti nuncupativi, volo quod valeat Codicillorum; & ſi non valet jure Codicillorum, volo quod valeat ratione cujuslibet ultimæ voluntatis, quæ poterit valere; illam libertatem, quam ego & anteceſſores mei erga Domum Buxiæ obſervavimus, volo futuris temporibus obſervari. Hujus meæ ultimæ Voluntatis *teſtes* rogati & vocati ſunt iſti: Dominus *Wilelmus*, Abbas Inſulæ Barbaræ; *Guygo de Sylva*, Sacriſta S. Pauli; *Petrus Capellanus* Capellæ S. Bartholomei de Montelupello; *Giraudus* de Montefalcone; *Aymo de Malual; Falco de Moiſſon*, Milites, Dominus Paganus Papienſis, & *Bartholomæus* (n) ſcriptor.

LXX.

Carta Comitis Matiſconenſis pro Eccleſia Cluniacenſi.

Ex Cartulario Cluniacenſis Monaſterii.

1216. EGo WILELMUS, *Comes Viennenſis & Matiſconenſis*. Notum facio omnibus, præſentes litteras inſpecturis, quod in

(l) *Buxa*] Prioratus eſt in Valle-Bona, prope Montemlupellum Ordinis S. Ruffi, vulgo la Boyſſe.

(m) *Dagnieu*] vicus ignobilis, quaſi in Montislupelli ſuburbio.

(n) *S. Bartholomei*] in Oppido Montislupelli.

in illa compoſitione, quæ facta fuit inter me, ex una parte, & Venerabilem Virum, Dominum *Geroldum*, Abbatem Cluniaci, & dictam Eccleſiam ex altera, apud *Trinorchium*, (a) ſicut inſtrumento inde confecto plenius continetur; nulla fuit facta compoſitio de *Monte-Berthodi*, neque de ejus pertinentiis, imo remanſit in querela, & dictum fuit, quod infra 40. dies, poſtquam fuero requiſitus, ipſi Abbati & Eccleſiæ jus faciam de memorata querela, & de Nemore de Arbonay, debent inquirere jus meum, & jus Abbatis. *Hugo de Azié*, (b) Decanus de *Perrona*, (c) & Guido de Loſiaco, Miles, & Dominus de Montmelert, & de *Vigoſſet*, (d) debent inquirere veritatem. Joſſerandus Prior de Maſſiliis, & Simon de *Vers*, (e) Miles; iſtæ duæ inquiſitiones debent eſſe terminatæ usque ad mediam quadrageſimam. Ego autem, quidquid dicti Inquiſitores dixerint & inquiſierint, me ſervaturum juravi & ſigillaturum. In cujus rei teſtimonium præſentem cartulam, tam ego, quam filius meus *Guirardus*, (f) fecimus ſigillis noſtris roborari. *Actum anno gratiæ M CC XVI. menſe Januario, apud Trinorchium.*

LXXI.

(a) *Trinorchium*] vulgo Tornus; oppidum ad Ararim fluvium.

(b) *Hugo de Azié*] familia olim Nobilis apud Matisconenſes, quæ extincta eſt.

(c) *Perrona*] vulgo Perrone, in pago Matisconenſi.

(d) *Vigoſſet*] Caſtrum eſt in eodem pago.

(e) *Vers*] feudum eſt antiquum in ipſomet pago.

(f) *Guirardus ſive Girardus*] ejus nominis II. qui poſt Guilelmum Patrem, Matisconenſis & Viennenſis Comes extitit, quem ſine liberis maſculis obiiſſe in confeſſo eſt, relicta tantum unica filia, uxoris Joannis Drocenſis, dicti de Brenna, e ſanguine Regio, ut ſupra jam tetigimus.

R

Digitized by Google

LXXI.

Litera Compoſitionis inter Girardum, Comitem Matiſconenſem, & Eccleſiam Cluniacenſem.

Ex Cartulario Monaſterii Cluniacenſis.

1180. NOtum ſit omnibus, præſentibus & futuris, quod frequenter orta eſt querela inter Nobilem Virum, Comitem *Girardum* Matiſconenſem, & *Monachos Cluniacenſes*, ſuper indebitis conſuetudinibus & inſolitis actionibus, quibus Comes & Miniſtri ejus terras Eccleſiæ Cluniacenſis, in Epiſcopatu Matiſconenſi ſitas, ultra modum gravabant. Siquidem Comes in quibusdam villis Monachorum Advocationem & cuſtodiam quærebat, ubi Monachi nihil illum habere aſſerebant; in aliis vero locis, ubi conſtabat, illum Advocationem habere, indebitas exactiones & inſolitas conſuetudines uſurpabat. Cum igitur ſuper his ſæpenumero a fratribus Cluniacenſibus mota eſſet querela, tandem mediantibus Viris prudentibus & Religioſis, controverſia illa ſopita eſt, & in hunc modum ad pacem perducta: Convenerunt apud Sanctum Martinum Matiſconenſem, Dominus *Theobaldus*, Venerabilis Abbas Cluniacenſis, cum quibusdam Senioribus Cluniacenſibus, & memoratus Comes *Girardus*, cum multis Militibus & Miniſtris ſuis; & tandem compromiſſum eſt inter eos, ut hinc inde viros antiquiores & fideliores eligerent, quos de conſuetudinibus & ſtatu terræ illius eſſe crederent certiores; & quidquid ipſi teſtes, præſtita prius ſacramenti religione, aſſererent, ab utraque parte firmiter teneretur. Cum ergo præfati teſtes, dato prius ſacramento, de inveſtiganda veritate ſecum pariter diu deliberaſſent, tandem in hoc teſtimonium conſenſerunt, & dictum eſt ab eis, quod Comes *Wilelmus*, Pater Comitis Girardi, nullum omnino jus vel conſuetudinem aliquam

aliquam in domo vel in villa de *Laiſiaco* (a) aliquando habuit, aut quæſivit, & Comes *Girardus* teſtimonio illorum libenter aſſenſit. Dictum eſt, quod Comes in villa de *Domenge* & de *Igy*, (b) habebat gerberiam, videlicet in Foſſore unam gerbam, & in Aritore duas, apud Aionem habet Comes cuſtodiam viarum & paſcuorum, quæ paſcua Comiti & Monachis ſunt communia; in Nemore, quod dicitur Johu, habet Comes medietatem, & Monachi quartam partem; & Comes & Monachi habent ibi taſchias ſuas; in Nemore de Domenge habet Comes quatuor Colungerios, in quibus Monachi nihil accipiunt; apud Domenge habet Comes medietatem, & Monachi quartam partem; & Comes & Monachi medietatem; in iis tribus villis nullam aliam conſuetudinem habet Comes, vel Miniſtri ejus, in terra Monachorum. Dictum eſt, quod in obedientia de Chaveniis & ejus appenditiis habeat Comes latronem, adulterum, homicidam & fœneratorem, qui in præſentia Decani de Chaveniis legitime approbati fuerint, vel conjuncti, Cenſum & Marchias cenſuales, & cuſtodiam viarum & paſcuorum; deinde *Albergariam*, quam per memoratorum teſtium garandiam pro voluntate ſua ibidem habere poterat, & quaſque alias conſuetudines vel exactiones ipſe, vel Miniſtri ejus, ibi quærebant. Sæpe dictus Comes ob remedium animæ & anteceſſorum, ſive ſucceſſorum ſuorum penitus guerpivit, & dedit Cluniacenſi Eccleſiæ. Propter hoc donum conceſſit ei Abbas, Dominus Theobaldus, & Conventus Cluniacenſis, ut procurationem, quam ipſe Conventui Cluniaci & Leproſis de *Sancto Lazaro*, ſingulis annis in octavis Penteceſtes ſponte faciebat, *Domus de Chaveniis* faciat; poſt deceſſum vero ejus ad diem anniverſarii ſui redigetur, ad Miſſam unam quotidianam pro ipſo & anteceſſoribus

(a) *Laiſiaco*] vulgo Laiſé, vicus in pago Matiſconenſi.

(b) *Domence & Igy*] vici, itidem Comitatus Matiſconenſis.

ribus ejus, ſive ejus ſucceſſoribus ei conceſſerunt; & in fine ſuo tantum pro eo fiat, quantum ſolet fieri pro Domino Abbate Cluniacenſi, in ſingulis quoque Dominicis Capellaniis de *Chavenia* ſpecialem in Eccleſia faciat pro ipſo memoriam anteceſſoribus ejus; donaverunt etiam ei, & remiſerunt, quidquid reliquerat in rebus mobilibus Cluniacenſi Eccleſiæ, excepto, quod de indebitis conſuetudinibus, ſi quas in aliis locis, ad Cluniacenſem Eccleſiam pertinentibus, induxit, & de fundo terræ, vel cenſu debitali, eum nihilominus poterunt appellare. Ut autem hujus pacis definitio perpetuæ firmitatis obtineat vigorem, ipſe Comes cum omni devotione hoc tenendum juravit, & conventiones iſtas literis mandari præcepit, & ſigillorum præſentium impreſſione roborari; laudaverunt etiam, & tenendum juraverunt *Guilelmus* & *Gaucherius* filii ſui. *Actum Matiscone apud Sanctum Martinum, Anno ab Incarnat. Domini M C LXXX.* præſente Domino Theobaldo, Abbate, & audientibus multis, vel aſtantibus, quorum nomina ſubſcripta ſunt. *Teſtes* Gaudus, Prior Cluniaci; Ardinus, Magiſter Hoſpitalis de Sancto Egidio; Hugo Sacriſta Cluniacenſis; Petrus de Marziaco; Wido de Coloniaco; Droco de Brueria, Decanus de Perrona; Artaudus, Vicecomes Matisconenſis; Alardus de Montbelet; Hugo de Vinzelles; Wido de Loyſiaco. *Hugo Caprarius,* (c) Durannus de Varennis & alii. *Præterea* conceſſit idem Comes, ut Monachi Cluniacenſes pactiones iſtas, ſi voluerint, per manum Domini Papæ, & Domini Regis Francorum faciant confirmari.

LXXII.

(c) *Hugo Caprarius*] Caprariorum familia, vulgo Cheuriers, totius Provinciæ Matisconenſis antiquiſſima; cujus hodie caput Honoratus Caprarius, Dominus de Sainct Mauris & Tilly Vicecomes.

Hujus literæ tenorem delibavit QUERCETANUS in *Hiſt. Burgundiæ, Lib. 3. cap. 43.*

Digitized by Google

LXXII.

Erectio Comitatus Matisconenſis in Pariatum.

Ex Archivo Civitatis Matisconenſis.

CAROLUS (a) *Primogenitus, Regis Francorum* Regnum regens, Dux Normaniæ, ac *Delphinus Viennenſis.* Celſitudo Regiæ Majeſtatis illos majoribus prærogativis & honoribus inſignire, & inter cæteros attollere conſuevit, quibus cum præcellenti nobilitate generis, qua alios antecellunt, concurrentia virtutum, & inſolitorum actuum merita ſuffragantur. Nos igitur, antiquas memoriæ dignas Progenitorum noſtrorum, Regum Francorum, ordinationes ad memoriam revocantes, qui ad conſervationem honoris Coronæ Franciæ, ac conſilium & juvamen Reipublicæ, *in eodem Regno XII. Pares, qui Regni Franciæ in arduis Conſiliis & Judiciis aſſiſterent, & in factis armorum ſtrenue, ad Tutamentum Regni & Reipublicæ, Regem ipſum paritate fideli, inter Collaterales ſuos ſplendidius comitarent,* conſideratione provida ſtatuerunt, inter quos *Comes Tholoſanus* unus eſſe ſolebat, cujus ſucceſſio ad *Coronam Franciæ* jure hæreditario perveniſſe noſcitur, ab antiquo loco, cujus, quantum ad Parriæ & Parriatus honorem & nomen attinet, alium æque, vel magis idoneum, præſertim his temporibus, quibus in eodem Regno viguerunt, & vigent guerræ, a ſatore zizaniæ & humani inimico generis procuratæ, ſubrogare volentes; ut ſaltem, quantum ad illum, numerus deficiens ſuppleatur, communicato Magnatum & Prælatorum, aliorumque ſapientium Coronæ Franciæ fidelium conſilio, & deliberatione ſuper his habita diligenti; ad perſonam *chariſſimi fratris noſtri Germani, Domini* JOANNIS (b) 1359.

 Mati-

(a) *Carolus*] qui poſtea fuit Rex Francorum, ejus nominis V.

(b) *Joannis*] dein Ducis Biturigum & Avernorum, qui ſine liberis maſculis deceſſit.

Digitized by Google

Matiſconenſis & Pictavienſis Comitis, (c) qui ad dimicandum contra hoſtes chariſſimi & metuendi Domini noſtri, JOANNIS Dei Gratia, Francorum Regis, & Regni non ſolum, ejusque genitoris noſtri & ſui, verum & fidelem natura legitima filium ſe exhibuit. Imo pro tuitione Regni & Reipublicæ ſe pugilem & defenſorem evidenti virtutum & actuum ſtrenuorum judicio demonſtravit, & præcipue in partibus Oxitanis noſtræ conſiderationis aciem dirigentes. Notum facimus univerſis, præſentibus pariter & futuris, Nos præfatus, Regnum regens, jure & authoritate Regis, quibus utimur, in hac parte, *& de plenitudine poteſtatis Regiæ*, Nobis in abſentia præfati genitoris noſtri attributæ, & debite competentis, conſtituiſſe & creaſſe Dominum Germanum noſtrum, ex utroque fraterna linea nobis junctum, *Parem Franciæ*, & in numero Parium collocamus, ut Comitem Matiſconenſem conſtituimus, & Parem Franciæ creamus; decernentes, pronunciantes, ac etiam ſtatuentes authoritate, jure & plenitudine ſupradictæ poteſtatis, ut idem Germanus noſter, ut Comes Matiſconenſis, & ſui ſucceſſores *de ejus ſanguine, in eodem Comitatu Matiſconenſi paterna linea deſcendentes, omnibus & ſingulis prærogativis, juribus, privilegiis, libertatibus & honoribus gaudeant & utantur, quibus cæteri pares Franciæ gaudere & uti ſunt ſoliti, præteritis temporibus & modernis*, nec de perſonis eorum, vel cauſis, in quantum ad Comitatum & Ballivatum Matiſconenſem, eorumque reſſorta, vel reſſorti dependentias, vel appenditias attinet, vel attinere poterit, poſſit per quemcunque quacunque authoritate, commiſſione vel poteſtate fungentes; *ſed ſolum-*

(c) *Matiſconenſis Comitis*] Comitatum Matiſconenſem hic Princeps, dono a frotre Carolo jam habuerat diplomate ejusdem anni 1359. Majo menſe, ut recte annotarunt clariſſimi *Sammarthani fratres; Hiſt. Gen. lib. 18. c. 1.* ſed dignitas Paris Franciæ ei eodem diplomate conceſſa non fuit, ſed iſto tantum.

ſolummodo per Reges, vel Regentes Regnum Franciæ, vel de eorum ſpeciali mandato, in Regio Parlamento cognoſci, ac etiam judicari, ſalvo reſſorto cauſarum & negotiorum quoad partes, Juriſdictionem ſuam in ſuo foro tangentes, per *viam appellationis* deducendo, ad dictum Regium Parlamentum, ſicut de cauſis & negotiis cæterorum Franciæ Parium fuit; & eſt hactenus conſuetum, non obſtantibus, ſi Comitatus & Baillivatus Maſconenſis alias non conſueverint teneri in Parriam, nec cenſeri, honore vel nomine paritatis, conſuetudinibus, uſibus, ſtylis, & ordinationibus contrariis quibuſcunque non obſtantibus, etiamſi authoritate Regia ſint firmatæ. Mandantes authoritate, jure, & poteſtate Regis quibus ſupra, univerſis & ſingulis Ducibus, Principibus & Prælatis, Comitibus & Baronibus, & aliis ſubditis regni Franciæ, quocumque nomine cenſeantur, quod Dominum Germanum noſtrum, Comitem Matiſconenſem, & alios ejus Succeſſores Comites Matiſconenſes, ex ſua Poſteritate, ut præmittitur, deſcendentes, ut Pares Franciæ tractent, recipiant & honorent; inhibentes eiſdem & eorum ſingulis authoritate, jure & poteſtate prædictis, ſub omnibus pœnis, quas ei poſſumus comminari, ne ipſum vel ejus prædictos ſucceſſores in præmiſſis impediant, vel perturbent, aut præſenti gratiæ detrectare præſumant; ſi offenſam & ultionem effugere voluerint Regiæ Majeſtatis; quod ut perpetuam roboris firmitatem obtineat, litteras præſentes ſigilli noſtri fecimus appenſione muniri; ſalvo in aliis jure Regio & quolibet alieno. *Datum apud S. Dionyſium in Francia, anno Domini* MCCCLIX. *menſe Septembri.*

LXXIII.

LXXIII.

Donatio Monaſterio Cluniaci, a Comite Monſtrolienſi.

Ex Cartulario Eccleſiæ Cluniacenſis.

1215. EGo, *Comes Pontivii*, & *Monſtrolii* WILELMUS. (a) Notum facio præſentibus & futuris, præſentem paginam inſpecturis, me in eleemoſynam pro anima mea & hæredum meorum, Conventui Sancti Petri-Cluniacenſ. perpetuo contuliſſe decem millia *halecum*, pariter & conceſſiſſe in proprios uſus dicti Conventus diſtribuenda, ſuper Comitatum meum de Abbatis-Villa, ita ut quisquis illum, ſive ego, ſive alius ad firmam a me teneat, annuatim intra feſtum Beati Andreæ Apoſtoli percipienda, & ut hoc ratum & inconcuſſum in perpetuum maneat, præſentem Cartulam ſigilli noſtri munimine roboravi. *Actum eſt Anno Incarnat. Domini* M.CC XV. *menſe Aprili.*

LXXIV.

Donatio HENRICI IV. *Imperat. Monaſterio Fructuarienſi.*

Ex Tabulario ejusdem Monaſterii.

1070. HENRICUS, *Divina favente gratia* REX ROMANORUM. Omnium Dei noſtrorumque fidelium, tam futurorum, quam præſentium, ſolers induſtria noverit, qualiter nos pro amore divino, animæquæ beatæ memoriæ *Patris* noſtri, HENRICI *Imperatoris Auguſti*, & noſtræ remedio, & per interventum *piiſſimæ matris meæ*, AGNETIS, *Auguſtæ Imperatricis*; & ANNONIS, *Colonienſis Archiepiſcopi* & *Archicancellarii*, Fructu-

(a) *Wilelmus*] idem eſt, de quo ſupra locuti ſumus cap. 8.

Digitized by Google

Fructuarienſi (a) Monaſterio, in Sanctæ Dei genitricis & perpetuæ Virginis Mariæ, & SS. Benigni & Triburtii Martyrum conſtructo, quendam locum, quem Pater meus acquiſivit, *Forum* (b) nuncupatum, cum omnibus pertinentiis & appendicibus, ad me & matrem meam pertinentibus, hoc eſt, Eccleſiis, agris, ædificiis, pratis, paſcuis, cultis & incultis, viis & inviis, aquis & aquarum ductibus, molis, molendinis, piſcationibus, portubus, & cum omni utilitate, vel quam nunc habet, vel quam habere deinceps ullo modo poterit, in proprium dedimus atque tradidimus. Qualem vero locum, in *Comitatu Aquenſi* (c) ſitum, ea ratione conceſſimus, ut venerabilis Abbas Albertus, omneſque Succeſſores illius, cum conſilio aliorum Monachorum ejuſdem Monaſterii liberum tenendi, commutandi, vel quidquid ſibi placuerit, ad uſum dicti Monaſterii inde faciendi. Nullus itaque Archiepiſcopus, Epiſcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, vel aliqua regni noſtri parva, aut magna perſona præfatum Monaſterium de prædictis prædiis, beneficiis aut poſſeſſionibus inquietare, moleſtare, diveſtire ſine legali judicio præſumat, ſub pœna mille librarum auri optimi perſolvendarum, pro medietate reſpective Cameræ noſtræ & Fructuarienſi Eccleſiæ. *Datum apud Sanctum Goarum, anno Domini* MLXX. *Signum* HENRICI Regis.

LXXV.

(a) *Fructuarienſi*] Abbatia eſt in Diœceſi Eporedienſi, a Guilelmo, Roberti Comitis Vulpiani in Pedemontio filio, Monacho Sancti Michaëlis de Lucedio, & Abbate Sancti Benigni Divionenſis, anno Domini 1003. fundata, Ordinis Cluniacenſis, vulgo Monaſterium S. Benigni, vel *S. Balain. vid. Hiſt. Chronol. Ped. c. 27.*

(b) *Forum*] hodie Villa-Focaria.

(c) *Comitatu Aquenſi*] vulgo Aqui, in ea Montisferrati parte, quæ trans Tanagrum appellatur.

Digitized by Google

LXXV.

Donatio Comitis Metenſis, Monaſterio S. Benigni Fructuarienſi.

Ex. Archivo ejusdem Abbatiæ.

1020. NOtum ſit omnibus Sanctæ Dei Eccleſiæ fidelibus, tam præſentibus, quam futuris, quomodo quidam *Vir Illuſtris & magnæ opinionis, Comes* GERARDUS, (a) memor fragilitatis ſuæ, ſuadente ſua conjuge EVA, (b) pro ſe & anima filii ſui SIGIFREDI (c) defuncti, & conſilio parentum & omnium ſuorum fidelium, dedit partem proprietatis ſuæ ad locum *Fructuarienſis Monaſterii,* conſtructi in honore Sanctæ Mariæ, in Regno Italiæ, in Provincia *Longobardiæ* in eodem Regno, & in eadem Provincia ipſe Comes tradidit ad ſupra dictum locum Eccleſiam, in honore Sancti Michaëlis ſacratam, ſitamque in loco, qui dicitur *Moros,* cum molendino ejus proximo & omni integritate ſediminis, ubi conſtructa conſiſtit; omnem penitus poſſeſſionem, quam prædictus Comes a Domino beatæ memoriæ *Wilelmo,* Divionenſis Monaſterii Abbate, per commutationis teſtamentum in toto Regno Italiæ acquiſivit, & de jure S. Benigni, per manus prædicti Abbatis in ſuum jus vindicavit, totam in integrum ad ſupradictum Monaſterium tradidit, conceſſit & dedit. Et ut hujus traditionis donum ſtabile, firmumque permaneat, idem Comes

(a) *Comes Gerardus*] Metenſis ſcilicet, Ebefardi, Alſatiæ Comitis, filius; de cujus progenie plura optime & exquiſite diſſeruit *R. P.* VIGNERIUS, *Congregationis Oratorii Sacerdos, in Origin. famil. Alſat. & Lotharing.*

(b) *Eva*] nomen proprium uxoris Comitis Gerardi, quod hucusque latuerat.

(c) *Sigifredi*] defuncti in pugna anno 1017. ut recte notavit QUERCETANUS *in Hiſt. Luxemb. c. 1. ſub fin.*

Digitized by Google

mes *Gerardus* propria manu confirmavit, & confirmatum tradidit; & *D. Deodericum*, Metenſis Eccleſiæ Epiſcopum, cum pluribus aliis, idem agere rogavit, ſtipulatione ſubnixa. Actum *Metis publice 3. Non. Februarii, anno Incarnat. Domini* MXX. *Indict. III. regnante* HENRICO *Imp feliciter, anno Regni ejus 17. Imp. vero 5. Signum Domini* DEODERICI *Metenſis Epiſcopi*, GIRARDI, GISELBERTI, FOLMARII *Comitum. Hermanni Gonteri, Marfridi, Tieurelini, Odelrici, Richeri.*

LXXVI.

Privilegium, Civitati SAVONÆ *ab Auberto, Marchione Savonæ, conceſſum, ſtylo ſemi-barbaro.*

Ex Archivo Civitatis Savonæ.

In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.

NOtum ſit vobis omnibus, noſtris fidelibus noſtriſque hominibus *Saonenſis* (a) tam præſentibus, quam futuris, quod Ego AUBERTUS, *Marchio*, (b) promitto atque ſpondeo propter fidelitatem & ſervitium noſtrorum hominum Saonenſium retinendum, quod ab hac hora in antea non intrabo in Caſtello Saonæ per nullam vim, ingenium, nullaque occaſione quod fieri poteſt, nec ullam *Albergariam* de Caſtello, nec de Burgo, nec de civitate, ſi facta fuerit, non requiſiero, niſi ſub tectis manſionibus noſtros fideles, & caballos noſtrorum fidelium majorum ſeximento perſonarum, vel de more in Caſtello, ſive in Burgo atque Civitate, ſi facta fuerit, non faciam ſine legali judicio, neque a noſtris fieri permitto- 1061.

S 2

(a) *Saonenſis*] vulgo *Savone, Savonia* oppidum in ora Genuenſi.

(b) *Albertus Marchio*] Savonæ ſcilicet, qui a Marchionibus *Eporedienſibus* originem (ut ferunt) ducebat, ab eo *Pallavicinorum* Marchionum illuſtris familia derivari creditur.

Digitized by Google

mittemus; generale placitum, niſi ſemel in anno cuſtodiendi tribus diebus eiſdem civibus Saonenſibus non in ponemus; & hoc generale placitum non requiro, niſi de feſtivitate omnium Sanctorum usque ad Septuageſimæ; contentionem autem vel litem prædii, vel libellariæ, vel cujuscunque rei, ſi venerit in meis prædictis hominibus, habitantibus in Caſtello Saonæ, vel Burgo, vel Civitate, cum ſacramentales de rebus & libellariis injuſte Abbatis uſurpatione per 20. annos *Nam per duos cives Saonenſes qualecumque litem orta fuerit me deffinire oportet;* quomodo illorum dirigitur; conſuetudo quidem & ſpondeo atque promitto ego, qui ſupra, *Aubertus* Marchio, vel meos hæredes, adverſus populum Saonenſis, hæc ſtatuta violare vel frangere tentaverimus, tunc imponamus auri optimi libras centum, medietatem Cameræ Regis, & medietatem jam dictis Civibus Saonæ. *Anni ab Incarnat. Domini noſtri JEſu Chriſti* M LXXI. *Indict.* 15. Ego *Auberto*, qui hunc Teſtamentum fieri rogavi, ut ſupra ei relecta eſt. *Teſtes* fuere Aſtengo Carbonus, Daniel Judex interfuit.

LXXVII.

Donatio Leotaldi, Comitis Matisconenſis, Monaſterio Cluniaci.

Ex Cartulario Eccleſiæ Cluniac. ab Authore Cluniaci viſo.

899. SAcroſanctæ Eccleſiæ, in honore beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli fundatæ, in pago Matisconenſi, in villa *Cluniaco*, quam Dominus *Oddo*, Abbas, ad regendum habere videtur Ego *Leotaldus*, Dei Gratia Comes Matisconenſis, nec non & uxor mea *Ermengardis*, pro Dei amore & æterna retributione, ut pius Deus animas noſtras & parentum noſtrorum *Alberici* atque *Tholoſanæ*, *Manaſſei* & *Ermengardis*, nec non *Geraldi* amici noſtri, ſeu omnium fidelium Chriſtianorum,

rum, tam vivorum, quam & defunctorum, liberare dignetur de pœnis inferni. Pro ipſo amore cedimus atque donamus ad ipſam cauſam Dei aliquid ex rebus noſtris in pago Lugdunenſi, in *Villa Dardanico,* ſuper fluvium *Sillia,* (a) quæſitum & inquirendum, cum omnibus appendentiis & ſervientibus ſupermanentibus, quidquid ibi viſi ſumus habere totum ac integrum ad ipſam Dei cauſam, ad ſtipendium fratrum, ibidem Deo jugiter ſervientium. Si quis vero donationem iſtam contradixerit, iram Dei incurrat, & auri libras 4. componat, & donatio iſta firma permaneat ſtipulatione ſubnixa. S. Leotaldi. S. Ermengardis, qui donationem iſtam fieri & rogaverunt firmare. S. Gaufredi Comitis. S. Nardoyni. S. Leodegarii. S. Racherii. S. Geraldi. S. Gothofredi. S. Gosberti. S. Iwicherani. S. Mayoli. S. Odeylardi. S. Alberici. S. Ardradi. S. Wichardi. S. Aalgarii. S. Bononis. *Data per manum Berardi, die Mercurio II. Kal. April. Anno XII. regnante* RODULPHO (b) *Rege.*

LXXVIII.

Pactum inter Andream Delfinum Viennenſem, & Archiepiſcopum Ebredunenſem, de Comitatu Ebredunenſi.

Ex Cartulario Ebredunenſi.

In Nomine Domini JEſu Chriſti.

ANno Incarnat. Dominicæ MCCX. regnante OTTHONE 1210.
Romanorum Imperatore, præſentes noverint & futuri, quod Dominus ODDO, illuſtris *Dux Burgundiæ,* & Dominus

 AN-

(a) *Sillia*] vulgo *la Seille*, fluvius eſt, qui in Ararim influit, non longe a Ratenella vico.

(b) *Anno XII. regnante Rodulfo Rege*] id eſt, anno Chriſti 899. cum anno 888. Rodulfus I. Burgundiæ transjuranæ Rex, regnare cœperit.

Digitized by Google

ANDREAS DALFINUS, frater ejus, *Comes Vienneṅſis*, donaverit pura intentione, ac bona voluntate Domino REMUNDO, *Archiepiſcopo Ebredunenſi*, & ſucceſſoribus ſuis in perpetuum, quidquid pertinebat ad Comitatum *Forcalcarii*, (a) in Ebredunenſi Diœceſi conſtitutum, quod quidem donatum fuerat olim a Domino *Wilelmo* bonæ memoriæ, Comite Forcalcarii, eidem *Delfino* & *Uxori* ejus, (b) quæ uxor, celebrato divortio inter ipſam & Dalfinum, donavit poſtmodum *Dalfino*, quondam marito ſuo, præmiſſa omnia, & eandem donationem, ſacramento corporaliter præſtito, confirmavit, & conſilio multorum proborum virorum & ſapientium, irretractabiliter conceſſit. Dicta autem donatio Domino Archiepiſcopo hoc pacto & hac conventione facta fuit, ut Dominus Dalfinus & ſucceſſores ſui haberent a Domino Archiepiſcopo & ſuis ſucceſſoribus in feudum in perpetuum omnia prælibata, & fidelitatem ei inde facerent & jurarent; & perſonam ſuam, & omnia jura Archiepiſcopalia ubique ſalvarent & defenderent, & jurarent modis omnibus ſine fraude, excepta villa *Caturicarum*, cum terris, cortina, juſtitiis, pedagiis, albergiis, poſſeſſionibus, terris, pratis, vineis, & aliis ſuis pertinentiis omnibus, ſcilicet Montegardino, Roſſeto, Spinaciis, Monaſterio S. Michaëlis de *Culcha*, (c) S. Dionyſio & tenementis eorundem, & ſi quæ ſunt alia, quæ ad villam pertinent Caturicarum; quam villam, ut dictum eſt, & quæ alia expreſſim nominata ſeu omiſſa, con-

(a) *Comite Forcalcarii*] ut alibi dicemus.

(b) *Uxori ejus*] Beatrici ſcilicet Forcalcherienſi.

(c) *Culcha*] Monaſterium eſt Ordinis D. Benedicti, vulgo *la Coulche*, a Bertrando Folcalcherienſi Comite, Gaufredo & Guilelmo fratribus, conſilio Aleydis Comitiſſæ Dienſis, eorum Matris, anno 1027. fundatum, non longe a Caturicarum oppido, Abbatiæ D. Michaëlis de Cluſa, ſubditum eſt.

Digitized by Google

conſiderata utilitate tam Archiepiſcopatus Ebredunenſis, quam Comitatus Delfini, retinuerunt ſibi & ſucceſſoribus ſuis; ſcilicet dictus Archiepiſcopus & Delfinus habenda, & jure Dominii in perpetuum poſſidenda, & fuit expreſſim actum, quod ambo ſimul concorditer ibi *Bajulum* (d) inſtituerent & deſtituerent, ſecundum beneplacitum eorundem, qui *Bajulus* juraret, quod utrique dictorum Dominorum pro parte ſua fideliter redderet rationem; inſuper etiam additum fuit, & expreſſim actum, ut, quidquid in prædicta villa & ſuis pertinentiis quocumque jure acquiſitionis, ſeu titulo, alter eorum acquireret, totum ejus eſſet commune, ſicut & alia ſupradicta, pecunia tamen reſtituta & expenſis, ſive in terris, ſive in aliis, quas ille, qui acquireret, expendiſſet. Sane Dominus Archiepiſcopus & ſucceſſores ſui omnia, ad jura ſpiritualia ſpectantia, veluti decimas & alia debuit habere præcipua, ut in villa Caturicarum & ejus pertinentiis. Item de Civitate Ebredunenſi & ejus territorio taliter convenerunt, quod Dominus Archiepiſcopus & omnia quæ ipſe habet & tenet, nec non & anteceſſores ſui, ſive in juſtitiis, cavalcatis, fidelitatibus, ſive aliis omnibus, generaliter habeat & teneat in perpetuum, velut Dominus pleno jure, & expreſſim dominium tam poſſeſſionum, quam hominum; & Delfinus ſibi ea habeat omnia, quæ ibi ad Forcalcarium Comitem pertinebant, ſalvo eo, quod eidem Archiepiſcopo & ſucceſſoribus ſuis in perpetuum, idem Delfinus & ſucceſſores ſui fidelitatem facere debent; & hominium pro his, quæ in territorio habent, & in civitate præfata. Idem nominatim actum fuit, quod idem Archiepiſcopus & ſucceſſores ſui in perpetuum habeant dominium Caſtri *S. Criſpini*, & ut fidelitatem & hominium tam Domini, quam Milites & homines dicti Caſtri eidem

(d) *Bajulus*] idem eſt, quod Baillivus; de origine hujus vocis, vide MENAGIUM *in Orig. lingu. Gall.*

Digitized by Google

eidem Archiepiſcopo & ſucceſſoribus ſuis in perpetuum faciant, & perſonam ejus & terram Archiepiſcopatus omní tempore contra omnem inquietatorem adjuvent & defendant, de acquiſitionibus vero in præfata civitate Ebredunenſi, & ejus territorio faciendis, idem per omnia ſtatuerunt. Inſuper additum fuit, quod *Delſinus* juvaret Archiepiſcopum, velut Dominum ſuum, cum terra & poſſe ſuo contra omnem hominem, eundem Archiepiſcopum ſeu terram ejus inquietantem, ſeu inquietare volentem; & e converſo, ut idem Archiepiſcopus defenderet & ſalvaret Delfinum, cum hominibus terræ ſuæ, velut proprium ſuum Vaſallum, bona fide. Ut autem hæc omnia eidem Archiepiſcopo & ſuis ſucceſſoribus obſervarentur, in perpetuum illibata, tam idem *Delſinus*, quam idem illuſtris *Odo*, Dux Burgundiæ juraverunt, nec non & pro ipſis juravit *Odo Alamandus*, & *W. de Monte S. Joannis*, & hoc juramentum factum fuit in manu ejusdem Archiepiſcopi Remundi, eundem pacis oſculo, videlicet Archiepiſcopus, propter hoc ſpecialiter recipiendo. *Acta ſunt hæc in præſentia teſtium* ſubſcriptorum, ſcilicet V. *Ulcienſis* (e) Præpoſiti, Raymundi Abbatis, & M. Cellerarii *Boſcaudunenſis*, (f) Berardi Canonici, Galdivi, W. Bermundi. Hanc autem cartulam in perpetuum valituram, idem *Odo*, illuſtris Dux Burgundiæ, & *Andreas* dictus Delfinus, nec non & Domina Duciſſa juſſerunt ſigillorum ſuorum munimine roborari.

LXXIX.

(e) *Ulcienſis*] vulgo *Oulx*, in Delphinatu, corrupte dicitur Ours.

(f) *Boſcaudunenſis*] Abbatia eſt in Diœceſi Ebredunenſi, vulgo Boſcaudon, anno 1132. fundata a Pontio Alberti, Guilelmo & Petro de Montmira, Nobilibus Ebrodunenſibus, ſub regula Divi Auguſtini, poſtea Divi Benedicti.

Digitized by Google

LXXIX.

Carta Joannis, Comitis Cabilonenſis, pro Eccleſia Cluniacenſi.

Ex Cartulario Monaſterii Cluniacenſis.

EGo JOANNES, *Comes Cabilonenſis,* (a) notum facio, quod 1220.
de omnibus querelis Eccleſia Cluniacenſis contra me habebat, & ego contra ipſam, & de omnibus gravaminibus & injuriis, quæ vel quas ipſi irrogaveram, vel ipſa mihi, promiſi me ſtare Domino Abbati Cluniacenſi fide data, ſub pœna quingentarum librarum parvarum, de quibus ei dedi fidejuſſores, quos poſui in manus Comitis Nivernenſis, ad opus ipſius Abbatis, videlicet Dominum *Joſſer. Groſſum,* de CC. libris, qui fidei ſacramento promiſit, quod *oſtagium* teneret apud *Diſiſié,* nec de villa eadem exiret, donec eidem Abbati de dictis CC. libris ſatisfeciſſet; ſi Ego aliquo modo venirem; de C. libris reſiduis fidejuſſorem dedi *H. Groſſum,* Dominum Uſellarum, *Joſſerani Groſſi* fratrem, qui omnimodo apud Cluniacum oſtagium teneret, ſi contra dicta ipſius Abbatis aliquo modo venirem; de C. libris reſiduis dedi fidejuſſorem Dominum Hugonem de Digonia, pro quo dictus Comes Nevernenſis de illis dictis C. libris ſe conſt tuit redditorem; rogavi etiam Dominum Cabilonenſem Epiſcopum, ut me ad obſervandum dictum ipſum per excommunicationem compellat, terram meam ſupponendo interdicto. Debet

(a) *Joannes, Comes Cabilonenſis*] quem Beatricis, Comitiſſæ Cabilonenſis, filium SAN-JULIANUS credidit *in Antiqu. Cabilon.* QUERCETANUS *Hiſt. Burg. lib 3. c. 60.* vero generum, quod diſcutiendum relinquimus R. P. PERRY, e Societate Jeſu, Viro eruditiſſimo, qui Civitatis Cabilonenſis & *Comitum Cabilonenſium* Hiſtoriam concinnat.

Debet autem idem Abbas dictum ſuum proferre infra Paſcha. *Actum apud Borbonium, anno gratiæ* M CC XX. *die Mercurii ante feſtum beati Michaëlis.*

LXXX.

Donatio Roberti, Francorum Regis, Monaſterio Fructuarienſi.

Ex litera originali.

In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.

1023. EGo *Robertus*, gratia Dei Francorum Rex. Noverit omnium Sanctæ Matris Eccleſiæ fidelium induſtria, ut præſens, ſed etiam futura, quod quidem noſter Comes, *Guilelmus* (a) nomine, noſtræ Serenitatis adierit præſentiam, rogans & obnixe poſtulans, ut quandam Eccleſiam, in honore S. Martini ſacratam, in ſub-urbio *Belnenſis* Caſtri ſitam, olim Abbatiam, ſed jam omnimodo deſtructam, quam etiam jure noſtri beneficii poſſidebat, ſe mihi liceret credere, eo conventionis tenore, ut eandem Eccleſiam cuidam congregationi in loco Fructuarii, juxta Alpes Deo regulariter ſervienti, comminus traderemus perpetualiter habendam. Cujus rationabili & devotæ petitioni libenter condeſcendere volui, quoniam eidem Cœnobio jam pridem quandam Abbatiam Sanctæ Mariæ, in ſub-urbio Cabilonenſi ſitam, cum Eccleſia Buſciani, & *Allodum* Caſſiniaci, cum Eccleſia ejusdem villæ, per præcepti firmitatem conceſſeram. Quæ omnia dedi inſtinctu & petitione Domini Guilelmi Abbatis, ejusdem loci Fructuarienſis devoti fundatoris, interveniente & ſubſcribente *Goſfrido*, Cabilonenſi Epiſcopo, cum reliquis Epiſcopis, qui interfuerunt Concilio, nuper Ariaci habito. Innoteſco igitur cunctis,

(a) *Comes Guilelmus*] Ottho Guilelmus vulgariter nuncupatus, Divionenſis & Burgundiæ Comes: de quo nos quædam alia dabimus.

Digitized by Google

cunctis, prædictam Eccleſiam Belnenſem, Guilelmum Comitem mihi reddidiſſe, & mihi eam Fructuarienſi cœnobio dediſſe; erga quem locum taliter noſtræ benevolentiæ inculcamus affectum, ut, quicumque in omni noſtræ dominationis regno pro redemptione peccatorum ſuorum aliquid inibi conferre voluerit, noſtræ authoritatis habeat aſſenſum; &, ſicut noſtri præcepti authoritate firmavimus, ita etiam legaliter dandi in poſterum habenda absque declamatione decernimus, & harum rerum conventionem annuli noſtri impreſſione ſignamus. *Actum Avaloni,* (b) *anno Incarnat. Verbi MXXIII. regnante Roberto* XXXVII. *Ego Baldoinus, Cancellarius, relegendo ſubſcripſi.*

LXXXI.

Littera Protectionis, Immunitatis & Confirmationis Privilegiorum, Carthuſiæ Majorevi, a FRIDERICO IMPERAT.

Ex Archivo ejusdem Carthuſiæ.

FRIDERICUS, divina favente Clementia *Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus.* Ad Imperialis dignitatis Excellentiam pertinet, ſervorum Dei quieti totis clementiæ viſibus providere, eorumque loca in Imperio noſtro conſtituta, cum eorum appenditiis, non ſolum conſervare, ſed & beneficiis amplioribus & donis augere & multiplicare. Quocirca noverit cunctorum fidelium noſtrorum præſentia & futurorum poſteritas, quod Nos, pro ſincera charitate, quam erga Ordinem Carthuſiæ habemus, & pro fideli devotione, quam nobis exhibuit *Nantelmus,* (a) venerabilis ejusdem Domus Prior; Domum Majorevi ejusdem Ordinis, in Diœceſi Lugdunenſi & Regno Burgundiæ exiſtentem, illiusque Domus 1157.

T 2 Prio-

(b) *Avaloni*] Oppidum in Burgundia.

(a) *Nantelmus*] Poſtea Bellicenſis Epiſcopus, inter Divos relatus.

Digitized by Google

Priorem, Monachos, fratres, ſervos, familiam, ejusque poſſeſſiones & homines cum omnibus appenditiis ſuis, in noſtram ſuſcipimus protectionem, quatenus ipſi & homines eorum ſecuri & tranquilli ſub noſtra pace vivant, liberius Deo famulentur, & pro Nobis noſtrisque ſucceſſoribus preces in conſpectu divinæ Majeſtatis offerant. Inſuper fundationem dictæ Domus, eleemoſynas & largitiones per quosdam Nobiles, fideles noſtros, donatas, ſicut & privilegium, per bonæ memoriæ CONRADUM, *Romanorum Regem* II. anno Domini MCXLII. conceſſum, eisdem Priori & fratribus confirmamus, & de novo concedimus, ac de noſtræ Majeſtatis Imperialis poteſtate addentes, & pro Nobis & noſtris ſucceſſoribus in perpetuum largientes, ſolo Dei amore & intuitu, omne jus, omne dominium altum & baſſum, merum & mixtum imperium, omnimodamque Jurisdictionem, quam non ſolum infra terminos dictæ Domus, inferius deſcriptos, habemus, habere poſſumus & debemus, Nos & noſtri Prædeceſſores aut Succeſſores habuerunt, aut habere debuerunt in perpetuum; ſed etiam extra dictos terminos per totum Imperium noſtrum, & præſertim per Burgundiæ Regnum, tam in eorum acquiſitis & acquirendis hominibus legitimis & ſpuriis, indigenis & alienigenis, & in eorundem hominum bonis mobilibus & immobilibus univerſis, quam in omnibus manſis, terris, vineis, campis, pratis, paſcuis, ſylvis, joriis, montibus, vallibus, alpibus, planitiebus, aquis aquarumve decurſibus, piſcariis, molendinis, fodinis, univerſisque territoriis, & ex eisdem appenditiis ad ipſam Domum Majorevi, & res ejus ſpectantibus nunc & in futurum: Termini autem dictæ Domus a fundatoribus poſiti, & a ſummis Pontificibus confirmati ſic declarantur: Primo ab *Oriente* Mons Agrilleti, qui ſupereminet calinis *Albaronæ*, (b) & Roca Rufa, ab Auſtro calma,

(b) *Albaronæ*] fluvius eſt, qui e ſummis Bugeſiæ jugis, juxta Brenodi vicum prorumpens, S. Ramberti oppidum alluit, & Idano miſcetur, vulgo *Arbarine*.

calma, quæ dicitur Pangit bovem, & Rocharium prati Bardonis, inde ſicut Rocharium tendit verſus Ferrerias, usque dum idem Rocharium finiatur; inde aſcendit terminus usque ad Abietem, ſupra montem deſignatum, & tendit usque ad cacumen montis Revoriæ, & deſcendit usque ad Crucem novam, quæ eſt in via *Balmeti*, (c) inde idem Terminus verſus Aquilonem tendit usque ad inferiorem Rocham montis Chivilliaci, & circuit crepidinem collis, usque ad Rocham de Ponteceto; inde deſcendit usque ad Periſontanam, & inde per criſtam collis, usque ad ſummitatem montis Orſelli pervenit. Intra quos fines, cæterarumque poſſeſſionum præfatæ Domus, nullus hominem capere, prædam ducere, furtum aut aliud crimen committere, aucupationem, venationem, aut piſcationem agere audeat; nullusque hominum Majorevi præſentium aut futurorum, legitimorum & ſpuriorum teſtamentum condere, hæredem inſtituere, dotem conſtituere, legata facere, nec ſervitoribus etiam aut aliis aliquid donare præſumat, niſi de Prioris Majorevi licentia proceſſerit & facultate. Qui contra fecerit, idem Prior per ſuos officiarios talem delinquentem, ſive Nobilem, ſive ignobilem, civiliter, ſeu criminaliter, prout caſus exegerit, multare & punire debeat; ſolique Priori liceat in hominibus ſuis, ſive infra terminos ante dictos, ſive extra poſitis Juſtitiam omnimodam exercere; omneque ſervitium petere & accipere; eosque & eorum bona, ſicut & ſpuriorum & alienigenarum, de manu cujusquam repetere & requirere. Statuimus igitur, imperiali authoritate firmiter inhærentes, ut nulla perſona, magna aut parva, Eccleſiaſtica aut ſecularis, Dux, Marchio, Comes, Baro vel Vaſallus a præfatis Priore, fratribus, ſervis & colonis eorum, pedagium, exactionem, leydam, aut aliquid

 ſimile

(c) *Balmeti*] vicus, non longe a Majorevi Carthuſia diſtans, ortu Pontii de Balmeto, ejusdem Monaſterii Fundatoris celebris.

Digitized by Google

ſimile petere vel levare, aut de acquiſitis allodium accipere præſumat; ſed liberi & immunes vendant, acquirant, transeant, ſint & permaneant per univerſum imperium noſtrum. Si quis autem Edictum noſtrum temerario auſu infringere tentaverit, præceptique noſtri transgreſſor extiterit, noverit ſe compoſiturum LX. libras auri puri & optimi, medietatem Cameræ noſtræ, & aliam medietatem Domui Majorevi in præſenti, & cum Juda traditore æterna damnatione id mulctaturum in futuro. Et ut hæc a Nobis facta & data credantur, & a poſteris noſtris non infringantur, Cartam hanc deſcribi, & ſigillo noſtræ Majeſtatis muniri juſſimus. Datum BISUNTINI, *V. Kalend. Novembris, Indict. V. anno Dominicæ Incarnationis* MCLVII. *regnante Domino* FREDERICO, *Romanorum Imperatore glorioſiſſimo. Anno regni ejus VI. Imperii vero III.*

Recognitum per RAINALDUM, *Cancellarium, vice* STEPHANI, *Viennenſis Archiepiſcopi, & Regni Burgundiæ Archicancellarii*, teſtibus Humberto Biſuntinenſi, Heraclio Lugdunenſi, & Petro Tarentaſienſi Archiepiſcopis, Guilelmo Novarienſi Epiſcopo, Mattheo Duce Lotharingiæ, Wolmaro de Salwerda, Stephano de Hurmiungen, & Alberto de Diligen Comitibus, & aliis.

LXXXII.

Donatio Epiſcopi Gebennenſis, Monaſterio S. Eugendi Jurenſis.

Ex Archivo ejusdem Monaſterii.

1110. V*Uido* Epiſcopus, Sanctæ Genevenſis Eccleſiæ Servus. Venerabili fratri *Hunaldo*, Abbati Cœnobii S. Eugendi, ejusque ſucceſſoribus in perpetuum. Et Sanctorum Canonum Inſtitutio & noſtri officii debitum Nos hortantur, ut Monaſteria, atque in eis Deo ſervientium neceſſitatibus, prout Nobis poſſibilitas ſuppetit, concedere debeamus. Veſtris igitur

igitur, frater in Chriſto cariſſime, & Domini Humberti, Præpoſiti, juſtis petitionibus, & dictante charitate univerſi Capituli, donamus Eccleſiæ S. Eugendi, cui Fraternitas veſtra, Deò authore, præeſſe videtur, Eccleſiam in honore Beatorum Principis Apoſtolorum, & S. Euſebii Confeſſoris, in villa *Craciaco* (a) ſitam, cum omnibus appenditiis ſuis; Eccleſiam quoque in honore S Eugendi, in pago Verruinenſi, in villa *Mazinaco* (b) ſitam, cum Capella Caſtri adjacentis, ſcilicet *Bellimontis*, & cæteris appenditiis ejus, Eccleſiam etiam S. Mariæ Magdalenæ, infra ipſam Civitatem Genevenſem, juxta lacum, ſitam, ſalva Eccleſiæ noſtræ & nobis atque Miniſtris noſtris debita reverentia ſervitutis. Concedimus etiam & confirmamus, quidquid vel a Nobis, vel anteceſſoribus noſtris Cœnobio ſupradicti *S. Eugendi* conceſſum, vel ad jus ipſius pertinere cognoſcimus. Eccleſias videlicet *Nividuni*, cum appenditiis ſuis, Eccleſiam *Divonæ*, Eccleſiam *Genolliaci*, Eccleſiam *Seysſiaci*, Eccleſiam *Pauliaci* cum appenditiis earum, Eccleſiam *S. Geneſii*, Eccleſiam *Sergiaci*, (c) cum appenditiis ejus, Eccleſiam *Auriniaci*, Eccleſiam *Ebeluſiæ*, Eccleſiam *Caudosſiæ*, Eccleſiam *S. Cyrici*, Eccleſiam *Saviniaci*. Hanc itaque noſtræ devotionis aſſignationem ſeu donationem præſentis privilegii authoritate firmantes, tam vobis, quam omnibus, vobis regulariter ſucceſſuris, perpetua quiete poſſidendam ſancimus; & ſi quis ſuper hoc vos, vel veſtra, inquietare præſumpſerit, donec ad integram ſatisfactionem veniat, anathematis vinculo obligamus. Omnibus vero, qui in his aliqua bona vel utilia providerint vobis, hîc & in æternum gratia & pax a Domino conſervetur. Amen.

S. Al-

(a) *Craciaco*] vulgo Creſſieu, in Burgeſia, non longe a Bellicenſi Civitate.

(b) *Mazinaco Bellimontis*] loca ſunt in Valromeſia, Bugeſiæ Provinciola

(c) *Sergiaci*] Sergier, vulgo apud Geſios.

Digitized by Google

S. Alberti, Decani. S. Victoris, Decani. S. Alberici, Capellani. S. Aymonis, Comitis. (d) *Acta ſunt hæc Gebennæ, anno ab Incarnatione Domini* MCX.

LXXXIII.

Donatio HUGONIS & LOTHARII *Italiæ Regum*, *Alderamo Comiti.*

Ex veteri MS. Codice Bibliothecæ Regiæ Taurinenſis.

In nomine Domini æterni.

938. HUGO & LOTHARIUS, divina favente Clementia *Reges.* Si petitionibus fidelium noſtrorum libenter annuimus, ardentiores eos fore in noſtri obſequio nequaquam ambigimus. Quocirca omnium fidelium Sanctæ Dei Eccleſiæ, noſtrorumque, præſentium ſcilicet & futurorum, devotio noverit, *Ambroſium* Epiſcopum & *Heldricum* Comitem, dilectos fideles noſtros, ſuppliciter Serenitatis noſtræ poſtulaſſe clementiam, quatenus fideli noſtro *Aledramo* (a) Comiti, quandam *Cortem*, quæ *Forum* nuncupatur, ſitam ſupra fluvium *Tanar* (b) in Comitatu Aquenſi, jure proprietario per hoc noſtræ inſcriptionis præceptum, usque in perpetuum con-

(d) *Aymonis Comitis*] ſcilicet Gebennenſis.

(a) *Aledramo*] ſive Alderamo I. Montisferrati Marchioni, qui in fundatione Abbatiæ de Graſſano, in Diœceſi *Cazalenſi*, ſe Guilelmi Comitis filium nuncupat, quod fabulam, quæ vulgo de ejus origine Saxonica circumfertur, lucide patefacit, ut notavit Benevenutus San-Georgius; nupſit autem Gerbergæ, Berengarii Italiæ Regis filiæ, & ab eis *Marchiones Montisferrati*, *Salutiarum*, *Claveſani & Ponzoni* deſcendunt. *Chron. Hiſt. Pedem. c. 39. Hiſtor. Montisf. Italica MS.*

(b) *Tanar*] fluvius eſt Pedemontii, qui alio nomine Tanagrus vocatur, vulgo *Taner.*

Digitized by Google

concedere dignaremur; cujus petitioni inflexi, eandem Cortem, cum omnibus rebus a fluvio Tanari usque ad flumen *Burmicæ*, (c) nec non a loco qui vocatur Barcile, usque Carpanum perjuratum, ac cum omnibus, quæ dici vel nominari poſſunt, per hoc noſtrum præceptum in integrum concedimus & elargimur, ac de noſtro jure ac dominio in ejus jus & dominium omnino transfundimus & delegamus, una cum caſtris & Capellis, caſis, terris, vineis, campis, pratis, paſcuis, ſylvis cultis & incultis, diviſis & indiviſis, maſariciis, ſalicetis, ſationibus, ripis, rapinis, molendinis, piſcationibus, portubus, aquis, aquarum reductibus, venationibus, reddibitionibus, diſtrictionibus, cum ſervis etiam & ancillis, *Aldionibus* & *Aldianibus*, (d) omnibusque rebus ad prædictam Cortem a jam dicto flumine in flumen; atque a jam nominato Barcile usque ad Carpanum prædictum, pertinentibus vel aſpicientibus in integrum, ut habeat, teneat, firmiterque poſſideat ipſe ſuique hæredes, habeantque poteſtatem tenendi, vendendi, donandi, commutandi, alienandi, pro anima judicandi, vel quidquid eorum decreverit animus faciendi, omnium hominum contradictione remota. Inſuper concedimus eidem fideli noſtro *Aledramo*, ſuisque hæredibus, ut de villa, quæ vocatur *Roncho*, & de omnibus *Arimannis*, in ea morantibus, omnem diſtinctionem, omnemque publicam functionem & querimoniam, quam antea publicus noſterque *Miſſus* facere con-

(c) *Burmicæ*] vulgo Bormia.

(d) *Aldionibus & Aldianibus*] Aldio maſculino genere, erat olim perſona libera, deputata ad opus & miniſterium Domini, quæ, licet libera, non multum tamen diſtabat a ſervo. Aldia autem erat fœmina ejusdem ſtatus; de eis loquitur Lex Longobarda, Rubr. de plagis & ſerutis ſervorum, & Rubr. de Conjugiis Servorum & Aldiorum. Alciatus ad l. lecta de rebus cred. Aldos vocat.

conſueverat, aut ante noſtrorum qualemcumque Miſſum; ita ante præfati Aledrami noſtri fidelis præſentiam cuſtodiant & obſervent. Si quis igitur hoc noſtræ conceſſionis præceptum infringere vel violare conaverit, ſciat ſe compoſiturum auri optimi libras 200. medietatem præfato *Aledramo* Comiti. Quod ut verius credatur, diligentiusque ab omnibus obſervetur, manibus propriis roborantes, annulo noſtro ſubter juſſimus inſignire. *Signa Sereniſſimorum* HUGONIS & LOTHARII *Regum*; GISEPRANDUS *Cancellarius, ad vicem Boſonis Epiſcopi Archicancellarii* recognovi & ſubſcripſi. *Data VIII. Idus Februarii, anno Dominicæ Incarnationis* VCCCC XXXVIII. *Regni vero Domini* HUGONIS *piiſſimi Regis IX.* LOTHARII autem *filii* ejus IV. Indict. VIII. *Actum Papiæ in Chriſti nomine feliciter.* Amen.

LXXXIV.

Donatio Monaſterio Novalicenſi.

Ex ejusdem Monaſterii Archivo.

In nomine Dei Salvatoris noſtri JEſu Chriſti.

1042. HENRICUS, Dei gratia Imperator Romanorum, ſecundo anno regni ejus, Deo propitio XV. die menſis Martii, Indict. XII. Monaſterio S. Petri, quod eſt conſtructum in *Novalis* (a) loco. Ego AYMO, (b) Clericus, filius cujusdam Ugonis,

(a) *Novalis*] vel Novalicis, ut infra in textu; Monaſterium eſt antiquiſſimum, ad radices Montiscineſii, & non longe a flumine Cineſio poſitum, Divo Petro dicatum, vulgo *l'Abbaye de Novaleze.*

(b) *Aymo*] cujus familiæ hic Aymo fuerit, dubium eſt; licet enim amplitudo doni eum potentem & divitem indicare videatur, nihilominus ejus genus obſcurum remanet, cum ſe cujusdam Ugonis tantum filium nominet, non deſignato aut familiæ aut dignitatis nomine; qui quidem *Ugo* uxorem habuit *Mariam*, quæ anno 1036. Prioratum Coſiæ fundavit in Sabaudia.

Digitized by Google

Ugonis, qui profeſſus ſum ex natione mea *lege vivere Romana*, juſſione & aſſenſu Parentum meorum, offero & dono ipſi Monaſterio, mercedem promiſſam conſequi credens, qua dicitur: Quisquis venerabilibus locis de ſuis aliquid contulerit juxta Salvatoris vocem, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit, pro mercede animæ meæ & parentum meorum, nominative Eccleſiam S. Martini de *Voglanno*, (c) & aliam Capellam, quæ ſuper hunc locum poſita eſt, cum his omnibus ibi poſitis, quæ mei ſunt juris, & inſimul dono villare, quod dicitur *Atone*, & cum omnibus ad ipſum pertinentibus, & duos manſos in loco, qui vocatur *Poja*; iterum alium manſum cum pertinentiis, qui jacet in Villare, quod *Richeruna* vocatur, & medietatem de Sylva, quæ nominatur *Sawargia*, cum omnibus quæ inde pervenerint, ſive de paſcuis, ſive de omnibus aliis ſervitiis. Inſuper dono medietatem totius terræ ſive ſylvarum, quæ extenditur a *Lacu*, (d) usque ad aggerem, ubi terminatur Sawargia, & a flumine *Leſié*, & medietatem piſcationis ipſius fluminis, usque ad ſuperficiem montis, qui eſt ſuper *Voglanum*; menſura terræ hujusmodi eſt, tam de vineis de terris arabilibus, & pratis, quinquaginta & viginti quatuor jugera, ſuis locis diſpoſita, de gerbis & ſylvis ſexcenta jugera; & ſi amplius de meo jure infra ſcriptos terminos inventum fuerit, ſive fuerint diviſa, vel indiviſa, ſive culta ſive inculta, ripas, ruinas, ſeu paludes & uſus aquarum & ductus earum, nihil excepto, dono & offero, & medietatem piſcationis omnium aquarum, quæ in lacum ingrediuntur, & propriam piſcationem in ipſo lacu, ex his inveſtituram facio *terræ & ramum arboris*, (e) & me ipſum pro Monacho prædicto

(c) *Voglanno*] Voglannum vicus eſt, fere itinere inter Camberium & Burgeti pagum.

(d) *Lacu*] Burgeti ſcilicet, qui non longe a Voglanno jacet.

(e) *Terræ & ramum arboris*] nota vetuſtam inveſtiturarum conſuetudinem, quæ olim per terræ jactum aut rami arboris traditionem fiebat; poſtea per fiſtulam, calamum, cultellum aut enſem evaginatum.

dicto Novaliſis Monaſterio tradens. Si quis ſuper his ex hæredibus ſucceſſorum noſtrorum, vel aliorum, moleſtiam intulerit, (quod abſit) & infringere tentaverit, omnipotentis Dei maledictionem conſequatur, & filii ejus fiant orphani; nec ſit qui miſereatur illis, & hæreditatem ipſius accipiat alter. Inſuper pœnam hanc ſuſtineat, centum uncias auri, & trecentas Marchas argenti poteſtati perſolvat, qui maledictionem prædictam conſequatur, niſi condignam ex eo vindictam ſumpſerit. Hanc cartam offerſionis in præſentia Domini *Anſelmi,* Epiſcopi Gratianopolitani bonæ memoriæ, laudavit & confirmavit Donnus *Viſredus de Camberiaco,* (f) cum uxore ſua & filiis ſuis, & Donnus *Berlio*, cum filiis ſuis, & Donnus *Ludovicus*, & Donnus *Viſredus* de Viriaco, (g) *anno ab incarnatione Domini JEſu Chriſti* M XLII. *Actum infra Caſtrum, quod Carboneria* (h) *dicitur. Data per manus Donni Joſeph. Abbatis* (i) *Novalicenſis.*

LXXXV.

Notitia Fundationis Abbatiæ Intermontium.

Ex Archivo Abbatiæ Abundantiæ.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

1154. QUod ad multorum notitiam pervenire congruum duximus, litterarum mandare monumentis, provida delibera-

(f) *Viſredus de Camberiaco*] vulgo Chambery, oppidum enim illud, quod hodie totius Sabaudiæ non incelebre emporium eſt, tunc proprios Dynaſtas habebat, quorum familia nobiliſſima a multis ſeculis extincta eſt.

(g) *Viſredus de Viriaco*] en inſigne Viriacæ familiæ, vulgo Viry, in Gebenneſio nobilitatis teſtimonium.

(h) *Carboneria*] vulgo Charbonieres, Caſtrum Vallis Maurianæ, quod oppido Aquæ-bellæ imminet.

(i) *Joſeph. Abbatis Novalicenſis*] omiſſus fuit hic Abbas ab *illuſtriſſimo* FRANC. AUGUSTINO, ab Eccleſia Epiſcopo Salutienſi meritiſſimo, in ſua *Abbatum & Priorum Novalicenſium Nomenclatura*, *Chron Hiſt. Ped. c. 16.*

Digitized by Google

beratione curavimus. Noverit ergo præſens ætas, omniumque ſecutura poſteritas, quod Abundantina Eccleſia in honore Beatiſſimæ Virginis Mariæ conſecrata, locum de *Intermontibus*, (a) cum magno labore, expenſiſque non parvis acquiſivit, in quo videlicet loco religioni apto, domum quandam ſtudioſe ædificavit, ac regularibus diſciplinis diligenter inſtruxit. Eſt igitur tam ipſa domus, quam omnia ad eam pertinentia, Sanctæ Mariæ de Abundantia, propria poſſeſſio atque liberrima; verum tamen elapſo aliquanto temporis ſpatio, venerabiles ejusdem loci fratres, & Beatæ Mariæ regulariter ac devote famulantes, ipſo inſpirante, qui exaltare non ceſſat humiles; aſſumto ſecum *Donno Pontio Abbate de Six*, Abundantinum Capitulum adierunt, ſibique dari Abbatem humillime poſtulaverunt, Donnus Brocardus, Abbas Abundantinus, cæterique fratres, devotam eorum poſtulationem videntes; retentis omnibus, quæ in ipſa domo in tempore Prioratus prius habebant, Abbatem ſibi eligere ex eodem Capitulo conceſſerunt; tali ſcilicet conditione, ut electus ab eis Abbas obedientiam Abundantino Abbati faceret, & ſic Intermontanorum fratrum obedientias ſuſciperet; retinuit etiam ſibi Donnus Abbas Abundantinus totusque Conventus, tam in ipſo Abbate Intermontano, quam in commiſſa ſibi domo, *plenariam morum & ordinis correctionem*, & percipiendi quæcumque voluerit, ac faciendi dominatio-

U 3 nem,

(a) *Intermontibus*] vulgo Entremonts, quia inter montes ſitum habet, Divæ Virgini Mariæ Monaſterium dicatum eſt in Provincia Genevenſi, cujus primus Abbas fuit *Giroldus*, poſtmodum Abbas Abundantinus, circa annum 1180. Deceptus eſt RENATUS CHOPPINUS, *Monaſt. lib. 2. tit. 1. §. 20.* qui Abbatiam hanc a Divi Rufi Congregatione dependere exiſtimavit; ut recte notavit GABR. PENNOT. *Hiſt. Can. Reg. lib. 2. tit. 3. n. 13.* Ordinis eſt enim S. Auguſtini, & Canonicos Regulares habet.

Digitized by Google

nem, & ſicut extitit ipſius benignus ſublimator; ita ſi fuerit (quod abſit) inutilis vel incorrigibilis, velut arboris infructuoſæ ſucciſor, ſeverus depoſitor. Præterea idem Abbas Intermontanus tertium in Abundantino Capitulo locum habebit, primum videlicet poſt Donnum Abbatem de Six, qui a majore Abbate, ſcilicet Abundantino, eſt ſecundus. Si quando autem, illis abſentibus, Donnus Abbas Intermontanus in Abundantia præſens fuerit, Abbatis officium tam in Capitulo, quam in cæteris officinis, jure obtinebit; in obedientia vero Abundantinæ Domus, & in grangiis quando devenerit, benigne ſuſcipietur, atque procurabitur. Facta ſunt autem hæc *anno ab Incarnatione Domini* MCLIIII. *Indict. 2. Epact. 4. concurrente 4 prid. Idus Februarii, Luna XXV.* regnante *Imperatore* FRIDERICO, Donno Ardutio, Gebennenſi Epiſcopo, feliciter. Amen.

LXXXVI.

Donatio Marchionatus Montisferrati THEODORO PALEOLOGO.

Ex Hiſtoria Montisferrati Benevenuti San-Georgii MS. quæ eſt in Archivo Regio Taurinenſi.

In Nomine Domini Amen.

1306. PEr præſens Inſtrumentum publicum notum; in Chriſto fidelis *Imperatrix* (a) & *Moderatrix Græcorum*, DUCINA, ANGLINA, COMNENA, PALEOLOGINA, *ſemper Auguſta*. Damus & concedimus dilectiſſimo nato noſtro, Domino THEODORO (b) COMNENO PALEOLOGO *Porphyrogenito* Marchionatum Montisferrati, qui jure hæreditario nobis ſuccedit, tam ex teſtamento noſtri chariſſimi genitoris, Domi-

(a) *Imperatrix*] Yolanda, ſive Violanta de Monteferrato, ſcilicet Andronici Paleologi, Græcorum Imperatoris, Conjux.

(b) *Theodoro*] a quo ſecunda Marchionum Montisferrati linea exordium ſumit, is nupſit *Argentinæ Spinulæ*.

Digitized by Google

Domini *Guilielmi* (c) recordationis felicis, quam etiam ex teſtamento Domini *Joannis*, (d) dilectiſſimi fratris noſtri, quondam Domini *Marchionis, ut apparet per plura inſtrumenta* publica, inde confecta; ita videlicet, quod dominium ipſius Marchionatus noſtri Montisferrati, Caſtra, terras & loca, homines & Vaſallos habeat, teneat & poſſideat vice & nomine noſtro, quousque Nobis placuerit, ipſe & filii ejus legitimi, dummodo ad nullam aliam perſonam extraneam transferatur. De quo quidem Marchionatus noſtri dominio, & omnibus juribus ad ipſum Marchionatum pertinentibus, *inveſtimus cum baculo* ipſum Dominum *Theodorum Comnenum Paleologum Porphyrogenitum*, dilectiſſimum natum noſtrum. Et hanc noſtram conceſſionem & omnia & ſingula ſupra ſcripta promittimus inviolabiliter perpetuo obſervare. In cujus rei teſtimonium præſens inſtrumentum ſcribi juſſimus per manum Magiſtri *Nicolai de Parma, Notarii Aulæ noſtræ*, & roborari ipſam fecimus *aurea Bulla* Imperii noſtri pendenti. *Actum anno Domini* MCCCVI. præſentibus & teſtibus ad hoc ſpecialiter vocatis & rogatis, videlicet Domino *Nicolino Baſtardo de Monteferrato, Avunculo* noſtro. Nobili Muliere, *Domina Guascha de Mott. Sevaſto Cohalogotheta, Protiſingritis Commeni filio.*

LXXXVII.

Donatio Otthonis III. Imperatoris, Epiſcopo Taurinenſi.

Ex eodem Archivo Regio Taurinenſi.

In nomine Dei æterni & Salvatoris noſtri JEſu.

OTTHO III. divina opitulante Clementia Romanorum 998.
Imperator *Auguſtus:* Petitionibus fidelium noſtrorum, eorum

(c) *Guilelmi*] ejus nominis 7. Marchionis Montisferrati, cognomine Magni.

(d) *Joannis*] qui obiit ſine liberis ex Margareta Sabauda, ideo Yolandam ſororem ſuam, Græcorum Imperatricem, hæredem teſtamento ſcripſit anno 1305.

Digitized by Google

eorum maxime, qui pro noſtra decertare videbuntur ſalute, clementer aſſenſum præbemus, ſanctis videlicet locis de noſtri Imperii Republica devote tribuimus, id nobis ad animæ remedium proficere credimus. Omnium igitur Sanctæ Dei Eccleſiæ fidelium, noſtræque præſentium ſcilicet & futurorum, noſſe cupimus univerſitatis induſtriam: eo quod interventu ob amorem Dei omnipotentis, animæque noſtræ, omniumque parentum noſtrorum mercedis incrementum, duas valles noſtri Imperii, unam quæ vulgo dicitur *Vallis Varaitana*, alteram quæ nuncupatur *Vallis Sturiana*, ſimul cum Cluſiatico, Epiſcopo S. Joannis Baptiſtæ Taurinenſis Eccleſiæ, cui præeſſe *Amizo* (a) Epiſcopus videtur. Per hoc noſtræ largitionis præceptum jure proprio largimur, cum omnibus adjacentiis, juri noſtri Imperii pertinentibus. Has igitur ſupra ſcriptas Valles cum Cluſiatico, quod ſolummodo exigitur de Valle Sturiana, jam prædicto Epiſcopatui Sancti Joannis, Baptiſtæ concedimus, tribuimus, atque de noſtro jure & dominio in ejus jus & dominium transfundimus & perdonamus, ut habeat tam prædictus *Amizo*, Epiſcopus memoratæ Taurinenſis Eccleſiæ, quam Succeſſores ejus teneant atque poſſideant, faciatque ex ſupra dictis Vallibus cum Cluſiatico, tam ipſe quam Succeſſores ſui, quidquid eorum decreverit animus, vel voluntas, remota totius poteſtatis inquietudine. Si quis autem contra hanc noſtri præcepti paginam auſu nefario quandoque inſurgere tentaverit, ſciat ſe compoſiturum auri optimi libras centum, medietatem Cameræ noſtræ, & medietatem prædictæ Eccleſiæ, vel ejus Rectoribus. Ut autem ab omnibus verius credatur, diligentiusque obſervetur, manu propria confirmantes, *annuli* noſtri impreſſione ſubter inſigniri juſſimus. Signum Domini OTTHONIS, Sereniſſimi

(a) *Amizo*] hujuſce doni meminerunt *illuſtriſſimus* FRANCISCUS AUGUSTINUS, *ab Eccleſia Epiſcopus Salutienſis*, *Chron Hiſt. Ped. c. 5.* & FERDINANDUS UGHELLUS in Epiſcop. Taurinenſium Catalogo. *Ital. Sacra tom. 4.*

ſimi & piisſimi Imperatoris. ERIBERTUS, *Cancellarius, ad vicem Petri* CUMANI, Epiſcopi & Archicancellarii, recognovi & ſubſcripſi. *Data Kal. Septembris anno Dominicæ Incarnationis* VCCCC LXXXXVIII. *Indict.* XII. *Regni anno Domini* OTTHONIS *Tertii XIIII. Imperii vero ejus III. Actum Palatio Papiæ feliciter.*

LXXXVIII.

Donatio Guygonis Comitis Albonenſis Eccleſiæ Plebis Martyrum.

Ex Cartulario Ulcienſi.

In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.

ANno ab Incarnatione Domini MLIII. Indict. I. Ego GUIGO (a) *Comes*, qui nomine vocor Senex, atque filius meus Guygo Pinguis, dono & confirmo pro animæ meæ mercede, & anima Patris mei & Matris meæ, & Parentum meorum, Eccleſiæ *S. Laurentii* (b) Martyris; in loco qui dicitur *Seſana*, (c) & Canonicis, in ſupra nominatis Eccleſiis regulariter viventibus, & omnibus eorum ſucceſſoribus, ut pro animabus noſtris apud omnipotentem Deum interceſſores exiſtant, quod totum factum eſt conſilio Domini Adæ Caſtellani Brianzonis exiſtentis; interfuerunt teſtes quidam Canonici, Girardus Valeviole; Uldricus Præpoſitus, & Varnerius & Martinus Gualterius, & quidam Laici. Auricius, Arman- 1053.

(a) *Guigo Comes*] ille eſt Albonenſis Comes, a quo eruditiſſimus QUERCETANUS, *Cap. I.* Dalfinorum Vienneſium Genealogicum incepit, qui anno 1075. Cluniaci Monachalem veſtem ſumpſit, & ibi ſepultus eſt: ut ſcripſit HERBERTUS, *Epiſcopus Cenomanenſis, in vita S. Hugonis, Abbat. Cluniac.*

(b) *Plebem Martyrum*] ita olim vocabatur Eccleſia S. Laurentii de Ulcio, vulgo Ours, in Delfinatus & Pedemontium confinio.

(c) *Seſana*] vicus in Delphinatu, vulgo Seſane.

Digitized by Google

Armannus Perbralis, Letardus Groſſus, Girardus Garembo, Orgerius Spata, G. Carta, Garbaldus Diaconus.

LXXXIX.

Venditio Inſulæ Cretenſis & Civitatis Theſſalonicæ, Duci Venetiarum, a Bonifacio, Marchione Montisferrati.

Ex Beneven-San-Georgii Hiſt. Montisferrati MS. quæ eſt in Archivo Regio Taurinenſi.

1204. ANno Domini noſtri JEſu Chriſti, ab incarnatione ejusdem MCCIV. tempore *Innocentii* Papæ Romanorum, Imperatore non exiſtente, die XII. intrante menſe Auguſti, actum in ſuburbio *Andrinopolitanæ* Civitatis, Indict. VII. Manifeſtum facio. Ego quidem *Bonifacius*, (a) Montisferrati Marchio, quod a modo in antea, cum meis hæredibus refutationem & finem facio, vobis Domino Marco *Sanuto*, & Domino *Ravano* de Verona recipientibus procuratorio nomine pro Domino Henrico Dandulo, Dei gratia Venetiarum, Dalmatiæ, atque Croatiæ Duce, & pro ſuis ſucceſſoribus, nec non pro omnibus habitatoribus Venetiarum, de toto hoc quod requiſivi, & requirere potui, per quodcumque ingenium juſte quoque vel injuſte, videlicet de Inſula *Cretæ*, (b) quæ mihi data vel promiſſa, ſive conceſſa fuit per ALEXIUM *Imperatorem*, *filium* ISACH *prædefuncti Imperatoris*, pro centum millibus *Iperperis*, (c) quæ mihi data fuerunt per ſupraſcriptum ALEXIUM *Imperatorem*, & de toto feudo, quod Emanuel defunctus

(a) *Bonifacius*] hujus nominis tertius, Guilelmi Montisferrati Marchionis, & Juliæ Auſtriacæ filius.

(b) *Cretæ*] quam ab Imperatore Conſtantinopolitano Alexio dono habuerat, non ab Iſach ejus patre, ut perperam ſcripſit BENEVENUTUS SAN-GEORGIUS. *in Hiſt. Montisf. latina MS.*

(c) *Iperperis*] vulgo Aſpres, monetæ ſpecies.

Digitized by Google

functus Imperator dedit *Fratri meo,* (d) & de toto quod addicendum habui, vel habeo per me, vel per aliam perſonam in omni *Theſolonica* (e) civitate, vel ejus pertinentiis intus & foris, nec non & de omnibus poſſeſſionibus ſpiritualibus & temporalibus, quas ipſi habent vel habituri ſint; de cætero in Imperio Conſtantinopolitano, tam a parte Orientis, quam a parte Occidentis, & per omnia & in omnibus de ſupradictis omnibus me foris facio, cum omni Jurisdictione, & in veſtra pleniſſima libertate relinquo ad faciendum inde, quidquid veſtræ fuerit; promittens, neque per me, neque per aliam perſonam, contra omnia ſupra ſcripta venire; verum quia, ut ſupra dictum eſt, de omnibus ſupra dictis vobis refutationem feci & finem; vos ad præſens mihi dare debetis mille marchas argenti, & tantas poſſeſſiones a parte Occidentis, quarum redditus X. millia *Iperpera* auri, juxta æſtimationem unius amici, & alterius veſtri annuatim capiant; quas quidem poſſeſſiones, per dictum Dominum Ducem & ſuos ſucceſſores, & homines Venetiarum mihi tradendas, tenere & habere debeo perpetuo; verum tamen Imperatori facere debeo & Imperio, quæ fuerint aſſignata ſecundum quod in pacto communi continetur; quas vero poſſeſſiones, uti dictum eſt, per dictum Dominum Ducem & ſucceſſores ſuos homines Venetiarum mihi dandas, libere & abſolute poſſidere debeo in perpetuum, de hærede in hæredem, tam in maſculo quam in fœmina, ad faciendum inde, quid meæ fuerit voluntatis, (*ſalvo tamen jure & ſervitio Imperatoris & Imperii.*) Sciendum quoque eſt, quod juramento teneor obſtrictus præfato Domino Duci & hominibus Venetiarum in perpetuum, per me & meos hæredes, ad omnes poſſeſſiones & honorifi-

(d) *Fratri meo*] Raynerio, ſcilicet Theſſaliæ Regi.

(e) *Theſolonica*] vel Theſſalonica, vulgo Saloniqui, urbs Macedoniæ clarisſima.

centias manutenendas & defendendas, quas ipſi habent, vel habituri ſunt in toto *Imperio Romaniæ*, tam ab una parte, quam ab alia, & omnes homines, qui ipſas ex parte vel ex toto de ſupradictis omnibus poſſeſſionibus & honorificentiis moleſtare aut expellere voluerint, ſalva tamen Imperatoris fidelitate; & quod, poſtquam ſupradictas poſſeſſiones & argentum habuero, inſtrumentum, per manum publicam confectum, fieri & dari vobis faciam, in quo continetur, quod ſi dictas poſſeſſiones & argentum habuero, juxta ordinem ſuperius dictum, omnes homines, qui ipſas poſſeſſiones per me habebunt, vel per alios qui eas pro me habebunt, ſimile præſtabunt juramentum. Si ergo contra hanc manifeſtationem & promiſſionis cartulam, Ego vel alii, qui ſupraſcriptum ordinem dictas poſſeſſiones habebunt, ire tentaverimus, componere debeamus cum hæredibus noſtris vobis & ſucceſſoribus prædictas mille marchas argenti, & inſuper prædictæ poſſeſſiones ſine omni conditione in Nobis debeat devenire, & inſuper prædictus Dominus Bonifacius ſcribere præcepit omnia, quæ ſuperius leguntur. *Teſtes* ad hoc rogati fuerunt Dominus Bonacurſius de Triguano, Dominus Henricus de Siado, Dominus Pegorarius de Verona, Dominus Guillebertus de Verona, Jacobus Gregorii, & ego Bonus Amicus Sacri Palatii de Duce Notarius, omnia quæ ſuperius leguntur, manu mea ſcripſi.

XC.

Immunitas Pedagii Carthuſiæ Durbonis, conceſſa a Domina de Agouto.

Ex Archivo ejuſdem Monaſterii.

1229. NOtum ſit omnibus hominibus, præſentibus & futuris, quod ego ROSSA, uxor quondam Domini *Roſtagni de Agoudo*, (a) mera & libera voluntate dono & concedo pro anima

(a) *Roſtagni de Agoudo*] vulgo d'Agoult, unde Saltus Comites.

anima mea & Parentum meorum Deo & Beatæ Mariæ, & Domini de *Durbone*, & tibi fratri *Hugoni Bontoſo*, recipienti nomine ipſius Domus, & pro ipſa Domo prædicta, liberum tranſitum per totam terram meam, & ſpecialiter per terram meam *S. Donati*, ſive pedagio & uſuatico, a quibus prædictam domum liberam facio & immunem. Ne vero hanc donationem delere poſſet temporis antiquitas, præſentem chartam inde fieri præcepi, & ſigilli mei munimine communiri. *Actum fuit hoc apud Aptam, in Domo Petri Eſtornelli, anno Domini 1229. Nonis Martii.* Teſtes ſunt Dominus Guiramus de Simiana, Domina Huga ejus mater, Helias de Apta, Roſtagnus Dalmacius, frater Stephanus de monte Mauron, B C. Soguerius, & Ego Adelbertus, qui hanc cartam mandato Dominæ Roſſæ ſcripſi.

XCI.

Donatio Monaſterio S. Benigni Divionenſis.

Ex Schedis R. P. Petri-Franciſci CHIFFLET e Societate Jeſu.

EGo HUGO de ANTEGNEIO, (a) Dominus PENNEI. (b) Notum facio univerſis præſentes literas inſpecturis, quod Ego donavi pro *Anniverſario* cariſſimi Patris mei *Wilelmi* (c) defuncti, Eccleſiæ S. Benigni Divionenſi IX. ſolidos Divionenſium, ſingulis annis percipiendos in redditu molendini mei *de Villejo*, qui debent perſolvi in die S. Bartholomei Apoſtoli, & Anniverſarium debet celebrari in craſtina Exaltationis ſanctæ Crucis. Ego vero & hæredes mei tenentur in perpetuum, 1229.

(a) *Antegneio*] vulgo d'Antigni, familia illuſtris olim in Ducatu Burgundiæ.

(b) *Pennei*] Pagni, Caſtrum, in eadem Provincia celeberrimum.

(c) *Wilelmi*] cujus obituarium S Benigni Divionenſis mentionem hanc facit XIII Kal. Octob obiit Guilelmus Dominus de Anteigneio, facit Procurationem de IX. ſolidis Divionenſibus, qui ſiti ſunt ſuper molendinum de Villejo, ſuper Saonam.

tuum, dictæ Eccleſiæ S. Benigni Divionenſis dictos nummos abſque ulla contradictione facere perſolvi. In cujus rei teſtimonium præſentes literas ſigilli mei munimine feci roborari. *Actum eſt anno Domini* M CC XXIX. *menſe Decembri.*

XCII.

Donatio FRIDERICI II. *Imperatoris, Guilelmo Marchioni Montisferrati.*

Ex eadem Beneven. Hiſtoria MS.

In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.

1219. FRIDERICUS II. *divina favente clementia Romanorum Rex, ſemper Auguſtus, & Rex Siciliæ*, dilecto conſanguineo & fideli ſuo, GUILIELMO, (a) *Marchioni Montisferrati*, & ejus hæredibus, in perpetuum. Decet Regalem Majeſtatem juſtos fidelium ſuorum poſtulationes clementer admittere, & eas congruis honoribus & beneficiis benigniſſime decorare, ac ſuis muneribus ampliare; propterea Regia liberalitate concedimus, largimur, inveſtimus & donamus, de conſenſu & voluntate Principum noſtrorum, tibi dilecto conſanguineo noſtro, GUILELMO, Marchioni Montisferrati, & tuis hæredibus, ob tuum inſigne obſequium & anteceſſorum tuorum, *Caſtrum Paciliani, & Caſtrum Torcelli, & duo Caſtra, quæ ſunt in ripa Padi, quæ vocantur Cimolia, cum Burgo Paciliani, & villis, & Curtibus, & territoriis dictorum Caſtrorum*, cum omnibus juribus, juriſdictionibus, contilibus & diſtrictibus, conferentes in te & homines tuos, quidquid Imperium habet, vel viſum eſt habere in dictis Caſtris & pertinentiis dictorum Caſtrorum, in fidelitatibus, exercitibus, augariis, aquis, paſcuis, & pi-

(a) *Guilielmo*] ejus nominis VI. qui fuit Theſſaliæ Rex, a quo Regno pulſus anno 1225. DEMETRIUM fratrem habuit etiam Theſſaliæ Regem, qui ſine liberis moriens FRIDERICUM II. Imperatorem hæredem inſtituit.

Digitized by Google

& piſcationibus, venationibus, plantis, bannis, ſucceſſionibus, pratis, paludibus, cultis & incultis, molendinis, pontibus, & pontium munitionibus, & ſpecialiter pontis *Cumolii* cum aquis Padi, & aliter ex utraque ripa, ſicut protenduntur curtes prædictorum Caſtrorum, & generaliter in omnibus aliis, ut tantum valeat hæc clauſula generalis, ac ſi omnia eſſent ſpecialiter nominata; prædictorum autem tibi & hæredibus tuis liceat poſſeſſionem de mandato & authoritate noſtra propria apprehendere per te, vel per proprium nuntium; concedentes tibi & hæredibus tuis *dominium vel quaſi* omnium prædictorum, etiamſi *poſſeſſionem vel quaſi poſſeſſionem* non apprehenderis, ac ſi eſſent per te apprehenſæ; nulli igitur perſonæ, vel magnæ, Eccleſiaſticæ, vel ſeculari, vel communi civitatum ſeu locorum, liceat hanc paginam violare, vel malo aliquo contraire. Si quis autem contra hæc venire tentaverit, decem millia marcharum auri pœnam incurrat, quarum medietas noſtræ Cameræ inferatur, reliqua vero paſſo injuriam perſolvetur. Hujus rei teſtes fuerunt *Archiepiſcopus Moguntinus, Archiepiſcopus Magdeburgenſis, Epiſcopus Wormatienſis, Jacobus Epiſcopus Taurinenſis, Imperialis Aulæ Vicarius, Ipporegienſis Epiſcopus & Novarienſis, Abbas S. Galli, Dux Bavariæ, Albertus, Dux Saxoniæ, Dux Brabantiæ,* &c.

Ego CONRADUS, *Metenſis & Spirenſis Epiſcopus,* Imperialis *Aulæ Cancellarius,* vidi & recognovi. *Datum* apud *Spiram* MCCXIX. 9. Kal. Mart. Indict. VII. feliciter.

XCIII.

Carta Conradi Imperatoris pro Epiſcopo Taurienſi.

Ex Archivo Regio Taurienſi.

In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.

CONRADUS, Dei miſeramine Imperator, Sanctarum 830.
Eccleſiarum jura & res diſponere & ordinare intendimus,

mus, divina Nobis Majeſtate atque clementia conciliari, aliquantiſper autumamus, & Regni ſtatum augmentare ac dirigere veraciter exiſtimamus. Proinde omnibus, præſentibus, pariterve futuris, ad Sanctæ Dei gremium Eccleſiæ militantibus, in noſtra quoque poteſtate degentibus innoteſcat, quod petitione atque precamine ODOLRICI, *Brixianæ Civitatis Epiſcopi*, omnes res & proprietates, prædia, ſervitia, & ancillas, mobile & immobile confirmamus, & per hujus ſignificationis præceptum roboramus Sanctæ Taurinenſi Eccleſiæ, ubi *Maxilla* Sancti & præcurſoris Baptiſtæ colitur, atque aliorum Sanctorum Martyrum vel Confeſſorum, Secundi ſcilicet, Solutoris, Eventoris & Octavii Confeſſorum, Martiniani, Juliani atque Biſutii, unde videtur VIDO (a) Epiſcopus eſſe Paſtor, res videlicet illas, quas pro animæ noſtræ remedio eidem Eccleſiæ contulimus, in perpetuam propietatem donamus, *Epiſcopatum ſcilicet Moriennenſis* (b) *Civitatis*, domos, cum omnibus ædificiis ſuis; Curtem videlicet Sancti Andreæ, cum Caſtro & diſtricto; Curtem de Sigueriis cum Caſtro & diſtricto; Curtem de Albuzo cum Caſtro & diſtricto; Curtem de Monte-Rotundo cum Caſtro & diſtricto; Curtem de Arvaco, de Camuſeta, de Villaramberto, de Malevardato, de Cuyna, de Argentina, de Arpino, de Valloyria, de

(a) *VIDO*] hujusce Diplomatis mentionem fecerunt in Taurinenſium Epiſcoporum ſerie, FR. AUGUSTUS *ab Eccl ſia Epiſcop. Salutienſis*, *Chron Hiſtor. Pedem. cap. 5.* & FERDINANDUS UGHELLUS, *Ital. Sacræ tom. 4.* in iſtius Epiſcopi Elogio.

(b) *Moriennenſis*] Maurianenſis Epiſcopatus, Archiepiſc. Viennenſi cum antiquitus & adhuc hodie ſubſit, mirum videtur, *Conradum* Imperatorem eum ſubmiſiſſe Epiſcopo Taurinenſi, eidemque plura alia loca Epiſcopatuum Genevenſis, Gratianopolitani, & Tarentaſienſis addixiſſe, ut recte notavit idem *Ughellus*, quod mihi, Reſcriptum Imperatorum executioni nunquam mandatum fuiſſe, aut brevi tempore duraſſe, perſuadet.

Digitized by Google

de Confluentia, de Matono, de Armiramo, de Ulgina, de Thonono, ſimul cum Manaſterio Sanctæ Dei Genitricis Virginis Mariæ, Curtem de Vergneo, de S. Juliano, de Granduno, S. Remigii de Monte Aymonis, de villa Gondrami, de Reculaſollo, inter aquas de Mardarello, Villariolo mediano, Caſtellucio, Villarico, Sappero, Valleputa, Bezo, Arena, Lanciono, Tranſias, de Chignino, cum Caſtro Capello & diſtricto; Decimas quoque ipſius Epiſcopatus, nec non Eccleſias eidem Epiſcopatui pertinentes; Montes vero & valles, aquas, molendina, piſcationes, foreſta, ſylvas, paſcua, buſcalia omnia in integrum, quidquid videtur eſſe de appenditiis ſupradictæ Civitatis Moriennæ, donamus, concedimus atque delegamus jam dictæ Eccleſiæ S. Joannis Baptiſtæ Taurinenſis ſedis, omnia, ut dictum eſt, per imperialem paginam confirmamus, huic noſtro fideli Vidoni Epiſcopo, pro remedio animæ noſtræ noſtrorumque ſucceſſorum, & pro petitione a ſupradicto Odolrico, noſtro Conſiliario, Brixiano Antiſtite, eo vero ordine, ut omni tempore in perpetuo maneat firmum & ſtabile, pro inveſtitura ſupradicta Civitatis Morianenſis ad Vidonem Præſulem & Succeſſores ſuos, ſic facta recipientes. Igitur firmiter ſtabiliterque jubemus, ut a modo nemo Archiepiſcopus, Epiſcopus, Abbas, Dux, Marchio, Conſul, Proconſul, nullaque regni noſtri maxima minimaque perſona, prætaxatim S. Joannis Baptiſtæ Taurinenſis ſedis Epiſcopum, de præſcriptis rebus, & tam in urbibus, quam in vicis & Caſtris, domibus, quocumque modo fabricatis, familiis utriusque ſexus, quæ ſuperius recitantur, deinveſtire, inquietare, moleſtare, cauſare, perturbare, præſumat. Si quis præterea hoc noſtræ authoritatis præceptum & tutelæ & defenſionis infringere, & annullare præſumpſerit, auri optimi libras decem millia perſoluturum animadvertat, medietatem Cameræ noſtræ, & medietatem Epiſcopo, ſeu ſucceſſoribus ſuis, & ſic ut ſuperius jubetur, inconvulſum permaneat. Ut autem

Digitized by Google

huic paginæ ſignificationis noſtræ propenſius fides adhibeatur, manu propria roborantes, *ſigno imaginis noſtræ & nominis* decrevimus inſigniri. Signum Domini CONRADI, *Imperatoris invictisſimi.* CADELOUS, *Cancellarius, vice Domini* HERIMANNI, *Archicancellarii,* recognovit. *Datum 18. Kal. April. anno Dominicæ Incarnationis,* M XXXVIII. *Indict. VI. anno autem* CONRADI *regnantis XIV. Imperatoris XII. Actum Colonia feliciter.*

XCIV.

Donatio Monaſterio Graſſani, a Guilelmo Marchione Montisferrati.

Ex Beneven. San-Georgii Montisferr. Hiſt. MS.

1156. ANno ab Incarnatione Domini noſtri JEſu Chriſti M CLVI. IV. die menſis Maji, Indict. IV. Quoniam in hac fragili, caduca & brevi vita degentibus, admodum utile & ſaluberrimum eſt, de æterna & feliciſſima vita præcogitare. Nos GUILELMUS *Marchio,* filius quondam RAINERII, (a) itemque Marchionis, & JULITA JUGALIS, *Filia quondam Marchionis* LEOPOLDI DE AUSTRIA, illud agere pro noſtro poſſe præcogitavimus, qualiter in illa felici vita conniventibus Dei miſericordia aliquid participari promovemur. Nos itaque ſupra dicti jugales, qui profeſſi ſumus ex natione noſtra, *lege vivere Salica;* ſed ego JULITA mea *lege* vivere videor *Alamannorum,* mortifera peccata a Nobis abjicere cupientes, & felicitatis præmia conditore omnium rerum Deo deſiderantes diximus: Quod ſi quis in ſanctis ſeu venerabilibus locis aliquid de ſuis intulerit bonis, juxta authoris vocem centuplum in hoc ſeculo, atque inſuper, quod melius eſt, vitam æternam poſſidebit: Ideoque Nos, ſi quod jus habebamus, donationem facimus Monaſterio, conſtructo in

(a) *Rainerii*] Marchionis Montisferrati, & Guillæ Burgundæ.

in Caſtro, quod vocatur *Gracianum*, in honorem Dei & S. Petri, & beatiſſimorum Martyrum Victoris & Coronæ, & Sanctæ Chriſtinæ, & aliorum Sanctorum reliquiarum, quorum ibi habentur nominative, de omnibus rebus illis, quæ ab *Aleramo*, primævo Anteceſſore noſtro in Marchia, ſeu a quolibet alio Anteceſſore noſtro, de ejusdem *Alerami* ſtirpe deſcendente, jam dicto Monaſterio collatæ ſunt, tam in Caſtro, quam villis & redditibus, & pertinentiis, Eccleſiis, colonis, ſervis & ancillis, & de univerſis, quæ a ſupradictis jam dicto Monaſterio collata in aliquo loco inventa fuerunt, ut nec Nos, nec noſtri Succeſſores, nec aliqua prorſus perſona, valeamus ante dicto Monaſterio, vel a præfatis omnibus exigere placitum, diſtrictum, bannum, fodrum, albergariam, prædariam, arimanniam, angariam, parangariam, nec ullam prorſus publicam vel privatam exactionem; ſed Abbas, qui nunc eſt, & Monachi, & qui futuri ſunt in eodem Monaſterio, Deo & Sanctis Martyribus ſervientes, libere & abſolute poſſideant, fruantur, diſponant, ordinent atque diſpenſent, nulla magna vel parva perſona exactionem imminuente, exceptis quinque placitis, quæ, quia Religioni Abbatis congrua ſeu honeſta non videntur, in noſtra reſervamus poteſtate, id eſt, *duellum, adulterium, incendium, proditionem, & homicidium*; Inſuper donamus & offerimus eidem Monaſterio totum fiſcum *Canevarum*, quod habebamus vel habituri eramus in Caſtro *Lugi*, & decimam partem omnium reddituum, qui veniebant Nobis de portu *Felicianenſi*, qui currit in fluvio Tanari, & hoc ſpecialiter in refectionem infirmorum diſtributa eſſe volumus; hæc & ſupra dicta, pro animarum noſtrarum, anteceſſorum vel ſucceſſorum noſtrorum mercede diſponimus. Si quis vero, quod futurum eſſe non credimus, ſi Nos ipſi qui ſupra jugales, quod abſit, aut ullus de hæredibus aut prohæredibus noſtris, ſeu quælibet perſona, contra hanc cartulam offerſionis vel refutationis ire quandoque tentaverit, aut ſi eam per

Digitized by Google

quodvis ingenium infringere quæſierit, tunc ipſi Monaſterio, aut parti Monaſterii promittimus, Nos qui ſupra jugales, noſtroſque ſucceſſores componere auri libras centum; & inſuper hæc carta noſtræ offerſionis pro futuro omni tempore firma & ſtabilis permaneat. Præterea univerſis noſtris ſucceſſoribus, qui hanc refutationem & offerſionis cartulam pro animarum noſtrarum, anteceſſorumque ſeu ſucceſſorum noſtrorum mercede factam, firmam, illibatamque ſervaverit, benedictionem Dei & Beatiſſimorum Martyrum, in quorum honore facta eſt, etiam omnium ſanctorum miſericordiam, ſi qua eſt, ſupervenire precamur; Illis vero, qui temeratores & violatores extiterint, maledictio Dei, & beatiſſimorum Martyrum, & omnium ſanctorum, & noſtræ cum impiis ſuperveniat. *Actum eſt in prædicto Caſtro*, quod vocatur *Gracianum*. (b)

XCV.

Donatio Guilelmo Archiepiſcopo Ebredunenſi, a Raymundo Barchinonenſi Comite, Marchione Provinciæ.

Ex Cartulario Eccleſiæ Ebredunenſis.

RAYMUNDUS, (a) *Barchinonenſis Comes, Princeps Arragonenſis, & Marchio Provinciæ,* per fidem & ſine *ingan-no*

(b) *Gracianum*] vulgo *Graſſano*, Monaſterium in Montisferrati collibus, inter Padum & Aſtenſe territorium, ab Aleramo Marchione Montisferrati fundatum, ut jam diximus. *Chronol. Hiſt. Ped c. 39.*

(a) *Raymundus*] NOSTRADAMUS *in Hiſt Provinciæ Part. 2.* hunc ait Provinciam rexiſſe tantum tutorio nomine Raymundi Berengarii, ejus Nepotis; ſed mendum meo judicio eſt, cum hic *Raymundus* ſe Marchionem Provinciæ vocet, & ut verus Dominus agat, bona enim fiſco ſuo addita Epiſcopo Ebredunenſi in feudum largitur, quod mihi in mentem inducit, Raymundum Comitem fuiſſe illum, qui *Dulciæ* Provinciæ Comitiſſæ nupſit, a qua *Provinciæ* Comitatus partem anno 1125. habuit.

Digitized by Google

no cum hac cartha laudo, dono, concedo tibi GUILELMO *Ebredunenſi Archiepiſcopo* & ſucceſſoribus tuis in perpetuum, quidquid acceptaſti a filiis *Henrici Flottæ* in Caſtris de *Breſiers & de Belfort*, & villa *de Salcetis*, & in eorundem terminis, & pertinentiis eorum, tam in cultis quam incultis, tam in ſylvis quam in nemoribus, tam in paſcuis quam in aquarum decurſibus, & præterea quidquid juris vel proprietatis *Arnaldus Flotta* in ſupradictis Caſtris & locis per Nos & anteceſſores noſtros huc usque habuiſſe videtur, ab eo revocantes ea occaſione, qua damnationem beneficii ſui, quod per Nos habebat, incurriſſe videtur, *propter deteſtabile ſcelus quod commiſit*, ſicut Eccleſiæ Dei & fere toti mundo innotuit; tibi *Guilelmo* Ebredunenſi Archiepiſcopo & ſucceſſoribus tuis in perpetuum, titulo donationis concedo, laudo; hanc inquam donationem eo tenore facio tibi & ſucceſſoribus tuis, ut deinceps tu & ſucceſſores tui habeatis, & libere poſſideatis per me & ſucceſſores meos, reverentia perſonæ omiſſo hominio ad fidelitatem & ſervitium, quidquid *Arnaldus Flotta* & *Henricus* frater ejus, vel anteceſſores eorum, vel quilibet alius homo, vel fœmina in ſupradictis Caſtris vel locis per me & anteceſſores meos habuiſſe videntur; ita ut de cætero nullus omnino in ſupra dictis Caſtris vel locis audeat aliquid habere vel acquirere, niſi per te & ſucceſſores tuos, ad quos dominium ſupradictorum ex integro transtulimus, & retento mihi & ſucceſſoribus meis ſervitio in ſupra dictis Caſtris vel locis, quod ego & anteceſſores mei ſoliti ſumus habere; propter hanc autem donationem & *laudimium* habuimus a te undecim millia ſolidorum Melgorienſium. *Hujus rei Teſtes fuerunt* Raymundus Arelatenſis Archiepiſcopus, Petrus Forojulienſis Epiſcopus, Arnaldus Nicienſis, Gregorius Prior de Valentida,

 Berar-

(b) *Teſtes*] Epiſcopi qui huic donationi affuerunt, circa annum 1160 vivebant, ad quod tempus referri poteſt hujus carthæ data, quæ in cartulario deeſt.

Digitized by Google

Berardus Prior de Bellojoco, Magiſter Siguinus, Magiſter Giraldus Guirannus, Petrus de Chabannia, Raymundus de Villa de Muls, Raymundus de Taraſcono, Petrus Lautardi, Guilelmus de Riſolo. *Facta iſta Cartha in ſuburbio Arelatenſi, in domo Fratrum Militiæ Templi,* regnante FRIDERICO *Imperatore, menſe Octobri, Luna 23. Sign.* Raymundi Comitis. Hanc eandem donationem laudo & confirmo. Ego *Raymundus* Berengarii, Nepos ejus & Comes Provinciæ, quando laudavit *Raymundus* Berengarius *puer* hanc donationem, vidit hoc Petrus Forojulienſis Epiſcopus, & Domini Raymundi Dapifer, & Guilelmus Ibeloci, & Bertrandus S. Martini. *Signum Petri Scribæ Comitis.*

XCVI.

Conceſſio Henrici Imperatoris, Bonifacio Marchioni Montisferrati.

Ex Beneven. San-Georg. Hiſt. Mont. MS.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.

1191. HENRICUS VI. *Dei gratia Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus.* Fidelium ſuorum juſtis petitionibus, Imperialis Majeſtas clementer debet annuere, præſertim vero illorum, quorum fidem & diligentiam rerum didicit experimento, & erga Imperii honorem ſæpius eſt probata devotio; tuam itaque fidelitatem, & quondam Patris tui reverentiam & obſequia, quæ Imperio ſemper exhibuit, diligenter attendentes honores & jura tua, volumus tibi cum integritate ſervare, in quibus etiam poſſumus feudum tuum ad Imperii honorem augere. Notum itaque volumus omnibus fieri, quod Nos tibi BONIFACIO (a) *dilecto fideli Principi noſtro, Marchioni Montisferrati,* ejusque ſucceſſoribus in perpetuum, loca *Gamon-*

(a) *Bonifacio*] ejus nominis III. Guilelmi Montisferrati Marchionis, & Julitæ Auſtriacæ filio, uti ſuperius notavimus, *cap. 93.*

Digitized by Google

Gamondi & *Marenghi*, cum omnibus honoribus & omni jure, & omnibus diſtrictis & univerſis *Regalibus*, tam ſuper terris, quam ſuper earum & nunc & quondam in futurum cultoribus & habitatoribus, & quibuslibet detentoribus, cum integritate in feudum concedimus, reſtituimus, & Imperiali authoritate confirmamus, locum & Forii cum omnibus pertinentiis ſuis, & honoribus cunctis & diſtrictis, omnia etiam Caſtra, villas, poſſeſſiones, honores, jurisdictiones & jura, & univerſa Regalia, quæ tu tenes, vel poſſides, aut Pater tuus tenuit, vel poſſedit; & inſuper omnia, quæ in Privilegiis continentur, tibi libere, plenarie hac Imperiali pagina concedimus & confirmamus; ſtatuentes & prohibentes, ut nullus Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, nullus Nuntius noſter, nullum Commune, Civitas, nulla perſona magna vel parva huic noſtro indulto contradicere, vel aliqua occaſione contraire præſumat. Si quis autem temerario auſu contradicere præſumpſerit, centum libras auri optimi, dimidiam Cameræ noſtræ, dimidiam præfato Marchioni, vel hæredi ſuo componat. *Hujus rei teſtes ſunt, Milo,* Mediolanenſis Archiepiſcopus; *Wilelmus* Comes de Lomello, *Robertus* de Durno, *Henricus* de Lutre, *Pincerna; Henricus de Calendino,* Mareſcalus, & alii multi. *Sign. Domini* HENRICI VI. *Romanorum Imperatoris invictiſſimi. Anno geſta ſunt hæc ab Incarnatione Domini M. C. LXXXXI.* Indict. X. *regnante Domino* HENRICO *Imperatore glorioſiſſimo, anno Regni ejus XXIII. Imperii vero I. Datum* Mediolani VIII. menſis Decembris.

XCVII.

Notitia Fundationis Abbatiæ Grandisvallis.

Ex Archivo Abbatiæ Abundant.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

Quod ad multorum notitiam pervenire congruum duximus, literarum monumentis mandare provida deliberatione 1172.

tione curavimus. Noverit ergo præſens ætas omniumque ſecutura poſteritas, quod *Abundantina Eccleſia,* in honore beatiſſimæ Virginis Mariæ conſecrata, locum de GRANDIVALLE, (a) cum magno labore expenſiſque non parvis ædificavit, in quo videlicet loco religioni apto, Domum quandam ſtudioſe fundavit, ac regularibus diſciplinis diligenter inſtruxit. Eſt ergo tam ipſa Domus, quam omnia ad eam pertinentia, Sanctæ Mariæ de Abundantia propria poſſeſſio, atque liberrima: Verum tamen elapſo aliquanto temporis ſpatio, venerabiles ejuſdem loci Fratres, Deo & Beatæ Mariæ regulariter ac devote famulantes ipſo inſpirante, qui exaltare non ceſſat humiles, aſſumptis ſecum literis deprecatoriis Domni TIEBERTI *de Monte Moreto,* (b) ac Domni PONTIS (c) *de Cuſello,* Abundantinum Capitulum adierunt, ſibique dari Abbatem humillime poſtulaverunt. Domnus igitur *Pontius,* (d) Abbas Abundantinus, cæterique fratres, devotam eorum poſtulationem videntes, retentis omnibus quæ in ipſa Domo in tempore *Prioratus* prius habebant, Abbatem ſibi eligere ex eodem Capitulo conceſſerunt, tali ſcilicet conditione, ut electus Abbas ab eis obedientiam Abundantino Abbati faceret; & ſic de *Grandivalle* fratrum obedientias ſuſciperet; retinuit etiam ſibi Domnus Abbas Abundantinus totuſque Conventus, *tam in ipſo Abbate, quam in commiſſa ſibi domo plenariam morum & ordinis correctionem, & percipiendi quæcumque voluerit, ac faciendi donationem,* & ſicut extitit benignus ſublimator; ita ſi fuerit, quod abſit, inutilis vel incorrigibilis, velut arboris

(a) *Grandivalle*] vulgo Grandval, in Comitatu Burgundiæ.

(b) *Tiberti de Monte Moreto*] Montmoret, familia Nobilis & antiquiſſima apud Sequanos; a qua Domini de Licona, *de l'Isle & de Pelagey.*

(c) *Pontis de Cuſello*] qui Hugonis Domini de Cuſeau, Carthuſiæ *Vaucluſiana* in Comitatu Burgundiæ fundatoris, Pater erat.

(d) *Pontius*] de quo ſupra *cap. 84.*

ris infructuoſæ ſubciſor, ſeverus depoſitor; quando autem eis Abbatem eligere contigerit, ſive de ſuis, ſive de Abundantiæ Canonicis in Capitulo Abundantino, Domni Abundantini Abbatis conſilio eligatur; ad *nullum* ſane *alium ordinem* ipſa Domus ab Abbatia de Abundantia fundata, & ædificata, *ſe ullo modo transferre* poterit. Præterea idem Abbas de Grandivalle *quartum* in Abundantino Capitulo habebit locum; ſi quando Abbas Abundantiæ vel Abbas de Six, & ipſe de Intermontibus defuerint, Abbatis officium tam in Capitulo, quam in aliis officinis in Abundantiæ jure obtinebit; in obedientiis vero Abundantinæ domus, & in grangiis quando devenerit, bene ſuſcipietur, atque procurabitur. *Facta ſunt autem hæc anno ab Incarnat. Domini* M C LXXII. *Indict. V. Epacta XXIII. concurrente VI. 3. Kal. Martii, Luna XXX. regnante Imperatore* FRIDERICO, *Domno Ardutio Gebenn. Epiſcopo.*

XCVIII.

Cartha, qua Abbatia Grandis-Vallis ſubmittitur Monaſterio Sancti Eugendi.

Ex eodem Archivo.

NOverint univerſi, præſentes literas inſpecturi, quod Eccleſia *Grandis-Vallis*, quæ olim fuerat Abbatia, peccatis exigentibus, oppreſſa erat, tam gravi & tam intolerabili onere debitorum, quod facultates ipſius Eccleſiæ non ſufficiebant *voragini uſurarum & morſibus tyrannorum;* unde propter rerum penuriam diſperſis ſervitoribus, Eccleſia divinis officiis fraudabatur, locus divino cultui dedicatus, & poſſeſſiones ad dictam Eccleſiam pertinentes occupatæ erant a vicinis potentibus, nec erat qui poſſit reſiſtere occupantibus, vel tantæ ruinæ conſilium & auxilium adhibere; cum igitur per *Eccleſiam de Abundantia,* ad quam immediate tanquam Filia, Matri Eccleſiæ pertinebat, Eccleſia Grandis-Vallis non poſſet a tantis 1244

 peri-

periculis liberari; cumque eſſet cenſualis ab antiquis temporibus *Eccleſiæ S. Eugendi*, & multo propinquior quam Eccleſiæ Abundantiæ; *Humbertus* Abbas & Conventus *S. Eugendi* ex una parte, & *Joannes* Abbas & Conventus Abundantiæ ex altera, penſata utilitate Eccleſiarum, *de Conſilio Juriſperitorum & amicorum*, partium permutationem amicabilem fecerunt de Eccleſiis in hunc modum: Quod Eccleſia Grandis-Vallis cum ſuis appenditiis & pertinentiis de cætero, ſit Monaſterio S. Eugendi ſubdita & ſubjecta, ſicut olim fuerat Eccleſiæ de Abundantia ſubdita & ſubjecta; Prioratus vero de Divona & de Auriné cum ſint propinquiores Eccleſiæ de Abundantia, cum eorum Prioratuum appenditiis & pertinentiis univerſis, Eccleſiæ de Abundantia ſint de cætero ſubditi & ſubjecti, ſicut olim fuerant Monaſterio S. Eugendi ſubditi & ſubjecti. Cum igitur Monaſterium S. Eugendi & Eccleſia de Abundantia eſſent in corporali poſſeſſione de Eccleſiis, & Prioratibus, & appenditiis, & pertinentiis taliter permutatis, quidam de Capitulo de Abundantia reclamarunt, ea ratione, quod poſſeſſiones traditæ Monaſterio S. Eugendi præponderabant poſſeſſionibus traditis Eccleſiæ de Abundantia, & etiam propter inſolentiam Advocatorum & Dominorum de Divona, illi de Abundantia Prioratum de Divona non poterant pacifice poſſidere; quocirca prædicti Abbates & Conventus de conſilio prædictarum partium, amicorum, permutationem fecerunt aliam de Prioratu de Divona, cum ſuis appenditiis ad Prioratum de Nuine & de Sancto Geniſio, & pertinentiis & appenditiis eorundem ſub hac forma: Quod Prioratus de Divona ad Monaſterium S. Eugendi redeat cum ſuis appenditiis & pertinentiis univerſis, Prioratus de Nuine & de Sancto Geniſio ſicut de cætero cum ſuis appenditiis, Abbati & Eccleſiæ de Abundantia ſubditi atque ſubjecti; Prioratus autem de Auriniė remaneat cum ſuis appenditiis Abbati & Eccleſiæ de Abundantia, ſicut in prima permutatione continebatur; qua-

quatuor ſiquidem libras annuæ penſionis Gebennenſis monetæ dederunt adhuc Abbas & Conventus S. Eugendi, Abbati & Eccleſiæ de Abundantia, & aſſignaverunt eas reddendas in perpetuum apud *Arboſium* (a) in Prioratu de Arboſio, in octava Paſchæ. Ut autem præſens permutatio inconcuſſa, firma & ſtabilis in perpetuum obſervetur, *præſens ſcriptum inde confectum quatuor ſigillis duorum Abbatum & duorum Conventuum prædictorum roboratum fuit; in teſtimonium & memoriam rei geſtæ.* Actum fuit hoc apud *Seſſiacum*, anno Domini M. CC. XLIV. *in menſe Novembri.*

XCIX.

Confirmatio Donationum Monaſterii Cariloci, *a* PHILIPPO AUGUSTO, *Francorum Rege.*

Ex Cartulario Monaſterii Cluniacenſis.

In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.

PHILIPPUS, *Dei gratia Francorum Rex.* Quoniam ea, 1180.
quæ in pias cauſas erogata ſunt, ſublimitati Regiæ convenit protegere, ac immutilata conſervare. Notum fieri volumus univerſis, præſentibus pariter & futuris, quoniam adierunt Serenitatem noſtram *Theobaldus*, venerabilis Abbas Cluniacenſis, & *Artaudus*, Prior *Cariloci*, (a) ſuppliciter flagitantes, quatenus libertatem ſive immunitatem, quam *Excellentiſſimus Prædeceſſor noſter*, KARLOMANNUS, *Francorum Rex*, *Eccleſiæ Cariloci* contulit, ſicut in ejus privilegio continetur, authoritate Privilegii noſtri Cluniacenſi Eccleſiæ firmaremus; ſiquidem idem locus Carilocenſis hæreditas extitit

Z 2 Raberti,

(a) *Arboſium*] vulgo Arbois, oppidum in Comitatu *Burgundiæ*, Prioratu celebre.

(a) *Cariloci*] vulgo *Charlieu*, in pago Matiscon.

Digitized by Google

Raberti, Valentinenſis (b) *Epiſcopi*, qui conſtruxit ibi Monaſterium, & fratres regulariter viventes ibidem deputavit; ſui autem laudabilis voti compos effectus, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ illud, ut ſub ejusdem tuitione perpetuo maneret, tradere non neglexit, cujus authoritate & privilegio fretus, ſupra dictus *Rabertus* apud *Pontigonum* (c) Curiam KAROLI *Imperatoris* adiit, eundem locum coram XI. & amplius Archiepiſcopis & Epiſcopis liberum fieri inſtanter impetravit ab omni inquietatione perſonarum. Poſtmodum vero Sanctus ODO, *Cluniacenſis Abbas*, HUGONE *Rege ordinante*, ut authoritas Apoſtolica prædictum locum largiretur Cluniacenſi Monaſterio, per privilegium obtinuit. LUDOVICUS *etiam, glorioſiſſimus Rex*, venerandis Apoſtolis Petro & Paulo, & Cluniacenſi Eccleſiæ ſuæ, regalitatis præcepto hoc idem confirmare dignatus eſt. Ad petitionem igitur memorati *Abbatis Cluniacenſis*, & Prioris Cariloci, prædictorum Anteceſſorum noſtrorum veſtigia ſecuti, Monaſterium Cariloci ſub noſtra noſtrorumque ſucceſſorum in ævum perdurare defenſione concedimus; & regio more noſtræ authoritatis præcepto firmamus, ut ſub nullius unquam tuitione flectatur, niſi regia; ita quod ipſum cum omnibus ad ſe pertinentibus Eccleſiæ Cluniacenſi, ad quam ſpectare dignoſcitur, ſalvum & illibatum conſervemus. Statuimus etiam & præcipimus, ut Prioratus ſive cellas, aut Eccleſias ſive villas, ſeu terras eidem loco & fratribus ibidem Deo ſervientibus a fidelibus conceſſas, aut inpoſterum rationabiliter conferendas, ſeu in prædiis ipſorum conſtructas, cum omnibus ad eas pertinentibus, nullus

(b) *Rateberti Valentinenſis Epiſcopi*] quem Boſonis, Arelatenſis Regis, fratrem fuiſſe, Abbatiamque Cariloci fundaſſe, anno ſalutis 876. (quæ hodie Prioratus Ordinis Cluniacenſis eſt) aſſeruit *Vir eruditiſſimus*. COLUMBI *lib 1. de Geſt. Valent. Ep.*

(c) *Pontigonum*] Diploma illud deſcripſit SEVERTIUS, *Chronol. Arch. Lugdun. ſub Aurel.*

nullus Archiepiſcopus, vel Epiſcopus, nullus Judex publicus, aut ipſius Provinciæ Dux, vel Comes, nullus Clericus vel Laicus, nullaque poteſtas ſive perſona, quolibet ingenio audeat conturbare, vel aliquid inde abſtrahere, aut cenſum minuere, uſurpare, commutare præſumat, nec ulli omnino hominum liceat præfatum Monaſterium temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, nec aliquibus vexationibus fatigare; ſed quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona idem Monaſterium inpræſentiarum poſſidet, aut in futurum, conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis modis Deo propitio poterit adipiſci, Abbati Cluniacenſi & Priori præfati Monaſterii, & Fratribus, ibidem conſtitutis, eorumque ſucceſſoribus firma & illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, *Regniacum* cum pertinentiis ſuis; *Sanctum Nicetium de Strata* cum appenditiis ſuis, quas Eccleſias & villas BOSO Rex dedit in eleemoſynas memorato *Radeberto*, Epiſcopo, & Eccleſiæ *Cariloci;* & idem *Radebertus* per præceptum CAROLI M. ſibi fecit confirmari. Donatio etiam, immunitas Eccleſiæ, & *Burgum de Teſiaco,* (d) cum ſuis pertinentiis, prædicto Monaſterio facta, rata permaneat. Nos itaque Prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, ſtatuimus interdicentes, ut nulli liceat præſcriptas Eccleſias, ſeu earum villas, cum omnibus pertinentiis ſuis, litibus aut vexationibus fatigare, ſed fratribus ibidem indigentibus liceat, remota omni inquietationis moleſtia, propoſitum ſuum, ſecundum regulam S. Benedicti, ſervare quiete, & Dei miſericordiam pro noſtra totiuſque populi ſalute aſſidue implorare. Si qua igitur Eccleſia ſive ſecularis perſona prædicti Monaſterii libertates ſeu immunitates infringere

 ullo

(d) *Teriaco*] forte Tyſi, in Lugdunenſi Diœceſi.

Digitized by Google

ullo modo conata fuerit, noverit ſe ultioni Regiæ ſubjacere, quæ omnia ut perpetuas ſtabilitates obtineant, præſentem paginam Sigilli noſtri authoritate, ac Regii nominis caractere ſubter annotato, præcepimus confirmari. *Actum apud Bituricas publice, anno ab Incarnat. Domini* M C L X X X. *regni noſtri anno II. adſtantibus in palatio noſtro, quorum nomina ſuppoſita ſunt & ſigna:* S. Theobaldi, Dapiferi noſtri; S. Guydonis, Buticularii noſtri; S. Mathæi, Camerarii; S. Radulfi, Conſtabuli. *Data per manum Philippi Hugonis, Cancellarii.*

C.

Carta Berengarii & Adalberti, Italiæ Regum, pro Monaſterio de Azano.

Ex Archivo ejuſdem Monaſterii.

In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.

952. BERENGARIUS & ADALBERTUS, *divina favente gratia Reges.* Omnium fidelium Sanctæ Dei Eccleſiæ, noſtrorumque, præſentium ſcilicet & futurorum, comperiat induſtria; qualiter pro amore Dei, noſtrarumque animarum remedio, interventu & ad petitionem Epiſcopi *Burnigi*, (a) noſtri dilecti fidelis, per hoc noſtrum præceptum confirmamus & corroboramus ejuſdem Cœnobio, quod dicitur *Agianis*, (b) quod videtur eſſe conſtructum in honorem B. Mariæ Dei genitricis, cunctas res & familias inibi pertinentes, cum omni-

(a) *Buringi*] ſive Burningi, Epiſcopi Aſtenſis.

(b) *Agianis*] Monaſterium eſt in Diœceſi Aſtenſi, vulgo de Azzano, olim Divæ Mariæ dicatum; nunc S. Bartholomeo, non longe a Civitate Aſtenſi ſitum, Congregationi Sanctæ Juſtinæ Patavienſi unitum. *Chron. Hiſt. Ped. c. 11. & 41.*

omnibus ſuis pertinentiis; inſuper concedimus ac largimur præfato Cœnobio ambas ripas fluminis *Tanagri*, cum duodecim pedibus numeris noſtri Regni pertinentes, noſtræque Corti, quæ *Nonis* nuncupatur, nominative in eo loco, ubi ipſum flumen influit in rivum leproſorum & in rivum *Azarii*, atque decurſionem ipſius fluminis ad portum conſtituendum; & quidquid jam dictæ Corti *Nonis* (c) pertinet aut pertinuit, videlicet *Portinaticum*, *Paliſicaturam*, *Tholoneum Ripaticum*, *Navium ligaturam*. Præcipientes inſuper inhibendo, ne ullus Dux, Marchio, Comes, aut alia quælibet perſona, prælibatum Cœnobium aut Abbatem, qui nunc ibi eſt, nomine *Raimbertus*, aut in antea, qui ordinatus fuerit, aut Monachos ibi Deo ſervientes, in aliquo moleſtare aut diveſtire præſumat. *Signa Sereniſſimorum* BERENGARII & ADALBERTI *Regum*, JOANNES *Cancellarius ad Vicem Vidonis Epiſcopi*, & *Archicancellarii Regum eorundem*. *Datum V. Idus Septembr*. anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLII. regni vero Berengarii & Adalberti Regum III. Indict. XI. actum Papiæ feliciter.

BIBLIO-

(c) *Nonis*] vulgo Non, oppidum ad ripam Tanagri.

Digitized by Google

BIBLIOTHECÆ SEBUSIANÆ
CENTURIA II.

I.

Donatio Widonis, Epiſcopi Genevenſis,
Monaſterio S. Eugendi.

Ex Archivo ejusdem Monaſterii.

In nomine ſummæ & individuæ Trinitatis, Patris, Filii & Spiritus Sancti.

1091. EGo WIDO, *Dei gratia Genevenſis Eccleſiæ Præſul,* ob remedium animarum meorum Anteceſſorum & Antiſtitum; nec non ob animæ meæ quietem poſt hanc vitam, noſtræ Eccleſiæ Clero cuncto præſente idque approbante: Imo *Aymone,* Genevenſium Comite, rogante, trado atque concedo *Cœnobio S. Eugendi,* quod *Condatiſcenſe* (a) vocatur, nec non ejusdem loci Abbati Hunaldo, pariterque fratribus ibidem Deo famulantibus, tam præſentibus quam futuris, Sanctæ Mariæ Eccleſiam, in villa *Seyſſiacenſi* (b) ſitam, cum terris, & decimis, & oblationibus ſibi accidentibus, quæque ſupra dicti fratres acquirere juſte poterunt futuris temporibus; retinemus autem in eadem Eccleſia ex noſtro jure, *Parodam & Synodum, banni quoque noſtri & miniſtrorum noſtrorum obſervationem,* & tam Nobis quam *Archypresbytero* noſtro, debita ſervitia impendenda. Interdicimus itaque ex Dei omnipotentis parte, & Beatæ Dei genitricis Mariæ, & Beati

(a) *Condatiſcenſe*] vel Condadiſcenſe; ita enim vocabatur antiquitus Monaſterium S. Eugendi Jurenſis, quod hodie *S. Claudii* nuncupatur.

(b) *Seyſſiacenſi*] vulgo *Seyſſi*, in Geſia Provincia, Prioratus eſt, a Monaſterio S. Eugendi dependens.

Beati Petri Apoſtoli, & omnium ſanctorum Dei, pariterque noſtræ, quatenus nullus hoc largitionis munus præſumat inquietare, vel calumniari ſupra dictis fratribus, ſed ſemper permaneat ratum, & omni roboramine fultum. Ut autem perpetua conſtet memoria, placuit Nobis hoc ſcripturæ teſtamento confirmare, noſtroque *Sigillo ſubarrare, & diverſorum teſtium ſignis aſſignare:* S. Domini Pontii, Bellicenſis Epiſcopi; S. Boſonis, Præpoſiti; S. Victoris, Decani; S. Wilelmi, Decani; S. Alberti, Decani; S. Aymonis, Cantoris; S. Sibodi, Viennenſis Decani; S. Aymonis, Comitis; S. Petri; S. Ricardi; S. Aymonis; S. Armanni. *Data eſt anno ab Incarnat. Domini M XCI. Indict. XIII. regnante Henrico III. Rege, anno XXXIII.*

II.

Inveſtitura Comitatus Forcalcherienſis Guilelmo Comiti Forchalcherii, a FRIDERICO *Ænobarba, Imperatore.*

Ex Veteri Codice MS.

In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.

FRIDERICUS, *divina favente gratia, Romanorum Imperator ſemper Auguſtus.* Imperialis Excellentiæ benignitas 1164.
juſtis honeſtorum petitionibus inclinari conſuevit, & eas perſonas beneficiorum gratia obligare, quas ob fidei ſuæ claritatem & Nobilitatis prærogativam dignas cenſuit honorari. Notum ſit igitur univerſis Imperii noſtri fidelibus, tam futuris, quam præſentibus, quod *Guilelmus* (a) Forcalcherii Comes

(a) *Guilelmus*] ejus nominis IV. Forcalcherii, Avenionenſis, Ebredunenſis & Vapincenſis Comes, Bertrandi II. Comitis Forcalcherii, & Joſſerannæ Flottæ filius. *M. S.* Codex, ex quo hæc inveſtitura deprompta a me eſt, ait anno 1152. Comitatum Forcalcherienſem ab Imperatore fiſco adjudicatum fuiſſe, & *Guilelmo* Comiti oblatum, quoniam hominium Imperatori præſtare recuſaverat.

Digitized by Google

mes, præſentiam noſtræ Majeſtatis adiit, poſtulans a Nobis, ut eum de *Comitatu Forcalcherii* inveſtire dignaremur; cujus perſonam, ſicut noſtram decuit clementiam, honorifice ſuſcipientes, & petitionis ſuæ affectum diligenter attendentes, habito cum Principibus noſtris conſilio, prædicti Comitatus inveſtituram cum omnibus pertinentiis ejus, *in omni plenitudine honoris,* ſicut Anteceſſores ſui tenuere, in feudum ei ſolemniter dedimus, & conceſſimus; ipſe vero fecit nobis *hominium,* & *fidelitatem* juravit, ſicut quod per collatum beneficium *ad omne mandatum noſtrum ſtare propoſuit, & honorem Imperii & Coronæ noſtræ gloriam usquequaque promovere* firmiſſime compromiſit; his itaque pactis, Comes ſibi dari petit ſententiam, ſi de jure in irritum debet revocari, quidquid ab anteceſſoribus *de juriſdictione, & de jure hoſpitiorum, & dignitate Comitatus* alienatum eſſe conſtaret, ſive per venditionem, donationem, ſeu per quamlibet ſubtractionem ſpontaneam, vel violentiam; probata igitur eſt ſententia in medium a fideli noſtro, *Henrico* Marchione Wercio de Vaſto, & ab omnibus unanimiter approbata; *quod nequaquam firmum ac ſtabile deberet aut poſſet permanere, ſicut de Comitatus juriſdictione & dignitate ab aliquo ſupradictorum modorum fuiſſet alienatum, vel deminutum; nulla in præſentibus, futuris litibus, defenſione, ſubſcriptione, præſcriptione temporis, huic reſtitutioni ſeu privilegio opponenda.* Nos itaque eandem ſententiam juſtam & ratam eſſe decernentes, jam dicto fideli noſtro *Guilielmo* Comiti, Comitatus dignitatem, jurisdictionem, & Regalia, cum omni plenitudine honoris & utilitatis, noſtra Imperiali authoritate reſtituimus, & in perpetuum, *ſalva Imperiali Juſtitia,* confirmamus; ſtatuentes, & ſub pœna *banni* noſtri firmiter & diſtricte præcipientes, ne qua perſona parva vel magna, ſecularis vel eccleſiaſtica, prænominato fideli noſtro vim in his, ſeu injuriam aliquam inferre præſumat, & ſi facere attentaverit, L. libras auri pro ſatisfactione componat, dimidium Cameræ noſtræ, & dimidium Comiti, cui injuria cognoſcetur

tur eſſe illata. Ut hujus autem donationis gratuita collatio rata ſemper & inconcuſſa permaneat, præſentem inde cartam conſcribi, & Sigillo noſtræ Majeſtatis juſſimus roborari. Hujus rei teſtes ſunt: *Philippus*, Colonienſis Archiepiſcopus, *Arnoldus* Treverenſis Archiepiſcopus, *Hermannus* Ubelgenſis Epiſcopus, Coronenſis, Bononienſis Epiſcopus, *Hugo* Verdenſis Epiſcopus, *Conradus* Palatinus Comes, *Henricus* Comes de Dieſt, *Albertus* Comes de Herberſtein, *Fridericus* Comes de Altena, *Henricus* Marchio de Vaſto, *Guilelmus* Marchio Montisferrati & filius ejus, *Umbertus* Comes Blandratenſis, *Guido de S. Nazario*, *Arnaudus Flotta*, *Petrus Groſſus* Forcalcherii Præpoſitus, *Petrus Pelican* ejusdem Eccleſiæ Canonicus, *Bertrandus de S. Maximo*, *Guilelmus de Fontana*, *Petrus de Mota*, & alii quam plures. *S. Domini* FRIDERICI *Romanorum Imperatoris inviɛtisſimi.* Ego GOTHOFREDUS *Cancellarius* vice PHILIPPI *Colonienſis Archiepiſcopi, & Italiæ regni Archicancellarii, recognovi. Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis* M.C.LXIIII. Indict. VII. *regnante Domino* FRIDERICO *Romanorum Imperatore glorioſisſimo, anno regni ejus XXIII. Imperii vero XXI. Datum in Epiſcopatu Papienſi in obſidione* ROBORETI *XXII. Kal. Januarii feliciter.*

III.

Donatio Otthonis Comitis Arduini, Italiæ Regis filii, Eccleſiæ S. Syri Papienſis, ſtylo barbaro.

Ex Archivo ejusdem Eccleſiæ.

In nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri JEſu Chriſti.

ARDOINUS divina tribuente gratia *piisſimus Rex*, anno 1009.
Regni ejus propitio ſeptimo,(a) *Indict. VII.* Nos OTTHO Comes

(a) *Regni ejus ſeptimo*] id eſt, anno Chriſti 1009. quoniam *Ardoinus* regnare in Italia tantum cœpit anno 1003.

Digitized by Google

Comes, (b) filius ejuſdem *Sereniſſimi Domini & metuendiſſimi Patris mei*, Domini ARDOINI Regis, ipſo namque Domino Patre meo mihi conſentiente atque jubente, qui profeſſus ſum *ex natione mea Lege vivere Salica*, præſens præſentibus dico: Quisquis in ſanctis vel venerabilibus locis contulerit de ſuis rebus, juxta Authoris vocem: in hoc ſeculo centuplum accipiet, & inſuper, quod melius eſt, vitam poſſidebit æternam. Ideoque ego qui ſupra *Ottho* Comes dono a præſenti die infra ſcriptæ Eccleſiæ S. Syri, Epiſcopi Papienſis & Martyris, ubi venerabilis & Reverendus Dominus *R.* præeſſe videtur Epiſcopus, ad uſum *Canonicorum*, ibidem Deo famulantium, pro anima Anteceſſorum & Parentum meorum mercede, omnes illas res, quas habere viſus ſum inter *Ticinum* & *Gravolonum*, quæ ſunt jugera terræ arabilis centum ſeptuaginta quinque per menſuram - - - ſecundum quod olim illuſtris Princeps, Dominus *Ardicinus*, dilectiſſimus frater, & ego, qui ſupra, *Ottho* Comes, fecimus cartulam in ſupra ſcripta Eccleſia ad uſum prædictorum Canonicorum, cum omnibus honoribus & redditibus, atque diſtrictis, ipſis rebus omnibus per aliquem modum pertinentibus, omnia cum omnibus, quas autem res omnes juris mei ſupradictas, una cum acceſſionibus & ingreſſibus, ſeu cum ſuperioribus & inferioribus earum, qualiter ſupra legitur. In a præſenti die ſupradictæ Eccleſiæ dono & offero, atque confirmo pro anima mea, & Anteceſſorum & Parentum meorum mercede, ita ut faciant ab hac die venerabilis Dominus R. Epiſcopus & Canonici prædictæ Eccleſiæ, aut eorum ſucceſſores, quidquid voluerint, ſine omni mea vel meorum Succeſſorum contradictione; & quidem ſpondeo atque promitto mihi qui ſupra *Ottho* Comes, una cum meis hæredibus adverſus vos, qui ſupra D. R. Epiſcopus,

(b) *Ottho Comes*] is erat tertius Ardoini Regis Maſculus, a quo *Comites Valpergiæ*, *Sancti Martini de Alladio & Caſtelli-Montis* genus ſuum ducunt.

ſcopus, & adverſus - - - in dicta Eccleſia - - - ſupradictam offerſionem, qualiter ſupra legitur, ab omnibus hominibus *varentare;* quod ſi - - - factum vel ſcriptum eſt conſervare promitto. Hanc enim Cartam offerſionis, donationis, & conceſſionis paginæ *Ruitpertus,* Sacri Palatii ſcriptor, tradidit & ſcribere rogavit ex præcepto Sereniſſimi Domini *Ardoini* Regis, metuendiſſimi genitoris mei, quam ſubter confirmavi, teſtibus obtuli roborandam. *Actum apud Papiam, in Palatio* juxta *Eccleſiam S. Michaelis feliciter.* Amen. Sign. manibus Domini *Ardoini,* Sereniſſimi, & Invictiſſimi Regis, atque *Otthonis* Comitis, ejus filii, qui hanc Cartam offerſionis rogavit, & ipſe Dominus *Ardoinus* Rex eidem filio ſuo conceſſit, ut ſupra. *Signa* manuum *Berengarii* Comitis & *Wiberti* Comitis teſt. & hæc cartula fuit tradita in manu Domini Magiſtri *Adelmari* Archidiaconi a parte ſupradictæ Eccleſiæ, & tunc erat D. Canonicus Alcherius, & D. Amizo, & D. Beſo, & D Fulcherius, & Dominus Domengus, & alii quam plures. Ego qui ſupra *Ruitpertus,* Notarius Sacri Palatii, ſcriptor hujus Cartulæ offerſionis prædictum complevi & tradidi.

IV.

Donatio Leotaldi, Comitis Matiſconenſis, Eccleſiæ Matiſcon.

Ex Cartulario ejuſdem Eccleſiæ.

SAcro-Sanctæ Dei Eccleſiæ Beati Vincentii Matiſconenſis, 959.
quam Dominus *Naymbodus* Epiſcopus ad regendum habere videtur. Ego *Leotaldus,* gratia Dei *Comes,* (a) & uxor mea *Berta,* (b) per amorem Dei, ut pius Deus animam Patris mei *Alberici,* nec non & animam Matris meæ *Ecolanæ* ſeu & noſtræ, vel *Irmingardis* quondam uxoris meæ, de pœnis inferni

(a) *Comes*] Matiſconenſis ſcilicet, ejus nominis II.
(b) *Berta*] ejus tertia uxor, ut dicemus.

terni eripere dignetur; propterea donamus ad ipſam caſam Dei aliquid ex rebus noſtris, quæ ſunt ſitæ in pago *Lugdunenſi*, in villa *Montegudini*; Colonicas ſcilicet cum omnibus appenditiis, campis, pratis, vineis, ædificiis, aquis, aquarumque decurſibus, & omnibus adjacentiis, quæſitum & inquirendum, cum ſervientibus ſupermanentibus. Donamus etiam unum mancipium, & ſi quis in hoc beneficio aliquid habere præſumpſerit, iram Dei omnipotentis incurrat, & hoc perdat; & ſi Clerici ipſius loci has res alicui *beneficiaverint*, ad hæredes meos perveniant. Si quis autem contradixerit, auri libras XX. componat, & ut in antea donatio iſta omni tempore firma permaneat, cum ſtipulatione ſubnixa. S. Leotaldi Comitis, S. Bertæ uxoris ejus, qui fieri & firmare rogaverunt, S. Alberici filii ſui, qui conſenſit. *Data* per manum *Berardi, ſub die Mercurii XI. Kal. Octobr. anno VI. regnante Lothario Rege.* (c)

V. *No-*

(c) *Anno VI. regnante Lothario Rege*] id eſt, anno Chriſti 959.

Quia antiquorum COMITUM MATISCONENSIUM Hiſtoria nulli Hiſtoricorum noſtrorum plene adhuc cognita fuit, & quæ de illis *Fuſtallerius, Vignerius, Bugnonius, San-Julianus, Quercetanus* & *Severtius* ſcripſerint, aut obſcura, aut minus certa ſint, eorum ſeriem hic annectere libuit; quod Lectori non injucundum fore arbitror, quippe cujus probationes hoc in opere inveniantur.

Manaſſes, Comes Matiſconenſis
Ermengarda, ejus uxor, *ad ann.* 830

|

Albericus, Comes Matiſcon. eorum filius *ad ann.* 860.
Tholoſana, ejus uxor,

|

Leotaldus I. Comes Matiſconenſis, eorum filius, *ad ann.* 899.
Ermengarda, ejus uxor,

|

Albericus II. Comes Matiſcon.
Ecolana, ejus uxor, *ad ann.* 943.

|

Leotal-

V.

Notitia Conradi, Burgundiæ Regis, pro Eccleſia Cluniaci.

Ex Cartulario Monaſterii Cluniacenſis.

In nomine Dei æterni.

CONRADUS, nutu omnipotentis Dei *Sereniſſimus Rex.* 944.
Notum ſit omnibus fidelibus noſtris, qualiter Dei famuli ex *Cluniaco* Monaſterio Monachi proclamaverunt, ſe in præſentiam noſtram in pago *Viennenſe,* quod *Carolus* (a) conſanguineus noſter illorum res, quas *Ingelbertus* per Cartam dona-

Leutaldus II. ſive *Leutoldus*, Comes Matiſconenſis, eorum filius.	*Humbertus* Comes.
1. *Ermengarda*, ejus uxor.	|
2. *Richildis, ad ann.* 954. 958.	*Humbertus* Comes, qui in Carta Clun. 957. ſe nepotem Leotaldi Comitis Matiſonenſ. dicit.
3. *Berta.*	
Albericus III. Comes Matiſconenſis eorum filius.	
Ermentruda, ejus uxor.	

In eo *Fuſtallerius, Bugnonius, San-Julianus & Severtius* defuiſſe Comitum Matiſconenſium lineam, conſtanter aſſeruerunt, eumque ſine liberis obiiſſe anno 996. *Guilelmumque* ejus Patruum in Comitatu ei ſucceſſiſſe, deſponſata *Berta*, Alberici Matre & Leotaldi Vidua, tractante *Milone* Epiſcopo Matiſconenſi, quod prorſus fabuloſum eſt. *Vid. Hiſt. noſtr. Sebuſian. 2. parte, & in probat. pag. 61. Ottbo* enim Matiſconenſis Comes, qui Villas *Aniſcum* & *Asnerias* Monaſterio Cluniaci dedit, de conſenſu *Elizabetha*, ejus uxoris, anno 1025. aut 1026. Guidonem Comitem Matiſconenſem Patrem ſuum nominat; *Leotaldum* autem Matiſconenſem Comitem II. Atavum ſuum vocat, quod ſtare non poſſet, ſi *Albericus III.* Leotaldi illius filius unicus, ſine liberis diſceſſiſſet.

Idcirco nobis dicendum eſt, *Albericum III.* Comitem Matiſconenſem reliquiſſe filiam unicam Comitiſſam Matiſconenſem, primam *Ottonis Guilelmi,* Comitis Burgundiæ, uxorem, ex qua prognatus fuit *Guid.* Comes, qui duas habuit uxores, *Elizabetham* ſcilicet, & *Adelam*; qui quidem *Ottbo Gaufredi* Comitis Matiſconenſis, & *Raynaldi* Pater extitit, quorum exitum nondum comperuimus.

(a) *Carolus Conſanguineus*] id eſt, *Carolus Conſtantinus* Viennenſis Princeps. *Ludovici cæci* Provinciæ Regis, & Imperatoris filius unicus.

donationis ad dictum locum tradidit. Idem Carolus locum injuſte contendebat; ille autem, ubi vidit & audivit, non ſe hoc recte tenere, præſentialiter dimiſit, omnem querelam, & illico ipſas cartas, quas *Ingelbertus* fecerat, corroboravit, & iterum in manu Regis firmavit; & tunc juſſit Dominus Rex hoc judicium ſcribere, per quod omni tempore dictæ Cartæ inviolabiliter permaneant; & ſubtus fidelium noſtrorum nomina juſſimus inſerere, ac de Sigillo noſtro ſigillare *Aymo* Epiſcopus præſens, *Vido* Archiepiſcopus, *Bero* Epiſcopus, *Hugo* Comes, *Odoricus* Comes Palatii, *Gimio* filius Ludovici, *Anſelmus, Oldoricus* Comes, *Umbertus* Attonis, *Vasſi* Dominici majores & minores, qui præſentes fuere. Ego *Henricus, Notarius, hoc judicium ſcripſi, dictavi V. Kal. Julii, anno VI.* (b) *regnante Domino* CONRADO.

VI.

Donatio Ogerii, Epiſcopi Eporedienſis, Monaſterio S. Stephani de Eporedia.

Ex Archivo ejusdem Monaſterii.

In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.

1075. EGo *Ogerius*, Dei gratia Sanctæ *Iporicenſis* (a) Eccleſiæ Epiſcopus, cunctis præſentibus & venturis ſeculis fidelibus perpetuam in Chriſto ſalutem, multis & crebris patrum exhortationibus pro certo credimus convenire, juſtis fidelium petitionibus acquieſcere, præſertim iis qui ſanctæ Religionis profectui & Eccleſiaſticæ diſciplinæ invigilant ſtudio; Epiſcopalis enim muneris eſt, non ſolum præeſſe, verum etiam ſubditorum profectibus inſudare, & loca ſancta beneficiis augmentare, infirma enim conſolidare & perdita revocare; nil

(b) *Anno VI. regnante Domino Conrado Rege*] id eſt, anno Chriſti 944.

(a) *Iporicenſis*] corrupte pro Eporedienſi.

nil aliud eſſe cenſemus, quam Dei & proximi dilectionem, in qua Lex & Prophetæ perhibentur ſubſiſtere, ſtatum mentis adornare, & geminas alas, unde ſupra cœlos evolet, inæſtimabiliter comparare, ſeque cum Domino in æternum regnare. Quapropter omnibus fidelibus, tam præſentibus quam futuris, notum fieri cupimus, Nos pro remedio beatæ memoriæ Domini HENRICI *Imperatoris,* proque exaltatione vitæque productione invictiſſimi Regis, iterum HENRICI nunc ſuperſtitis, & pro anima bonæ memoriæ Domini HENRICI (b) Epiſcopi, prædeceſſoris noſtri, qui Monaſterium S. Stephani, in ſuburbio noſtræ Civitatis ſitum, devote *fundavit,* (c) atque conſtruxit, pluribus etiam beneficiis dotavit & ampliavit, proque tam noſtra ſalute, quam vivorum omnium & defunctorum protectione & requie, eidem Monaſterio S. Stephani Eccleſiam S Donati, quæ noviter conſtruitur rogatu vicinorum, in circuitu commorantium, & aſſenſu fratrum noſtrorum Canonicorum largiendo, cum Parochia, Cœmeterio & ſepulturis, & dote concedimus. Parochialem quoque Eccleſiam S. Petri, infra Civitatem conſtructam, cum Parochia totius Civitatis, & extra a Ponte majori, usque ad Baumam, & cum decimatione omnium *tabernarum & bechchariarum,* mercati, & omnium mercimoniorum, quæ infra Civitatem fiunt, cum Cœmeterio, ſepulturis, dote & omnibus rebus, ad eam pertinentibus conferendo largimur; ad hæc adjiciendo Parochialem Eccleſiam S. Quirici, rogatu atque interventu Domini ac venerabilis *Taurini,* (d) Abba-

(b) *Henrici Epiſcopi*] quem quidam dicunt Henrici II filium, alii autem Henrici III. Imperatoris *Cancellarium* fuiſſe. *Chron. Hiſt. Pedem. c. 18.*

(c) *Fundavit*] anno Chriſti, ſcilicet 1041. ut recte monuit eruditus ſcriptor.

(d) *Taurini*] a quo Catalogum Abbatum S. Stephani Eporedienſis incepit. Dominus Epiſcopus Salutiarum hujus etiam donationis mentionem fecit *in Epiſcoporum Eporedienſium ſerie.*

Digitized by Google

Abbatis in eodem Monaſterio reſidentis; de ſupra ſcriptorum fratrum noſtrorum Canonicorum aſſenſu, cum rebus ad eam pertinentibus largimur, cum Palatio, foſſatis & rebus ad Palatium ſpectantibus, liberamque donationem de prædictis facimus, ut ſint in uſus pauperum & fratrum ibi Deo ſervientium, eximentes dictum Monaſterium ab omnibus decimis & oneribus, quæ ab eo Nos & Succeſſores noſtri prætendere poſſemus, cum omnibus quæ modo ad ipſum ſpectant, vel *juridice* ad Nos in futurum ſpectabunt. Donamus etiam eidem *Taurino* & *Succeſſoribus duos Canonicatus de XII. Presbyterorum, ut tam ipſe, quam Succeſſores ſint in ordine noſtrorum Canonicorum, & inſuper duas caſas in ſuburbio Yporienſi*, prope Monaſterium Caſtanetum, prope Laureciacum facultatem ſumendi ligna Monaſterio neceſſaria, ſuper terris Epiſcopi. Votum inſuper facimus & deſiderium habemus, ut omni tempore vitæ noſtræ, Deo ac Beatiſſima ejus Matre nobis vitam producente, idem Monaſterium magis ac magis amplificare, & in dies meliorare. Inde eſt, quod ſi quis noſtrorum Civium ac Burgenſium, Villanorum ſeu peregrinorum, *aliquid de ſuo ordinaverit, unde Nobis per ſucceſſionem, vel ab alio jure aliquid pertinere debeat, id totum præfato Monaſterio in uſus fratrum, ibi Deo ſervientium, pro animæ noſtræ, ſucceſſorumque noſtrorum remedio, donamus, largimur,* concedimus atque conferimus. Super autem his conceſſis & collatis, & a Dei fidelibus poſtmodum offerendis, rogamus & monemus, & omnibus modis inhibemus, ne ulla perſona aliqua ſuggeſtione diabolica præſumat inquietare, minuere, vel aliquo modo immutare, ſed quicumque fautor, vel augmentator & defenſor illius loci extiterit, centuplum ei retribuatur a Domino, & a B. Protomartyre Stephano in æterna beatitudine cum Angelis & ſanctis coronetur. Si quis vero (quod non credimus) huic decreto contradicere, vel aliquo modo infringere, attentareve ipſum tentaverit, omnes maledictiones, quæ continen-

tinentur in veteri & novo Teſtamento, aſcendant ſuper caput ejus; ſitque anathema Maranatha in adventu Domini noſtri JEſu Chriſti, habeatque partem & ſocietatem cum Dathan, Abiron, Anania, Saphira, & Juda traditore, quandiu ab errore non deſtiterit, & ad ſatisfactionem non venerit. *Datum Iporediæ anno* M LXXV.

VII.

Verpitio Eccleſiæ Matiſconenſi, a Bernardo Groſſo.

Ex Cartulario S. Vincentii Matiſcon.

NOtum ſit omnibus Matiſconenſis Eccleſiæ *filiis, præſentibus ac futuris*, quod veniens *Bernardus*, (a) prænomine *Groſſus*, ante Altare Beati Vincentii Martyris, in præſentia *Walterii* Epiſcopi & Canonicorum ejusdem Eccleſiæ, verpivit vel dedit Canonicis ipſius loci decimas Condaminarum ſuarum, quas jamdudum tulerat eis; ſimiliter & ſextarium vini, & unum panem, quæ tempore Meſſionis miniſtri ejusdem *Bernardi*, requirebant, vel accipiebant ab hominibus Canonicorum, loco cenſus vel Eulogiarum, dum Canonici ipſas decimas poſſidebant. Sunt autem hæ *Condaminæ* in pago Matiſconenſi, in Parochia Sanctæ Mariæ de Amoniaco, in villa Sanciaco. Harum ergo Condaminarum decimas, quas injuſte tollebat, Canonicis dimiſit, vel eis dedit, ſi aliquid rectum haberet propter mala vel fore facta, quæ habebat, facta jam dictæ Eccleſiæ, ut Deus per interceſſionem ipſius Martyris Vincentii dimittat & ipſius culpas, & cætera peccata ſua, S. Bernardi qui fieri juſſit. *S. Ubertinelli.* Actum anno M LV. 1055.

Bb 2 VIII.

(a) *Bernardus Groſſus*] Vasrulphi, Branceduni Domini, filius.

VIII.

Donatio Eccleſiæ Cluniacenſi, a Comitibus Burgundiæ & Matisconenſi.

Ex Cartulario Monaſterii Cluniacenſis.

1192. NOtum ſit omnibus præſentibus & futuris, quod ego *Stephanus*, Comes Burgundiæ, & ego *Wilelmus*, (a) Comes Viennæ & Matisconenſis, recognovimus, quod unam Monteiam, quam Eccleſia beati Petri Cluniac. apud Ledonem Salis habuerat, perdidit ſive per Nos, ſive per homines villæ; ſed quoniam hoc peccatum amplius portare nolumus; volumus, quod intra XV. dies poſt iſtas, quibus *calderiæ* bullient, prædictam Eccleſiæ Cluniac. reſtituant.

IX.

Litera Aymonis Comitis Gebennenſis, pro Carthuſia Majorevi.

Ex Archivo ejusdem Carthuſiæ.

1268. EGo *Aymo*, Comes Gebennenſis, notum facio univerſis, quod ego recepi in pecunia numerata triginta & ſex libras Viennenſes a Religioſo Viro, fratre *Joanne*, Priore Majorevi Carthuſienſis Ordinis, pro conceſſione *Paſcuorum Caſtri de*

(a) *Wilelmi Matiſcenſis & Gerardi Matiſcenſis.*] Nota quod eos non parentes, uti credidit *Quercetanus Hiſtor. Burgund. lib. 3. c. 62. & 63. & lib. 4. c. 25.* ſed prædeceſſores ſuos tantum vocant. In fine ſiquidem iſtius donationis, *Stephanus* hic Comes Burgundiæ filium ſe Raynaudi Comitis eſſe ait; & *Wilelmus* Comes, Matiſconenſ. Wilelmi ſe filium eſſe profitetur, qui Raynaudi ſupradicti frater erat.

de Varey, (a) & mandamenti prædicti Caſtri a me facta de novo Domui Majorevi, & etiam pro conſervandis terris abſolutis & liberis in perpetuum ab ingreſſu quorumlibet animalium Caſtri & mandamenti prædicti, quæ infra clauſuras ponere voluerit dicta Domus in poſſeſſione, quam emit dicta Domus ab illis de Roſſellione, ſubtus villam *Altæ-Ripæ*.(b) In cujus rei teſtimonium dicto Priori concedo præſentes literas, Sigilli noſtri munimine roboratas. *Datum in vigilia Natalis Domini, anno ejusdem* M CC LXVIII.

X.

Donatio ARDOINI *Italiæ Regis*, *Eccleſiæ S. Syri Papienſis.*

Ex Archivo ejusdem Eccleſiæ.

In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.

A*Rdoinus*, Divina largiente clementia Rex: Si ſanctis ac venerabilibus locis, divino cultui mancipatis, more piorum Regum Anteceſſorum noſtrorum, qui Chriſtianam Religionem - - - vixerunt, devotiſſime contulerimus noſtri muneris ſuffragio certiſſime credimus, Nos noſtrorum Regnum interceſſionibus ſanctorum cœleſti juvamine ſemper ſublevari, atque divinis beneficiis ſublimari. Igitur omnium Sanctæ Dei Eccleſiæ fidelium, noſtrorumque, præſentium ſcilicet & futurorum, agnoſcat perpetuitas, qualiter Nos pro Dei omnipotentis amore, & pro anima Patris noſtri 1011.

(a) *Caſtri de Varey*] quod olim ad Comites Gebennenſes pertinuit, ratione dotis *Mariæ de Coloniaco*, Dominæ de Varey, quæ Rodolpho Comiti Gebennenſi nupſit. Caſtrum autem illud eſt apud *Bugeſios* noſtros, non longe ab Ambroniaci Monaſterio.

(b) *Altæ Ripæ*] vulgo *Hauterive*; vicus eſt, a Caſtro de Varey dependens, juxta Idanum fluvium.

noſtri *Doddonis*, (a) & pro anima Patrui noſtri Domini *Adalberti*, & ob remedium animarum cæterorumque Anteceſſorum Parentum noſtrorum, noſtræque - - - rogante Domino *Wilelmo*, cariſſimo conſobrino germano noſtro

Hæc deſunt in Exemplari. - - - - - - - - - - - - - curtis Caſtri & loci *Roſaſchi*, cum omnibus pertinentiis & adjacentiis ſuis, atque medietatem locorum & villarum *Sellenegiæ* & *Ponteſelli*, cum omnibus pertinentiis & adjacentiis eorum locorum & villarum, ſcilicet cum paſcuis, ſylvis, rupis, rupinis, paludibus, aquis, aquarumque decurſibus. Inſuper tribuimus ſupradictæ Eccleſiæ Sanctæ Dei Genitricis, Sanctis, Syrique Epiſcopi Martyrum, omnem diſtrictum, mercata, toloneum, curaturam & omnibus redditionibus, ad eandem Cortem & Caſtrum *Roſaſchi*, vel ad præfatas villas & locos *Sellenegiæ* & *Ponteſelli* pertinentibus, quæ ſunt de noſtro jure ac Dominio Italici Regni noſtri, & ejus jus & Dominium transfundimus & concedimus atque delegamus. Si quis autem contra hanc cartam conceſſionis, & donationis atque confirmationis noſtræ, violator extiterit, aut frangere præſumpſerit, ſciat ſe compoſiturum auri cocti libras quingentas, medietatem Cameræ noſtræ, & medietatem Præſuli, & ejus Eccleſiæ Papienſi. Quod ut verius credatur, & diligentius obſervetur, manu propria roborantes, Sigilli noſtri impreſſione adnotari juſſimus. *S. Domini Ardoini*, Sereniſſimi & glorioſisſimi Regis, *Ragnimbertus Cancellarius* & Sanctæ Mutinenſis Eccleſiæ Diaconus, vice *Oddo-Boni*, (b) Sanctæ Hiporienſis Eccleſiæ Epiſcopi, & *Archicancellarii* recognovit & ſcripſit. *Datum anno Dominicæ Incarnationis* M XI. III Kal. *Aprilis*

(a) *Dodonis*] vel Odonis, Eporediæ Marchionis.

(b) *Oddo-Boni*] aut Ottobiani vel Octaviani, utrumque enim legitur. Hunc ſubſcripſiſſe huic donationi, ſcripſit Vir clariſſimus, quod cartæ repugnat, abſens ſiquidem erat. *Chron. Hiſt. Ped. c.6.*

Aprilis Indict. IX. Actum Bobii, (a) *in Epiſcopali Palatio feliciter. Amen.* In Chriſti Dei omnipotentis. Amen.

XI.

Donatio Guidonis Domini de Serceyo, Eccleſiæ Cluniacenſi.

Ex Cartulario Monaſterii Cluniacenſis.

NOs *Guilielmus,* miſeratione divina Cobilonenſis Eccleſiæ Miniſter humilis, univerſis & ſingulis præſentes literas inſpecturis. Significamus, quod *Guido, Dominus de Serceyo,*(a) Hieroſolymam profecturus, in noſtra præſentia conſtitutus, dedit, conceſſit & tradidit in puram & perpetuam eleemoſynam, Deo & Eccleſiæ B. Petri Cluniac. & Conventui ejusdem loci, quidquid percipiebat, vel percipere conſueverat, in decima vinearum *de Serceyo,* libere, pacifice, & perpetuo poſſidendum: Addidit etiam, quod illa tertia pars *Racemorum,* quæ ſibi de dictis vineis debetur, inſimul detineatur; & ne fraus in ſolutione decimarum fiat a debitoribus vinearum, voluit & præcepit, ut decimam recipiat, quamquam noluerint, antequam perveniat ad decimam *Aſinatam.* Hanc vero donationem laudavit uxor dicti militis; & tam dictus miles, quam dicta Domina, promiſerunt dictam donationem bona fide contra quoslibet garantire, & damna, ſi quæ inde evenient, reſarcire, corporali ſuper hoc præſtito juramento; in cujus rei memoriam ad requiſitionem dictorum militis, & dictæ Dominæ ejus uxoris, prædicto conventui noſtras 1233.

(c) *Bobii*] vulgo *Bobbio*, in Apennini Jugo Civitas eſt, ad Trebiam fluvium, ubi nobile S. Galli Cœnobium, a S. Columbano Gotho conditum, ex Monaſterio Civitas accrevit.

(a) *Guido Dominus de Serceyo*] vulgo de Sercy, familia in Comitatu Matisconenſi antiquiſſima; de qua plura San-Julianus in antiqu. Matiscon.

noſtras tradidimus literas in teſtimonium veritatis. *Actum Anno Gratiæ* M CC XXXIII. *Menſe Julio.*

XII.

Donatio Humberti, Epiſcopi Gebennenſis, Carthuſiæ Majorevi.

Ex Cartulario ejuſdem Monaſterii.

1134. HUMBERTUS, (a) *Dei gratia Gebennenſis Eccleſiæ Epiſcopus,* chariſſimo filio & fratri, *Stephano,* (b) venerabili Priori Majorevi, cum cæteris ibidem Deo ſervientibus, æternam in Domino ſalutem. Quoniam Vos ſicut chariſſimos filios ſpeciali in Chriſto dilectione complectimur, petitionem veſtram repellere non valemus, ſicut petieratis a Nobis, quidquid infra terminos veſtros concluditur, & univerſorum laborum veſtrorum decimas, quæ noſtri juris eſſe noſcuntur; Vobis ac ſucceſſoribus veſtris pro noſtra & Anteceſſorum noſtrorum ſalute concedimus; imo firmiter damus, & præſenti ſcripto libere ac quiete in perpetuum poſſidere mandamus; Veſtra quoque nimirum charitate confiſi, noſtris infirmitatibus ac tribulationibus ad præſens, credimus veſtris orationibus juvari; poſt deceſſum vero, ut memoriale noſtrum vobiſcum maneat, diligenter quæſumus. Huic autem donationi interfuerunt *Sobo* Decanus, *Raymelinus* Presbyter de Breno, *Oddo* Converſus Majorevi, *Viſredus de S. Sixto.* Actum Anno M C XXXIV.

XIII.

(a) *Humbertus*] e Grandi-montenſi familia, apud Bugeſios antiqua & nobili, qui Vidoni de Foucigni in Epiſcopatu ſucceſſit.

(b) *Stephano*] ad eum Petrus venerabilis Cluniac. Abbas cum Elogio ſcripſit; cui etiam Stephanus reſcripſit, *Vir mira patientia & admirandæ ſimplicitatis* ut inquit Index *illuſtrium Carthuſianorum*, *inter Epiſtolas Petri Venerab.* 25. & 26.

Digitized by Google

XIII.

Fundatio Carthuſiæ Pomerii, a Guilelmo, Comite Gebennenſi.

Ex Archivo ejusdem Carthuſiæ.

ANno ab Incarnatione Domini M C LXXIX. Ego *Wilelmus*, (a) per miſericordiam Dei Gebennenſis Comes, gratias agens Deo, qui Carthuſianorum fratrum, cæterorumque Religioſorum meritis & patrocinio, cunctis inimicis meis confuſis, mihique ſubactis, Comitatum integre mihi reſtituit, per præſentem paginam, Sigilli mei impoſitione munitam, cunctis præſentibus & futuris notifico, me dare omnia jura, quæ habeo infra *fratrum Pomerii* (b) terminos, vel quæ alii a me habent; ſi quo modo fratres Deo ſervientes requirere potuerint Deo & Beatæ Mariæ, & Pomerii fratribus, in manu Domini Petri, Prioris Pomerii, per manum Domini Roberti, Sanctæ Viennenſis Eccleſiæ Reverendi Archiepiſcopi, & per manum Domini *Arditionis*, (c) Gebennenſis Antiſtitis. Teſtes ſunt frater Theodoricus, Converſus Sylvæ Benedictæ. *Petrus* Dominus *Terniaci*, & *Humbertus* (d) filius meus, qui hoc donum fecit in manu prædicti Prioris, per manum ſupra dictorum Epiſcoporum; B. quoque uxor mea, & filius meus *Aymo quinquennis*, hoc donum fecerunt & laudaverunt in obſidione 1179.

(a) *Wilelmus*] Gebennenſium Comes, hujus nominis primus, qui in opinione Sanctitatis deceſſit; jacet ante fores Eccleſiæ Sanctæ Catharinæ, ſupra Ameciacum, tumulo miraculis claro.

(b) *Pomerii*] vulgo Pomiers; Carthuſia eſt, duabus tantum leucis a Geneva Civitate diſtans.

(c) *Terniaci*] vulgo Ternier, in pago Gebennenſi.

(d) *Humbertus*] qui ante Patrem obiit, uti jam diximus ſupra, *Centur. I. c. 89.*

ſidione Caſtri, quod dicitur *Rupes;* (e) teſtimonio Oliverii Sacerdotis de Cruſillia, & Girardi Vice-Comitis; propter impenſas autem non modicas, quas propter guerram acceperam, accepi a prædictis fratribus *quingentos ſolidos.* Comitiſſa habuit centum ſolidos, *Humbertus* filius meus centum ſolidos, Hugo de Noydent centum ſolidos, Girardus Vice-Comes Terniaci X. ſolidos, Humbertus Vice-Comes de *Cruſillia* (f) XII. ſolidos. Item pro ſtrata XXX. ſolidos, pro *tenemento* ego *Wilelmus* XXX. ſolidos, & *Humbertus* filius meus VII. ſolidos.

XIV.

Confirmatio & Ampliatio Fundationis Carthuſiæ Pomerii, a Comite Gebennenſi.

Ex Archivo ejusdem Carthuſiæ.

1252. EGo WILELMUS (a) *Comes Gebennenſis.* Notum facio tam præſentibus quam futuris, præſentem paginam inſpecturis, Me vidiſſe & diligenter inſpexiſſe cartam, a Nobili viro Wilelmo, Patre meo, quondam Comite Gebennenſi, fratribus Pomerii Carthuſienſis Diœceſis, ratam & conceſſam, non cancellatam, non abolitam, non in aliqua parte corruptam, competenter ſigillatam in præſentia mea, & *Rodulphi* filii mei ſufficienter lectam & expoſitam. Nos vero *Wilelmus,* Comes Gebennenſis, & *Aleſia* (b) Comitiſſa, uxor mea, & *Rodulphus,* filius noſter primogenitus, cum cæteris filiis noſtris, ſcilicet,

(e) *Rupes*] vulgo la Roche, Oppidum Gebenneſii.

(f) *Cruſilla*] aliud oppidum Pomerio vicinum.

(a) *Wilelmus*] ejus teſtamentum eſt anni 1252. 18. Novembris.

(b) *Aleſia*] de Turre-Pini, Domina de Cornillon & de Bornant, Alberti Domini Turris-Pini, & Mariæ Arvernæ filia; quæ ultimis tabulis Caſtrum Cornillionis legavit *Rodolpho* Gebennenſi, Primogenito ejus filio.

Google

ſcilicet, *Amedeo* (c) venerabili Viro, Epiſcopo *Dienſi*, *Aymone*, (d) Cantore Gebennenſi, *Henrico*, (e) *Roberto* (f) Canonico Viennenſi, *Wilelmo*, (g) *Guigone*, (h) donationem, conceſſionem & eleemoſynas, fratribus Pomerii ab anteceſſoribus noſtris factas, laudamus & confirmamus, & eisdem concedimus & donamus, ſicut eisdem jam dudum conceſſit Vir Nobilis, *Wilelmus*, Comes quondam Gebennenſis, fundator Domus Pomerii, de rebus noſtris, pratis, terris, nemoribus, hominibus, cenſibus, poſſeſſionibus & rebus aliis, vel de feudis noſtris acquiſiverint, vel acquirere potuerint, donatione, emptione, vel alio quocumque modo juſte & *canonice* poſſideant, libere & abſolute in puram & perpetuam eleemoſynam, pro animabus noſtris & Anteceſſorum noſtrorum, uſum paſcuorum per totum Comitatum Gebennenſem, *ſalvo jure alterius*; cum Domum Pomerii damus & concedimus pro remedio animæ Nobilis Viri *Humberti*, fratris noſtri, quondam Comitis Gebennenſis, & animarum noſtrarum & Anteceſſorum noſtrorum, uſum paſcuorum per totum Comitatum Gebennenſem, ſalvo jure alterius; cum Domum Pomerii ſpeciali dilectione & privilegio debeamus amplecti, cujus fundatores

 exti-

(c) *Amedeo*] qui teſtamento 21. Januarii 1275. hæredem inſtituit Aymonem, Comitem Gebennenſem, Nepotem ſuum.

(d) *Aymone*] Præpoſito Eccleſiæ Lauſanenſis.

(e) *Henrico*] quem Jacobus *de la Pize* Jacobum male vocavit. Huic unica filia, *Leonora* nomine, *Bertrandi Baucii*, Arauſicani Principis, uxor, quæ 25 Octobris 1273. omnia jura, ſibi in Comitatu Gebennenſi competentia, *Aymoni*, Genevenſi Comiti, Nepoti ſuo, ceſſit, præſente *Guilelmo*, Archiepiſcopo Viennenſi.

(f) *Roberto*] Domino de *Rumily* & de *Coſſongié*, qui e Canonico Viennenſi Præpoſitus Lauſanenſis evaſit, & poſtea Epiſcopus Genevenſis.

(g) *Vilelmo*] Epiſcopo dein Lingonenſi 1284.

(h) *Guigone*] Feſcani Abbate in Neuſtria, & poſtremo Epiſcopo Lingonenſe.

extiterunt Patres noſtri. In cujus rei teſtimonium Nos, *Wilelmus*, Comes Gebennenſis, & *Aleſia* Comitiſſa, uxor mea, & *Rodulphus*, filius noſter Primogenitus, præſentem paginam Sigillorum noſtrorum impreſſione duximus roborandam. *Actum anno ab Incarnat. Domini* MCCLII.

XV.

Carta Guilelmi, Lugdunenſis Decani, pro Eccleſia Cluniacenſi.

Ex Cartulario Monaſterii Cluniacenſis.

1209. GUILELMUS, *Primæ Lugdunenſis Eccleſiæ Decanus, & totum Capitulum.* Omnibus in perpetuum ſalutem, ac in æternum Deo propitio valitura ſcriptura præſentes ſcire volumus & futuros, quod, cum *inter Nos & Eccleſiam Cluniacenſem diſcordia eſſet de Domo, quam eadem Eccleſia prope Clauſtrum noſtrum habebat,* quæ ideo fuit diruta, cum ipſius altitudo munitioni ejusdem Clauſtri, ſicut dicebatur, præbebat impedimentum; tandem per manum communium amicorum noſtrorum *Uldrici Palatini* Cantoris, *Guilelmi* Camerarii, *Stephani* Abbatis, & *Johannis de Chaponay*, (a) res ad pacem fuit deducta, & per eos determinatum, in quo ſtatu altitudinis murus deſtructæ domus remanere deberet. Nos igitur, quod a prædictis Viris in hac parte ſtatutum eſt, ratum habentes & firmum, bona fide promittimus, quod de iis, quæ modo ædificata ſunt, vel impoſterum, ſicut per eosdem ſtatutum eſt, ædificabuntur, nihil immutabimus vel deſtruemus ſine voluntate & licentia Eccleſiæ Cluniacenſis; ſed in eodem ſtatu, in

(a) *Joannis de Chaponay*] in hujus familiæ gratiam tantum, cartam hanc publicavi, quæ nihil aliud (quam Hiſtoriam tangat) continet, quam antiquum *Chaponayorum* monumentum, quorum proſapiam & elogia fuſius extulit recens, ſed eruditus ſcriptor, COLUMBI *de reb. geſt. Valent. Epiſt. Lib.* I.

in quo ſunt, dimittemus dictæ Cluniac. Eccleſiæ, nihilominus pro recompenſatione dictæ domus deſtructæ, domum, quæ fuit *Joannis Grammatici,* conferentes in perpetuum poſſidendam; vice quoque mutua prædicta Cluniacenſis Eccleſia Nobis bona fide promiſit, quod in eo loco, in quo deſtructa domus fuit ædificata, de cætero nihil ædificabit ſine voluntate noſtra & aſſenſu, in aliis vero locis, ei, prout voluerit, ædificare licebit; ita tamen, quod juxta murum clauſtri altitudinem ſuorum ædificiorum, in qua nunc ſunt, non excedat, & ut iſtud ratum magis habeatur & firmum, & impoſterum veritatem obtineat inconcuſſam, prænominatæ Eccleſiæ præſentem tradidimus Cartam, Sigilli noſtri munimine roboratam. *Actum in Capitulo Lugdunenſi, præſente Domino Rain Archiepiſcopo,* anno gratiæ M CCIX. menſe Julio.

XVI.

Donatio Stephani, Domini de Villars, Monaſterio Inſulæ-Barbaræ.

Ex Cartulario ejusdem Monaſterii.

JOANNES, Dei gratia *humilis ſacerdos, Apoſtolicæ ſedis Legatus, & Capitulum Primæ Lugdunenſis Eccleſiæ,* omnibus 1187.
ſanctæ Matris Eccleſiæ filiis, tam præſentibus quam futuris in perpetuum. Pios actus fidelium Chriſti & Eccleſiæ benigne tenemur amplecti, & quanto amplius perpetuam deſiderant firmitatem, tanto eos diligentius ſcripturæ teſtimonio commendare debemus, ne machinatione maligna vel dolo pervertere valeat poſteritas ſucceſſura, quæ ad ipſius notitiam ſcripti officio duximus fideliter transmittenda; Nos itaque ratam habentes eleemoſynam, quam *Vir Nobilis, Stephanus de Villars,* pro ſalute animæ ſuæ & Parentum ſuorum feciſſe dignoſcitur, Eccleſiæ S. Martini de Inſula Barbara & fratribus, ibidem manentibus, ſicut ſcripta eſt, & cum diligentia anno-

Digitized by Google

tata, ipſam præcipimus firmiter obſervari, & ne ab aliquo turbetur injuſte, ex parte omnipotentis Dei, & ſub anathemate diſtrictius inhibemus. Siquidem, cum dilectus filius noſter, *Girinus*, ejusdem Monaſterii Abbas, & cæteri fratres, ipſum *Stephanum* in Capitulo, ut Monachum, & beneficium ei Monacho debitum, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus conceſſiſſem. Idem Vir nobilis dedit & conceſſit eidem Monaſterio in perpetuam Eleemoſynam, ſine omni retinemento Gardas Vimeiarum, & manſum d'Eimis, & quidquid apud Vimeyas habebat, & unum manſum apud Joennacum, & Caſtellum de Lignejo, cum Burgo & omnibus appendentiis ſuis, cum Burgo de Nuaſeja, ſcilicet, quodcunque habebat in Parochia de *Buiſſeges*, (a) & in Parochia S. Joannis de Thorignieu, & in Parochia de Ranzis, & in Parochia de Limandas, & in Parochia de *Meyſeriaco*, (b) & in Parochia de *Toſſié*, & in Parochia de *Biriaco*, (c) exceptis his, quæ ex parte matris in ipſa poſſidebat, & exceptis *Guardis*, quas habebat in Terris aliorum, & exceptis *feodis militum*, niſi quantum ipſi pro ſalute animæ ſuæ dare voluerint, & omnes guardas, quas habebat in terris S. Martini, & quidquid in poſterum infra prædictos terminos, ſcilicet a nemore de Noiſeys, & a Meyſeriaco usque ad ripam Sagonæ, & usque ad Vimeyas acquirent. Donavit etiam manſum de Charbonnieres & Condanynam, quam poſſidebat apud Villam S. Andreæ de Corſeio, nec non & omnes *feodos*, ad hæreditatem ejus pertinentes, quos acquirere poterit Eccleſia Inſulana, ei pro *allodio* conceſſit; juſſit præterea, *ut ille, qui ſucceſſor erit in hæreditatē*

(a) *Buiſſeges*] vicus eſt in confinio Sebuſianorum & Lugdunenſium, dicimus hodie *Buſſiges*.

(b) *Meiſeriaco*] *Meſirieu*, apud Dombas.

(c) *Biriaco*] vulgo Birieu, in Marchionatu de Villars: ibi Prioratus antiquus, ab Inſula-Barbara dependens.

ditate ipſius, Abbati & ipſi Monaſterio fidelitatem promittat & hominium faciat, & ſecundum quod hæc omnia donavit pro libero & franco allodio. His ita conceſſis, in Capitulo ad majorem fidei firmitatem prædictus STEPHANUS, ductus *ad Altare S. Martini, ſuper Altare, Evangelium, & ſanctorum reliquias proprii corporis juramento firmavit,* ſe donum iſtud firmiter obſervaturum, & tam per ſe, quam per amicos ſuos ab omni inquietatione pro viribus defenſurum. *Uldricus* etiam *de Villars,* conſanguineus ejus, qui ei vendiderat prædictum Caſtellum *de Ligniaco,* & quaſdam alias terras, donum prædictum conceſſit, laudavit, & ſuper Altare, Evangelium & ſanctorum reliquias juravit, quod pro poſſe ſuo iſtud in perpetuum cuſtodiret; & ſi forte prædictus Stephanus in aliquo, (quod Deus avertat) a pactis vel dono deviaret, ipſe Uldricus ad commonitionem Abbatis vel fratrum Inſulanorum, ad Inſulanum Monaſterium in *Oſtagium* veniret, cum aliis Militibus, quorum nomina ſunt hæc: Fulcherus Brunus, Azo de Frens, Ogerius de Chaillowres, Hugo de Rupe-ſciſſa, Guichardus & Hilarius de Tremblay, Stephanus de Caſtellione, Petrus de Vaſſalliaco, Bernardus de Vaſſalliaco, Berlio de Montdor, Hugo & Rolandus de Eſſars, Guichardus de Varenis, Umbertus d'Auzon, Bermondus de Montelier, Petrus de Palude, Wilelmus de Chaſſenay, Aymo de Neyreio, qui omnes juraverunt. Prædictus Uldricus juravit, quod & ex *Oſtagio* non exibit, niſi de permiſſione Abbatis, vel fratrum Inſulanorum datæ fuerint ei induciæ. *Teſtes* autem ſunt Andreas de Forchel, Prior major, Odo de Sandrens, Guichardus de Morenciaco, Bernardus de Villars, Berlio de Vienna, Hugo de Balma, Achardus de Touceu, Hugo de Colongiis, Bernardus de Montagniaco, Dalmatius de Caſtellione, Gaucerannus de S. Boneto, Antelmus de *Loras,* (d) Durannus de Montarchier, Andreas

(d) *Loras*] Delphinatus familia Nobiliſſima, a qua Domini *de Montplaiſant* & *de Chamagnieu.*

Andreas de Magniaco, Hugo de Montarchier, Hugo d'Arroles, Petrus d'Ars, Guigo de *Rochibarone*, (e) & omnis Conventus. Quod ut ratum & firmum perpetuis temporibus habeatur, totam donationem & conceſſionem, ſicut ſuperius eſt diſtincta, ad petitionem & inſtantiam tam prædictorum Abbatis & Monachorum, quam memorati viri nobilis, Stephani de Villars, præſentis cartæ & ſigillorum noſtrorum munimine fecimus roborari. *Datum Lugduni*, anno Domini MCLXXXVI.

XVII.

Carta Hugonis Ducis Burgundiæ, pro Eccleſia Cluniacenſi.

Ex Cartulario Monaſterii Cluniacenſis.

1186. EGo HUGO, *Dei gratia Dux Burgundiæ & Albonis Comes*.(a) Omnibus præſentibus & futuris notum facio, & cum hac carta in veritate teſtor & recognoſco, me, laude & aſſenſu filiorum meorum, *Odonis* & *Alexandri*, bono animo conceſſiſſe cariſſimæ Conſanguineæ meæ *Matildi*, *Comitiſſæ Tornodori*, quod ſi abrenunciaverit ſeculo, vel in extremis vitæ ſuæ licentiam dabo, ut poſſit dare Deo, & Beato Petro *Cluniacenſi*, quidquid emit a me apud Hifs, pro remedio animæ ſuæ & meæ, parentumque noſtrorum. *Teſtes* ſunt Gobertus, Abbas *Fontaneti*, (b) Stephanus de Corraboil, Monachus, Magiſter Hugo, Capellanus meus, Odo, Archipresbyter Tullonis, Joannes, Clericus meus. *Anno Dominicæ Incarnationis* MCLXXXVI.

XVIII.

(e) *Rochibarone*] Rochebaron, apud Foreſios familia, vetuſto Nobilitatis ſtemmate ſplendens.

(a) *Albonis Comes*] ratione Beatricis Albonenſis & Viennenſis Comitiſſæ, ejus uxoris.

(b) *Fontaneti*] Fontenoy vulgo.

XVIII.

Privilegium Humberti Dalphini Viennenſis, Oppido Perogiarum.

Ex Archivo ejusdem Oppidi.

NOs HUMBERTUS *Dalphinus Viennenſis, Viennæ & Albonis Comes ac Palatinus, Dominusque de Turre:* Notum facimus univerſis præſentes literas inſpecturis, præſentibus & futuris, quod dilectis hominibus & fidelibus noſtris Caſtri noſtri *Perogiarum,* (a) Burgenſibus videlicet ipſius loci, *ne nulla fiat quoquo modo inquiſitio contra eos, niſi parte conquerente, appellante, vel proſequente. Latrocinio tamen, homicidio & proditione exceptis,* plenam concedimus de ſpeciali gratia, tenore præſentium, in perpetuum libertatem. Mandantes expreſſe harum ſerie *Baillivo, Judici & Procuratori Terræ Turris,* (b) *ac Caſtellano dicti loci Perogiarum,* ut dictam libertatis gratiam præfatis Burgenſibus noſtris, ut præfertur, conceſſam, exceptis caſibus, debeant penitus obſervare, & nullam contra id fieri per ſe vel per alium novitatem. Datum *Meximiaci* (c) *per Amblardum de Bellomonte, Juris Civilis Profeſſorem, Protonotarium Delphinatus.* Anno Domini MCCCXXXIV, die XX. Februarii. 1334.

XIX.

(a) *Perogiarum*] vulgo *Peroges*, oppidum in Valle-bona, titulo *Baroniæ* jam a longo tempore inſignitum; cujus loci Dynaſta erat *Claudius Faure, Dominus de Vaugelas,* Vir Natalium claritate, ingenii perſpicacia, ſermonis eloquentia, morum urbanitate, illuſtris, cui multum lingua Gallica debet; in cujus exornationem plura erudite & cum omnium admiratione ſcripſit.

(b) *Turris*] ſcilicet *Pini*, in Delphinatu, a qua Dynaſtia, olim *Perogiarum* Caſtrum dependebat.

(c) *Meximiaci*] vulgo *Meximieux*, in Valle-bona.

Digitized by Google

XIX.

Notitia Verpitionis Dominorum Luſeiaci & Caſtellionis, Jurium omnium, quæ habebant apud Cavariacum

Ex Cartulario Monaſterii Cluniacenſis.

1103. QUoniam ea, quæ ſcripturæ mandantur, certius veriusque poſterorum notitiæ reſervantur, volumus, ut præſentium ac futurorum univerſitas agnoſcat, concordiam placiti, quæ de loco *Cavariaci* (a) facta eſt *inter fratres Cluniacenſes* & *Humbertum de Caſtellione* (b) *Militem*. HUMBERTUS autem iſte accepit filiam, videlicet *Berardi de Luſeiaco*, qua ex cauſa ſurrexit in *Cavariacum*, exiſtimans, ſe poſſe quaſdam ibi *malas conſuetudines exercere*, quas Berardus ille in vita ſua finierat; unde tandem poſt multas retractiones, ſaniori conſilio ad ſe rediens, *in præſentia* Domini Hugonis, Cluniacenſis Abbatis, apud *Berziacum* villam venit, hujus rei rationem executurus; quo in loco *Berardus de Sandraens*, prudens homo ac plenus dierum, ſuper verpitione, quam prædictus Berardus de Luſciaco fecerat; verum ſicut ipſe viderat, & audierat, retulit teſtimonium coram multis tam *Laicis*, *quam Monachis*, ſuo loco nominandis, *in præſentia jam dicti* Hugonis Abbatis, & ejusdem Humberti de Caſtellione. *Teſtimonium* vero habetur ejusmodi, quia *Berardus de Luſeiaco* (c) ad finem vitæ ductus, donavit & omnino finivit Deo & Beato Petro ad locum Cluniacum unum receptum, quem in Cavariaco exigebat; omnesque malas conſuetudines ac deprædatio- [illegible]

(a) *Cavariaci*] vulgo *Chareyriæ*, vicus Sebuſiæ, ubi eſt Prioratus, Abbatiali Menſæ Cluniacenſi à multis annis unitus.

(b) *Caſtellione*] Chaſtillon, in confinio Dombenſis Principatus.

(c) *Luſeiaco*] vulgo *Luſeys*, Caſtrum erat, juxta Novæ-Villæ vicum, cujus rudera adhuc hodie videntur in eo loco, qui dicitur *la Poype de Luſeys*, in Epiſcopatu Matisconenſi.

dationes, ſeu torturas, quas ibi per ſe, vel per ſuos exercebat, funditus verpivit & abſolvit, quid plura? Nihil penitus ibidem vel ſibi, vel poſteritati ſuæ juſte vel injuſte amplius exigendum retinuit, niſi tantum gardam & malefactorum juſtitiam, quam ſe ibi habere fatebatur; conſtans, ne aliquis de progenie ſua, quod finierat ipſe, præſumeret appetere, ſeu aliud deinceps opponere. Juſtitiæ autem, quam quærebat, tenor, atteſtante coram omnibus prædicto *Berardo* (d) *de Sandraens*, hujusmodi erat: ut ſi Monachus ejusdem obedientiæ Pater, de aliquo adverſario ſeu latrone, *vel malefactore, juſtitiam ſibi quæreret, plenarie eam ipſi faceret*, & tunc jam eidem Juſtitiæ leges & placita inter obedientiarium & Seniorem de Luſeiaco per medium eſſe deberent. Si quis etiam latro, videlicet, qui de hominibus S. Petri non eſſet, in foro Cavariaci furtum faciens, ut ab ipſo Domino de Luſeiaco, ſeu ab ipſo Præpoſito, ſcilicet de Luſeiaco deprehenderetur, eodem modo, videlicet medio ab eo juſtitiaretur. De hominibus autem S. Petri tam interioribus, quam exterioribus, nulla unquam ad eum juſtitia pertinebit, ſed hactenus de Berardo. Audiens igitur jam dictus *Humbertus*, cauſam ſuam nullam juſtam continere rationem, de præteritis ſatisfaciens in manu Domini Hugonis Abbatis, juxta Verpitionem *Berardi de Luſeiaco*, cuncta & ipſe verpivit, & cuncta abſolvit; promittens, ſe de cætero æquitatem fidelitatemque B. Petro ad locum Cluniaci ſervaturum, nihilque jam amplius in obedientia de Cavariaco calumniaturum. Hoc idem etiam in Cluniacenſi Capitulo poſtea laudavit, & fideliter confirmavit tenendum. Quod ut fidelius pleniusque ſervaretur in poſterum, abſolvit eum Domnus *Hugo* Abbas *de injuſtæ invaſionis præſumptione*. Si quis igitur huic jam definitæ abſolutioni

 ac

(d) *Berardo*] hujus Epiſcopi meminit SEVERTIUS, ſed cujus familiæ eſſet, non diſtinxit.

ac liberalitati aliquid calumniæ apponere præſumpſerit, terribile Dei judicium ſe teneat incurſurum. Facta eſt autem hæc Humberti ſuper hoc, quod injuſte quærebat, *verpitio* apud *Beziacum villam*, ſicut jam diximus, *anno Dominicæ Incarnationis* M. C. III. XI. *Indictione* PASCHALI, *Papa Romano* BERARDO, prædicti *Humberti* fratre, Matiſconenſi Epiſcopo. *In manu* Domini Hugonis Abbatis, *præſentibus & audientibus iſtis* Cluniacenſibus Monachis, Henrico Priore, Bernardo Camerario, Hugone Cellario, Duranno Priore de Monte-Bertoldo, Adalardo Decano *de Romanis*, (e) cum aliis pluribus. *Teſtes* autem hujus rei, & laudatores ſunt hi, Berardus de Sandraens, Wilelmus de S. Andrea, Wigo de Scetris, Milo de Luſiaco, & alii multi.

XX.

Donatio Stephani Domini de Villars, & Bernardi fratris ejus, Monaſterio S. Eugendi.

Ex Archivo ejusdem Monaſterii.

1225. EGo STEPHANUS, *Dominus de Villars*, & Ego BERNARDUS de Thoria frater ejus, omnibus præſentibus & futuris præſenti pagina notificamus, quod Nos communi voto parique conſenſu donavimus Deo & Eccleſiæ S. Eugendi, & fratribus ibidem Deo ſervientibus, pro remedio animarum Patris noſtri, *Humberti de Thoiria* (a) & filii ipſius, fratris noſtri,

(e) *Romanis*] vulgo Romans, apud Sebuſianos, ubi eſt Decanatus antiquus Ordinis Cluniacenſis, unitus Prioratui *de Sales*, in Provincia Bellijocenſi.

(a) *Thoria*] primitivum erat illuſtris hujus familiæ cognomen. Sed cum *Stephanus* ille nupſiſſet *Agneti*, *Dominæ de Villars*, ſe *Dominum de Villars* nuncupavit, &, in illius matrimonii memoriam, inter eorum Succeſſores illud conſtanter obſervatum fuit, ut major natu ſemper ſe *Dominum de Thoire* & *de Villars* appellaret; reliqui autem *Villariorum* cognomen aſſumerent.

Digitized by Google

noſtri, & aliorum Anteceſſorum noſtrorum, in eleemoſynam perpetuam, prout melius potuimus, *quidquid proprietatis, quidquid juris, quidquid dominii, vel feodi, vel conſuetudinis, vel alio quolibet modo habebamus, vel habere poteramus, in Parochia de Viry & de Ronnia,* (b) tam in hominibus quam in terris, pratis, aquis, nemoribus ad dictam Parochiam pertinentibus, nil prorſus in eisdem nobis vel poſteris noſtris in aliquo retinentes; *juravimus etiam ſuper capſam Apoſtolorum Petri & Pauli, atque Andreæ,* quod nunquam de cætero per Nos, vel per aliquam perſonam contra hanc donationem veniremus; ſed ipſam juravimus ſemper eidem Eccleſiæ contra omnes homines manutenere & defendere; & propter hoc a dicta Eccleſia quingentas Marchas argenti habuimus. Ut autem hæc donatio & eleemoſyna quieta & pacifica Eccleſiæ S. Eugendi perpetuo permaneat, præſentem cartam, Sigillorum noſtrorum munimine roboratam, eidem Eccleſiæ indulſimus. In hujus rei teſtimonium & munimen, ad majorem quoque hujus rei firmitatem, & ne aliquis unquam poſterorum noſtrorum contra hanc donationem venire præſumat; rogavimus *Dominum Archiepiſcopum Lugdunenſem,* ut, ſi (quod abſit) quandoque contingeret, quod Nos, vel aliquis noſtrorum, contra ipſam donationem in aliquo venire attentaremus, Dominus Archiepiſcopus Nos & terram noſtram tandiu ſub diſtricto teneret interdicto, donec illud, quod in ipſa donatione eſſet male præſumptum, plenarie emendaretur, & de cætero in pace teneretur; & ut hoc firmiter perpetuis temporibus obſervaretur, rogavimus ipſum Dominum Archiepiſcopum, ut ſuper hoc eidem Eccleſiæ literas ſuas indulgeat. *Actum eſt hoc in Capitulo S. Eugendi, anno ab Incarnat. Domini* MCCXXV. VII. Kal. Novembris.

(b) *Viry & Ronnia*] vici ſunt Monaſterii S. Eugendi, non longe ab Arbenſi municipio.

XXI.

Donatio Conradi, Burgundiæ Regis, Monaſterio Cluniacenſi.

Ex Cartulario ejusdem Monaſterii.

In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.

943. CUNRADUS, *divino munere largiente Sereniſſimus Rex.* Quidquid juſte & recte Nobis agere videtur, ſatis poſſumus corroborare & confirmare. Idcirco notum ſit omnibus fidelibus noſtris, præſentibus ac futuris, qualiter HUGO *Comes* (a) *& conſanguineus noſter* petiit Regalem Celſitudinem noſtram, ut quandam villam, nomine *Boliniacum*, (b) cum Eccleſia in pago Lugdunenſi, cum villis, terris, vineis, pratis, ſylvis, paſcuis, aquis, atque aquarum decurſibus, ſervis utriusque ſexus, & omnibus adjacentiis & pertinentiis ſuis, quæſitum & ad inquirendum, per noſtram authoritatem ad Monaſterium Cluniacum, quod eſt in honore B. Petri, concederemus, quod ita fecimus pro Dei amore. Volumus vero, & per hoc noſtrum præceptum firmiter decrevimus, ut dictus locus omnem obtineat vigorem, manu noſtra firmavimus, ac Sigillo noſtro in id affigi. *Data IX. Kal. Maji anno ab Incarnatione Domini noſtri JEſu Chriſti* DCCCC XLIII. *anno VI. regnante Domino* CHUNRADO *Rege, filio Rodulphi.*

XXII.

(a) *Hugo Comes*] Dominus Baugiaci & Sebuſianorum Regulus, qui aliquando Comes, & aliquando Marchio dicebatur.

(b) *Boliniacum*] vulgo *Boulignieux*, vicus eſt in Sebuſia, juxta Villarii Oppidum, quod Paludanorum antiquum eſt patrimonium.

XXII.

Tranſactio inter Humbertum Dalphinum Viennenſem, & Philippum de Vienna, Dominum de Pymont.

Ex Schedis Clarisſimi Viri, Domini *Chorier*, in ſuprema Delphinatus Curia Cauſidici meritisſimi.

In Nomine Domini. Amen.

NOverint univerſi & ſinguli, præſentes & futuri, quod anno ejusdem MCCCXLIII. Indict. XI. die ultima menſis Julii, Pontificatus Sanctiſſimi Patris & Domini, CLEMENTIS *Papæ VI. anno II.* conſtituti perſonaliter propter ea, quæ ſequuntur, *Illuſtris Princeps; Dominus* HUMBERTUS *Dalphinus Viennenſis* ex una parte, & *Viri nobiles,* Dominus Philippus de Vienna, Dominus de Pymont, & Guido de Vienna, ejus filius Primogenitus, conſanguinei ejusdem Domini Delphini nomine ſuo, & aliorum liberorum ipſius, Domini Philippi; quos habuit a Domina *Margareta de Montelupello,* (a) uxore quondam ejusdem Domini *Philippi,* quæ fuit filia *Guidonis,* quondam Domini Montislupelli, ex parte altera coram teſtibus, & me *Notario* infra ſcriptis. Cum præfati Domini Philippus & Guido de Vienna ejus filius, ſuis & nominibus, quibus ſupra, peterent a dicto Domino Delphino Caſtra Montislupelli, de Vallibus, & Baſtidam Montislupelli, cum juribus & appenditiis eorum, vigore cujusdam *ſubſtitutionis,* factæ quondam, ut dicitur, per Dominum *Guidonem,* Patrem dictæ Dominæ *Margaretæ,* quam & liberos ejusdem in prædictis Caſtris ſuis ſubſtituit dictus quondam *Guido,* Dominus Montislupelli, in ejus *teſtamento,* de quo extare dicitur publicum inſtrumentum; dictaque de cauſa ipſi Domini *Philippus* & *Guido* 1343.

(a) *Margareta de Montelupello*] Guidonis Domini Montislupelli, & Margaretæ, Dominæ Coloniaci, filia.

Guido, ejus filius, aſſerebant, *dicta Caſtra ad ipſum Guidonem & alios prædictos ipſius Domini Philippi liberos legitime pertinere,* dicto Domino *Delphino in contrarium aſſerente,* & dicente, *quod prædicta Caſtra Montislupelli, de Vallibus & de Baſtida Montislupelli, cum juribus & pertinentiis eorundem, ad uſum Domini Delphini in ſolidum juſtis & legitimis cauſis, rationibus & titulis pertineant pleno jure.* Hinc eſt, quod dicti Domini Delphinus & Domini Philippus & Guido ejus filius, quibus ſupra nominibus volentes de prædictis ad *transactionem validam* & concordiam devenire, præſertim dictus Dominus Delphinus attendens, ut dicebat, dilectionem & conſanguinitatem antiquas & vigentes inter dictum Dominum Delphinum alioſque de progenie eorundem; quorum conſideratione vult ad hæc amicabilius declinare, convenerunt, *transegerunt & concordarunt,* dictus Dominus Delphinus pro ſe ſuiſque hæredibus & ſucceſſoribus, & dicti Dominus Philippus, tanquam legitimus Adminiſtrator liberorum ſuorum, & Guido de authoritate & mandato ejusdem Domini Philippi Patris ſui præſentis, pro ſe & aliis liberis ſupradictis, ſuiſque & aliis hæredibus & ſucceſſoribus perpetuo de prædictis omnibus, *in hunc modum ſolennibus ſtipulationibus* mutuis intervenientibus hinc & inde, *videlicet,* quod dictus Dominus Delphinus in ſatisfactionem & recompenſationem prædictorum, totiusque querelæ & jurium competentium & competitorum dictis Dominis Philippo, Guidoni ejus filio, & aliis quibuscumque liberis ſuis, hæredibus, vel ſucceſſoribus in Caſtris Montislupelli, Vallium & Baſtidæ, juribus, mandamentis, & pertinentiis eorundem, & cum uſibus ipſorum, virtute ſubſtitutionis prædictæ, vel alia qualibet ratione; ita quod nunquam perpetuo ipſi Dominus Philippus, & Guido, & liberi ejusdem Domini Philippi, aliique eorum poſteri, poſſint vel debeant in prædictis quomodolibet querelare, nec dicere jus, vel reclamationem ſe habere, ſeu aliqua ulterius petere in eisdem; conceſſit,

ceſſit, dedit & donavit *pura donatione ſimplici & irrevocabili*, quæ dicitur *inter vivos*, dicto Guidoni de Vienna præſenti & recipienti, de conſenſu dicti Domini Philippi Patris ſui præſentis, CCC. florenos auri juſti & legalis ponderis Delphinalis, annui & perpetui valoris, pro quibus tradidit & conceſſit Caſtrum *Enteſiaci* (b) in valore terræ cum mero imperio & jurisdictione omnimoda; in cujus Caſtri redditibus, valoribus dictorum trecentorum florenorum, valores annui aſſignentur, *inveſtiens* dictus Dominus Delphinus præfatum Guidonem præſentem de prædicto Caſtro per *traditionem annuli ſui*; Mandans & præcipiens univerſis & ſingulis ſubditis dicti Caſtri *Enteſiaci* & ejus mandamenti, præſentibus & futuris, quod dicto Domino Guidoni de Vienna & ſuis perpetuo hæredibus & ſucceſſoribus obediant, ſolvant & reſpondeant. *Item* fuit actum, & in pactum expreſſe deductum inter dictos, Dominum Delphinum ex una parte, & dictum Dominum Philippum, quo ſupra nomine, ac præfatum Guidonem ex altera; quod dictus Guido de Vienna prætextu donationis Caſtri prædicti Enteſiaci *jurare debeat fidelitatem ligiam* dicti Domini Delphini; & etiam quod ille ex hæredibus dicti Domini Philippi, *qui erit primogenitus ſuccedens vel ſucceſſuri, in principali nomine dicti Caſtri Enteſiaci, & tenens dictum Caſtrum faciat inde homagium ligium dicto Domino Delphino.* Deinde ibidem & in continenti prædictus Guido de Vienna, ſciens & ſpontaneus primogenitus dicti Domini Philippi, de authoritate ipſius per ſe, & hæredes ſuos & ſucceſſores, gratis & ſpontanea voluntate, ex prædicta cauſa confitens & recognoſcens, ſe & ſucceſſores ſuos tenere debere prædictum Caſtrum de Enteſiaco in feudum, & de feudo reddibili dicti Domini Delphini, hæredum & ſucceſſorum ſuorum; & propterea fecit & præ-

(b) *Enteſiaci*] vulgo *Enteſieux*, in Delphinatu.

præſtitit *homagium ligium* ante & contra omnes alias perſonas, dicto Domino Delphino præſenti & recipienti ad opus ſui, ſuorumque hæredum & ſucceſſorum flectendo pedes; *poſitis ſuis manibus inter manus dicti Domini Delphini, & interveniente oris oſculo in ſignum fidelitatis & amoris*, & jurans ſuper ſancta Dei Evangelia, ab eo corporaliter tacta, fidelitatem dicto Domino Delphino pro ipſo & ſuis omni tempore attendere, ſervare incolume, tutum, honeſtum, facile, utile & poſſibile, & alia omnia, quæ in capitulo de forma fidelitatis novo & vetere continentur. *Actum apud Viennam, in Monaſterio Abbatiæ S. Petri foris portam, præſentibus Reverendis Dominis in Chriſto Patribus*, Domino Henrico de Villars *Lugdunenſi*, Bertrando de Capella *Viennenſi*, & Hugone de Vienna *Biſuntino* Dei gratia Archiepiſcopis, Joanne eadem gratia *Gratianopoli* Epiſcopo, *Magnificis & Nobilibus Viris*, Domino Ludovico de Pictavia, *Comite Valentinenſi*, & Domino Hugone, Domino Virvillæ, Raynaudi Alamandi, Domino S. Georgii, Amblardo Domino Bellimontis, Guigone de Morgia Domino Spinæ, *Militibus*. *Signé* Fromenti.

XXIII.

Donatio Humberti Dalphini Viennenſis Eccleſiæ & Conventui fratrum Auguſtinianorum Cremiaci.

Ex Archivo ejuſdem Conventus.

1337. HUMBERTUS *Dalphinus Viennenſis, Dux Campiſauri, Viennæ & Albonis Comes ac Palatinus*, notum facimus univerſis & ſingulis, præſentibus & futuris, quod conſiderantes & attendentes, Dominum JOANNEM *Dalphinum*, quondam *Patrem* noſtrum, fundaſſe Eccleſiam & Conventum fratrum Eremitarum Ordinis S. Auguſtini apud *Cremiacum*, (a) collo-

(a) *Cremiacum*] vulgo *Cremieu*, oppidum lepidum Delphinatus.

collocando & ordinando, ibidem eſſe perpetuo *decem fratres ad deſerviendum Deo* ibidem pro remedio animarum & ſalute ipſius Domini Joannis, prædeceſſorum & ſucceſſorum, & ipſis fratribus promiſiſſe, in defectum eleemoſynarum ſuarum & victualium ipſis fratribus neceſſariarum, eorum neceſſitatibus ſubvenire & providere, *patrizare,* & paterna veſtigia ſequi totis affectibus cupientes, & ea, quæ dictus Dominus genitor noſter quondam dictis fratribus ſermone promiſit, quod carnis morte præventus, prout Deo placuit, non complevit, per Nos Dalphinum pridem efficaciter opere compleatur, & in melius ſtatus dictæ Eccleſiæ & Conventus, dante Deo, reformetur, & per Nos dictus Conventus augeatur, & ſit ad laudem & honorem Dei omnipotentis, B. Matris ejus, B. Auguſtini, & omnium ſanctorum, & totius cœleſtis Curiæ ſupernorum, & pro ſalute & remedio animæ noſtræ & prædeceſſorum noſtrorum, & ſucceſſorum, ibidem *in Miſſis celebrandis,* & aliis divinis officiis faciendis; volenteſque dictum Conventum augmentare, ordinamus & collocamus ibidem *triginta* fratres dicti ordinis, ultra dictum numerum dictorum decem fratrum, prius ut ſupra collocatorum & ſervatorum, ibidem ordinando, quod in dicto Conventu Cremiaci ſint perpetuo & maneant dicti triginta fratres, ultra dictos decem fratres poſſint & eis liceat de authoritate Prioris, Conventus dicti loci extra dictum locum pro queſtis & eleemoſynis petendis, habendis, & dicto Conventui per ipſos deportandis & congregandis, & pro aliis negotiis dicti Conventus extra dictam domum & Conventum in melius peragendis ſe abſentare, vacare & intendere poſſint dicti fratres. & triginta fratres ſupradicti in dicto Conventu ſemper & continue remaneant & interſint pro divino officio celebrando, niſi circum quamcumque villam, Mandamentum & Inſulam dicti loci, pro defunctis & ſepulturis defunctorum, vel ad terminos pro officio prædicationis exercendo, mitterentur & vocarentur.

 Item

Item volumus & ordinamus Nos, Dominus Dalphinus, dictis fratribus, Priore & Conventu concedentibus & conſentientibus, quod prædictos fratres videlicet, *per quatuor* ex ipſis deinceps & in perpetuum *quolibet die in poſterum*, & pro futuro, debeant & adſtricti ſint Miſſas quatuor ibidem infallibiliter, pro animabus noſtris, *Humberti Dalphini* & dicti progenitoris mei, & *Dalphinæ* (b) noſtræ conſortis, & prædeceſſorum noſtrorum & ſucceſſorum, ſolenniter & devote, *ſubmiſſa* tamen *voce*, quotidie celebrare, & in ipſis Miſſis certas recommendationes & orationes pro nobis dictis Dalphino, Dalphina, & dictis progenitoribus & ſucceſſoribus, dicere pariter & orare. *Item* quod in dicto Conventu, ex nunc & deinceps perpetuo, quolibet anno fiant & fieri debeant in dicta Eccleſia & Conventu duo *Anniverſaria* pro animarum noſtrarum, Dalphini & Dalphinæ, progenitorum & ſucceſſorum noſtrorum remedio & ſalute; in quibus quidem Anniverſariis & quolibet ipſorum dicti fratres *conventuales* pariter & *ſtudentes*, & quilibet ex prædictis debeant & teneantur Miſſas, & divina officia celebrare. Quocirca ut omnia prædicta & ſingula, ut præmittitur, efficacius per dictos fratres fiant & effectui mancipentur, Nos, dictus *Humbertus Dalphinus*, ſpontanea voluntate & ex certa ſcientia & divina contemplatione moti, damus, donamus, cedimus pariter ac concedimus, pro nobis & noſtris hæredibus, & ſucceſſoribus quibuscumque, in perpetuum dictis fratribus, Priori & Conventui ſtipulantibus, & recipientibus nomine & ad opus dictorum fratrum & Conventus; & pro ipſo, *donatione pura, vera atque perpetua*, & irrevocabili *facta inter vivos*, fructus & perceptiones fructuum decimalium omnium & ſingulorum, decimæ bladorum & vini Enteſiaci, excreſcentis in tota decimaria villæ & diſtrictus Enteſiaci & ejus mandamenti, ubicumque ſint, & a quocumque

(b) *Dalphinæ*] Mariæ Baucianæ ſcilicet.

que vel quibuscumque debeantur, quam decimam vel fructus decimales quoscumque Nos dictus Dominus Dalphinus & prædeceſſores noſtri transactis temporibus, & hactenus habere, levare, & percipere per Nos, ſeu alium nomine noſtro conſuevimus in dicta villa, diſtrictu, mandamento & Parochia dicti loci, usque ad tempora hodierna, & quam *decimam* dicti fratres ex nunc ut antea, deinceps in perpetuum per ſe, vel per alium ſeu alios percipiant, levent & habeant, prout Nos Dominus Dalphinus & prædeceſſores noſtri antea habebamus *tanquam rem ſuam propriiſſimam*, & per Nos *legitime, franche & perpetualiter* eisdem conceſſam. Deveſtientes nos idem *Dalphinus*, & noſtros ſucceſſores in perpetuum, de dicta decima bladi & vini, & obvenientium quorumcumque, ponentes & inducentes eosdem fratres, Priorem & Conventum de dicta decima bladi & vini, & obvenientium in corporalem poſſeſſionem & realem. *Item* damus Nos dictus Dalphinus, cedimus & concedimus perpetuo eo modo & forma, quibus ſupra, dicto Conventui centum florenos auri de Florentia, boni & legitimi ponderis annuatim, pro eorum *veſtiariis* & neceſſitatibus aliis ſupportandis, quos centum florenos aſſignamus in & ſuper Caſtellaniis infra ſcriptis, videlicet in Caſtellania *S. Saturnini* (c) XXV. florenos auri. In Caſtellania Cremiaci XX. florenos; in Caſtellania de Turre XX. florenos; in Caſtellania Moreſtelli X. florenos; & in Caſtellania Quiriaci XXV. florenos, annis ſingulis perſolvendos, ſuper redditibus, cenſibus, obventionibus & bonis Caſtellaniarum prædictarum. *Mandantes* & præcipientes expreſſe Caſtellanis, Cellerario & eorum locatenentibus locorum prædictorum vel Caſtrorum, modernis pariter ac futuris, ut alter alterum non expectet, ut prædictas ſummas florenorum dictis fratribus

 aut

(c) *S. Saturnini*] vulgo *S. Sorlin de Cucbet*, in Bugeſia, quod olim Delphinis parebat.

Digitized by Google

aut eorum certo mandato, omni excuſatione, dilatione, cautela ſubmotis, penitus ſolvant & tradant, & Nos dictas ſummas dictis Caſtellanis & Cellerariis, & eorum locatenentibus promittimus in ſuis computis anno quolibet firmiter facere collocare. *Datum apud Cremiacum, in domo dictorum fratrum, aſſiſtentibus Nobiscum;* videlicet, Domino Guidone de Grolea, Humberto de Cholay, Henrico Drens *Militibus*, Joanne de Pouſſiaco *Theſaurario* noſtro, & Magiſtro Nicolao de Avelino, noſtræ *magnæ Curiæ Magiſtro Rationali, die VII. menſis Februarii, anno Nativitatis Domini* M CCC XXXVII. *Signé Amblardus de Bellomonte, Juris Civilis Profeſſor, Prothonotarius Delphinatus.*

XXIV.

Obedientiæ Præſtatio a Prioriſſa Brueriæ Abbati Ambroniaci.

Ex Archivo Monaſterii Ambroniaci.

1267. NOs JOANNES PETRUS *de Ambroneria, officialis Lugdunenſis.* Notum facimus univerſis præſentes literas inſpecturis, quod coram mandato noſtro, videlicet Joanne de Gedalerino, Clerico Curiæ noſtræ jurato, a Nobis deputato, præſentibus Dominis Guilelmo de Liſſiaco, & Guilelmo de Chiel *Militibus*, Clementia de Vaſſaliaco, Simonda de Molone, & Iſabella de Liſſiaco Monialibus Prioratus de *Brueria*,(a) prope *Anſam*, (b) Lugdunenſis Diœceſis, teſtibus ad hoc vocatis & rogatis, conſtituta Religioſa Domina, Domina *Jaqueta*, Prioriſſa Prioratus de *Brueria*, in quantum coram prædicto jurato

(a) *Brueria*] vulgo la *Bruyere*, Monaſterium eſt in Provincia Lugdunenſi Monialium Ordinis divi Benedicti, quod anno 1653. Lugdunum translatum eſt, & Monaſterio *Bliæ* unitum.

(b) *Anſam*] Oppidum Comitatus Lugdunenſis, quod *Aſſa Paulini* vocatur in Itinerariis antiquis.

jurato noſtro & teſtibus prædictis, in domo Domini de Ambroniaco, ſita Lugduni inter duas aquas, in magna aula dictæ domus Ambroniacenſis Lugduni, die Lunæ poſt feſtum Luciæ Virginis, anno Domini MCCLXVII. dicta Jaqueta habito conſilio & conſenſu Conventus ſui, ad hoc inſimul ſpecialiter convocati, fecit obedientiam canonicam R. in Chriſto Patri, ac Domino, Domino *Guilelmo, Dei gratia Ambroniacenſi* (b) *Electo* confirmato, recipienti nomine ſuo & Monaſterii Ambroniacenſis, tanquam immediato & proximo Superiori, Viſitatori & Correctori ipſius Prioriſſæ, locorum & monialium omnium Prioratus prædicti, & dicti etiam Prioratus, in capite, & in membris commoti & diviſi. Sciendum eſt autem, quod non fuit intentio dicti Domini Electi, nec dictæ Prioriſſæ, ut aſſerunt coram dicto mandato noſtro, quod propter hujusmodi obedientiam, quam fecit in loco prædicto apud *Lugdunum* dicta Prioriſſa, non ſit vel fiat aliquod præjudicium Dominæ Prioriſſæ & ſucceſſoribus ſuis, in dicto Prioratu, & Monaſterio Prioratus prædicti, nec dicto Domino Electo aut ſuis ſucceſſoribus, prout ipſi aſſerunt coram dicto mandato noſtro & teſtibus prædictis, pro eo quod *Lugduni* præſtitit dictam obedientiam, & dictum eſt quantum confitente dicta Prioriſſa cum conſenſu totius Conventus ſui, ſe & Prioriſſas quæ pro tempore fuerint dicti Prioratus, in poſterum teneri præſtare Electis & Abbatibus *Ambroniaci*, qui de cætero fuerint confirmati in Monaſterio ante dicto immediate, priusquam, confirmatione obtenta, Prioriſſa quæ pro tempore fuerit, cum conſenſu dicti Conventus ſui, ſuper hoc fuerit requiſita ab Abbate, qui pro tempore fuerit. Confitens inſuper dicta Prioriſſa, quod *confirmatio Prioriſſarum quæ de cætero*

(b) *Ambroniacenſi*] vulgo *Ambronay*, inſigne Benedictinorum Cœnobium apud Bugeſios noſtros; de quo nos plura diximus *in Hiſtoria Sebuſiana*.

cætero fuerint in Prioratu de Brueria prædicto, ſpectat ad Abbatem Ambroniacenſem, qui nunc eſt, & qui pro tempore fuerit, in eodem incurrit teſtimonio dictus Officialis, cum nobis conſtet de prædictis per fidelem relationem dicti jurati noſtri, cui ſuper hoc fidem plenariam adhibemus, *Sigillum* noſtrum ad preces dicti Electi & Prioriſſæ præſentibus literis duximus apponendum; ſalvo & retento in omnibus jure Domini noſtri Archiepiſcopi Lugdunenſis, qui nunc eſt, & qui pro tempore fuerit deinceps in Prioratu prædicto. *Datum & actum dicta die Lunæ & anno prædicto præſentibus teſtibus ſupra dictis.*

XXV.

Carta Treugarum inter Dominum de Thoire & de Villars, & Priorem Nantuaci.

Ex Archivo Monaſterii Nantuaci.

NOs HUMBERTUS, *Dominus de Thoire & de Villars,* & Nos Frater *G.* (a) *humilis Prior Nantuaci,* totiusque ejusdem loci Conventus. Notum facimus univerſis, quod cum Nos de guerra, quæ erat *inter* Nos, Dominum de Villars, & ſubditos noſtros ex una parte, & *Nos, Priorem* & Conventum, & ſubditos noſtros ex altera, dedimus bonam & firmam *treugam* ad invicem, una pars alteri pro Nobis & ſubditis, valitoribus & conductoribus noſtris, usque ad feſtum *S. Michaelis Archangeli, proxime* venturum, prout in literis Sigillis noſtris ſigillatis plumbo continetur. Nos conſiderata utilitate noſtra, hinc inde ſuper prædictis, dictas *Treugas prolongavimus* usque ad feſtum *Nativitatis* Domini proxime venturum, & eas tenere & attendere, una pars alteri promittimus bona fide, & *ſub obligatione omnium bonorum noſtrorum,* ad bonum intellectum, pro Nobis, ſubditis, valitoribus & conductoribus

(a) *G*] Guido de Coloniaco, ex illuſtri Coloniaca familia, tunc Nantuaci Prior.

bus noſtris, modo, & forma, & conditionibus, contentis in literis dictæ Treugæ, Sigillis noſtris ſigillatis. Hoc acto expreſſe inter nos hinc inde, quod ſuper prædicta guerra pace habita & pronunciata per Nobiles Viros *P. Eymondi,* Baillivum Bugeſii & Novaleſiæ, Petrum de Balma, Dominum de Vallefin, H. de Tramelay, Dominum de Longomonte, & Humbertum de Gryſy, Canonicum S. Pauli Lugdunenſis, ſuper iis a Nobis jam electos, ut in dictis Treugis continetur; teneantur Nobis Priori & Conventui facere reſtitui cum effectu omnia blada, pecunias & res alias quaſcunque, quæ & quas habemus in Terra dicti Domini de Villars, quæ præcepta ſunt a tempore dictæ Treugæ principaliter, integraliter & perfecte, alias pace non exiſtente inter nos prædictas partes, debent dicti quatuor prædicti amovere manum ſuam de bladis, pecuniis & rebus aliis ſupradictis, & debent eas dimittere ex pacto inter nos habito apud *Montem-Regalem,* (b) penes Nos Dominum de Villars, ſalvo jure utriusque partis; quæ omnia & ſingula ſupra dicta promittimus inviolabiliter obſervare, & in nullo contra venire; & ut majorem roboris firmitatem obtineant, fecimus eas jurari per decem Burgenſes Nantuaci, & decem Burgenſes Montis Regalis. In cujus rei teſtimonium Sigilla noſtra præſentibus literis duximus apponenda. *Datum die Martii poſt Exaltationem Sanctæ Crucis, anno Domini M CCC IX.*

XXVI.

Conceſſio Abbatis Ambroniaci, Cartuſiæ Majorevi.

Ex Archivo ejusdem Carthuſiæ.

HISMIO, *Ambroniacenſium humilis Abbas,* totusque Conventus, 1135.

(b) *Montem-Regalem*] vulgo *Mont-Real*, oppidum Bugeſii, quod olim erat Regulorum de Thoire & de Villars.

ventus, dilecto fratri STEPHANO, (a) *Priori Majorevi*, cunctisque fratribus, in ejus Domo Chriſto Domino devote famulantibus. Omnes qui ad perpetuam pacem ſupernæ viſionis tendunt, pacis amatores & ſectatores eſſe oportet; verum illi præcipue paci & quieti operam debent impendere, qui rationi & divinæ legis meditationi inſiſtendo ſtudioſius, atque Deo deſiderant ſervire. Quapropter dilectiſſimi, quoniam audivimus & legimus, *ob Paſtorum Schismata haud minima ſuborta fuiſſe mala* inter viros etiam perfectos, ut inter Abraham & Loth, multaque ejusmodi pateant exempla; paci veſtræ providentes ac quieti, neve unde bona pacis debent procedere, lites inde oriantur. Pro voto & petitione veſtra in facie noſtri Capituli, omni favente Conventu, ſolemniter & gratanter, qui & majora facere vellemus, omnia paſcua veſtra a Fonte ubi oritur *Coſantia*, (b) donec idem Rivus labitur in fluvium, qui *Equis* (c) dicitur, & inde usque ad Heremum veſtram, vobis, ac ſucceſſoribus veſtris in perpetuum concedimus, quandiu in ſtatu & ordine Carthuſienſi Domus veſtra manſerit; ſub tali videlicet pacto & conditione, ut in eisdem paſcuis alienas oves non admittamus, nec etiam pro noſtris veſtras abjiciamus. Huic autem donationi interfuerunt *Hungrinus*, *Portarum Converſus*, & alii.

XXVII.

(a) *Stephano*] idem eſt, cujus meminimus ſupra cap.68. cent.II.

(b) *Coſantia*] rivulus eſt.

(c) *Equis*] corrupte pro fluvio Ains, Danum dicimus. Etiamſi huic conceſſioni nulla adjecta fuerit data, tamen ad annum 1135. referre non habeo, cum eodem tempore *Hismio* Ambroniacenſis Abbas, & *Stephanus* Majorevi Prior vixerint.

XXVII.

Donatio Guilelmi, Archiepiſcopi Biſuntini, Eccleſiæ Sanctæ Magdalenæ Biſuntinæ.

Ex ejuſdem Eccleſiæ Gazophilacio, procurante D. d'Audeul-Varin, Nobili Sequano.

GUILELMUS, (a) *Sanctæ Chryſopolitanæ* (b) *Eccleſiæ ſervus.* 1109.
Univerſis fidei Catholicæ cultoribus. Pontificalis officii cura compellimur, juſta poſcentibus aurem benevolam commodare, ut & petentes aſſenſum pietatis, ſeſe gaudeant impetraſſe, & tunc exhibitæ caritatis compenſationem ab omnium authore valeamus confidentius expectare. Sciat itaque tam præſentium quam futurorum univerſitas, quod anno primo noſtri Pontificatus, rogati precibus Canonicorum, Beatæ Mariæ Magdalenæ famulantium, donavimus illis, atque Eccleſiæ ſuæ perpetualiter poſſidendum *Altare etiam de Marnay,* (c) cum omnibus appenditiis ſuis, præter *Synodales Eulogias* ad Nos, ſive Miniſtros noſtros pertinentes; concedimus quoque præfatæ Eccleſiæ terram, quam dedit ei *Joannes,* cognomine *Miles,* in *Campo Martis,* (d) juxta puteum Domini Dudini. Laudamus item eidem Eccleſiæ in domo Petri Doyſimo Menaidas, & quatuor ſolidos in Majo, quos dedit ipſi Eccleſiæ Stephanus, ſuus Canonicus; Manſum etiam,

Ff 2 quem

(a) *Guilelmus*] hujus donationis in iſtius Archiepiſcopi elogio breviter meminit Vir eruditiſſimus *Jo. Jacob.* CHIFFLETIUS *Parte 2. cap. 53. in Veſont. ſua.*

(b) *Chryſopolitanæ*] idem eſt, quod Biſuntinæ, ut pluribus demonſtrat & diſſerit luculenter ſuo more idem author.

(c) *Marnay*] Vicus eſt apud Sequanos, Caſtro perantiquo celebris, olim Joinvillanorum Dynaſtarum, nunc illuſtriſſimi e *Gorrevodia* familia Pontis-Vallium Ducis patrimonium.

(d) *Curto-Capone*] vulgo Courchapon, apud eosdem Sequanos.

quem dedit alius Canonicus, Hugo ſcilicet de Dulia. Confirmamus autem dictæ Eccleſiæ Altare de Boiſſeriis, de Sayens, & de Azan cum appenditiis ſuis, ſylvis, pratis, manſis, in quibus Miniſtri *Comitis* (c) nullam prorſus habeant conſuetudinem, quod probatum eſt jurejurando, atque judicio, in conſpectu *Guilelmi,* Conſulis Patris Archipræſulis, *Hugonis* Archiepiſcopi Biſuntini. Hæc igitur noſtra ſeu anteceſſorum dona ſupradicta Eccleſiæ Magdalenæ perpetuo poſſidenda concedimus, & præſentem paginam Sigilli noſtri impreſſione firmamus ſignata. Si quis autem infregerit hæc, vel, cui collata ſunt, auferre tentaverit, authoritate noſtri officii eum excommunicamus, quamdiu ad ſatisfactionem venire diſtulerit. *Datum 13. Kal. Martii, anno ab Incarnat.* Domini MCVIIII. *Pontificatus Domini Guilelmi I. anno primo.* Ego *Bonifacius* recognovi.

XXVIII.

Fundatio Abbatiæ de Six.

Ex Archivo Monaſterii de Abundantia, exhibente R. P. D. Hilario a S. Joanne Baptiſta Fulienſi.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

1144. ANtiquorum Patrum ſequentes veſtigia, pacis, unitatiſque fœdera, quæ poſteris profutura cognovimus, literis diligenter commendare curavimus. Noverit ergo præſens ætas, & univerſa ſequens poſteritas, quod *Abundantina Eccleſia* ad laudem & honorem Dei omnipotentis & Beatæ Mariæ ſemper Virginis, in loco de *Six,* (a) ſua videlicet poſſeſſione propria, ſummo labore ac ſtudio Domum quandam ædificavit,

(c) *Comitis*] id eſt, Burgundiæ.

(a) *Six*] vulgo *Sis*, in Faucigniacenſi *Dynaſtia Diœceſis Genevenſis*, cujus Monaſterii meminit PENNOTUS, *Hiſt. Can. Regul. lib. 2. c. 33. n. 13.* ſed ejus fundationem ignoravit; ibi Canonici Regulares ſunt Ordinis S. Auguſtini.

vit, & ei tam in perſonis, quam in cæteris neceſſariis, filialem ſubventionem pro poſſe exhibuit, quam poſtea, divino credimus nutu, ſoloque pietatis ac religionis intuitu, in Abbatiam miſericorditer ſublimavit; regularem vero ordinis ſollicitudinem & correctionem, ac totius dominii poteſtatem, in ipſa domo de Six, & in omnibus ad eam pertinentibus, ſpiritualibus ſcilicet & temporalibus, ſibi, ſuiſque ſucceſſoribus, Dominus *Abbas Abundantinus* (b) retinuit; *Prior* quoque *Abundantinus*, quando in ipſa Domo de Six præſens extiterit, præſente ſive abſente ejuſdem loci Abbate, præcipuum *Prioris* locum & officium in omnibus obtinebit. Decedente autem Domno *Pontio* (c) Abbate, qui per omnia Abundantinæ *Matri* Ecclesiæ obediens & devotus extitiſſe cognoſcitur, *fratres de Six Abundantinum Capitulum adeant, & ſecundum conſilium Abbatis ac fratrum Abundantiæ, ſibi Paſtorem eligant; electus itaque Abbas, omni poſtpoſita dilatione, Abundantino Abbati, utpote Domino ac Patri, debitam obedientiam faciat, & primam poſt eum in Capitulo ſedem habeat*, qui quoties ibidem venerit, ſi Domnum Abbatem Abundantinum forte deeſſe contigerit, ipſius officium per omnia ſupplere debebit; & quoniam omnis homo viam univerſæ carnis ingreditur, tranſitu Domini Abundantini cognito, illuc ſub omni fidelitate venire non differat, & ex conſilio Abundantini Capituli ipſius domus curam tamdiu gerere ſtudeat, donec eadem congregatio, inſpirante Spiritu ſancto, ipſum, vel quem maluerit, alium ſibi eligat Rectorem

Ff 3 ido-

(b) *Abbas Abundantinus*] Bro ardus, ſcilicet Amedei, Gebennenſis Comitis, Conſanguineus.

(c) *Pontio*] e familia Faucigniaca, quippe qui Rodolphi Domini de Focigny filius erat, & *Ardutii* Genevenſis Epiſcopi frater, non autem Patruus, ut quidam exiſtimarunt; *Pontius* ille ex Abbate Sixenſi Abbas Abundantinus factus eſt circa annum MCLXX. Vir, ut natalibus, ſic morum ſanctimonia & operibus clarus.

idoneum; in obedientiis quoque & grangiis Abundantiæ quando devenerit, paterne ſuſcipiatur & pro poſſibilitate procuretur, quod ſi ille idem *Abbas de Six* contumax vel inutilis (quod Deus avertat) inventus fuerit, poſt ſecundam vel tertiam Capituli Abundantiæ commonitionem, *ſi rebellis* extiterit, *ita eum Abbas Abundantiæ deponat*, ſicut ex benignitate ſublimaverat; placuit quoque, ut ſi quis fidelium quilibet ſupradictarum Eccleſiarum ſe vel ſua reddiderit, atque in eleemoſyna & beneficio aliquid contulerit, hoc altera deinceps accipere, ſine illius, cui collatum fuerat, aſſenſu minime præſumat. *Anno ab Incarnat. Domini MCXLIII. compoſita fuerunt hæc unitatis fœdera, quando in Abbatiam ſublimata eſt Sixenſis Eccleſia.*

XXX.

Donatio Otthonis Guilelmi Comitis, Monaſterio S. Benigni Fructuarienſis.

Ex Archivo ejusdem Monaſterii.

1019. FRagilitas humanæ conditionis, quemque fidelem commonet, ut ſibi in futurum proſpiciat, ne forte, dum non potuerit & voluerit, detrimentum ſui pariatur; quandoquidem tranſitoria, & quam celerrime labentia bene diſpenſat, qui pro remedio animæ ſuæ, ex his aliquando locis Sanctorum divinis cultibus mancipata contulerit, quatenus in præſenti vita ad augmentum virtutum proficiat, & poſt ad capeſſenda cœleſtia, depoſitis corruptibilibus indumentis, conſcendat. Hac ego Comes OTTHO,(a) cognomento WILHELMUS, conſideratione provocatus, quidquid mihi ſecundum Parentum ſucceſſionem, ſeu donationis traditionem, ſeu carthalem conſcriptionem jus proprietatis contingere decernitur, infra *Alpes Pœninarum* & flumen *Padum*, & flumen *Duriæ Bautiæ*,(b) quod

(a) *Comes Ottho*] de quo ſupra cap. 97.

(b) *Duria Bautia*] vulgo Doire la Balte, fluvius Pedemontis.

quod juxta urbem *Evoreia* (c) currit, trado & dono pro redemptione animæ meæ & Uxoris, & filiorum & filiarum, ſeu parentum meorum, Monaſterio, quod dicitur *Fructuarium*, conſtructum in honore ſanctæ Dei Genitricis Mariæ, ſanctorum Martyrum Benigni atque Tyburtii, ad victualium Monachorum, ibi Deo militantium. Do ergo eis, quidquid infra ſcriptum terminum concluditur: videlicet curtem *Orgis*. Item villam quæ dicitur ad *S. Georgium*, cum omnibus appenditiis ſuis. Item *Caucele* & *Macuniacum*, & *Cicumum*, & *Luſiniacum*, & *Curtem Regis*, & *Sylvam*, quæ dicitur *Fulicia*, & fluvium *Orcum*, cum omnibus irriguis ſuis, & Caſtellis ſuper eum poſitis. *S. Feletum* & *Caprarium*, & villam *Vigiſulſum* cum ſylva *Gerulſia*, in qua & Monaſterium ſitum eſt, cum omnibus pertinentiis eorum. Villas quoque *Narſetum* & *Leuvroſum* cum ſylvis, *Bedokdum* & *Torſa*, & *Campiluſſia*, & omnibus appenditiis eorum. Vallem etiam, quæ *Clivus* dicitur, cum Caſtellis & pertinentiis ſuis; medietatem etiam villæ quæ *Clavaſium* (d) dicitur, cum Caſtello *Caſtaneo* ultra Padum, & cæteris omnibus atque appenditiis eorum, & cum fluvio *Amalonæ* & irriguis ejus, & cum omnibus, quæ intra ſæpe ſcriptum terminum concluduntur. Hanc autem donationem meam ita ſtabilem eſſe conſtituto, ut nullus hæredum Succeſſorumque meorum aut Parentum, ſive quælibet oppoſita perſona, poſſit merito calumniam inferre, aut contra cauſari. Si quis autem temerario eam auſu infringere tentaverit, iram Dei omnipotentis incurrat, & quod repetit, vindicare nequeat. Sed præſens donatio omni tempore firma ſtabiliſque permaneat, multis nobilibuſque *teſtibus* roborata. Ottho Wilelmus Comes, Burcardus, Giſſebertus Vicecomes Vetuli Capri, Bernardus Ugo, Radaldus, Rodolfus, Bertinus.

Acta

(c) *Evoreia*] corrupte, a verbo Eporedia. Yvree.

(d) *Clavaſium*] Chivas, Oppidum Pedemontii non ignobile & munitiſſimum.

Acta ſunt hæc Burgundiæ Villa, quæ *Portus dicitur*, *anno Incarnat. Dominicæ* MXIX. *Indict. II.* imperante *Henrico Auguſto. V. Kal. Novembris.* Ego *Fulchradus* Notarius recognovi.

XXXI.

Bulla aurea Caroli IV. Imperat. in gratiam Archiepiſcopi Ebredunenſis.

Ex Cartulario Eccleſiæ Ebredunenſis.

In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, feliciter, Amen.

1350. KAROLUS, *divina favente clementia Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, & Bohemiæ Rex*, ad perpetuam rei memoriam. Inter glorioſas reipublicæ curas, quibus Imperialis Eminentia pro ſuorum quiete fidelium aſſiduè ſe dignatur exponere; inter illa ſollicitudinum Imperialium quotidiana ſtudia, quibus noſter animus frequenter diſtrahitur, illa Nobis eſt cura præcipua, ad illum ſedulum deſtinamus affectum, qualiter ſanctam Matrem noſtram revereamur eccleſiam, & dignis piæ devotionis favoribus complectamur. Hoc autem tunc Nos exequi rite perpendimus, dum ſingularum quidem Eccleſiarum & Eccleſiaſticarum perſonarum libertates & jura intacta ſervamus & liberalibus Imperialis Magnificentiæ gratiis gratioſius adaugemus. Hinc etenim & Regem ſupremum, per quem *Regnum nobis* & *Imperium orbis* eſt creditum, devote recognoſcimus, & ſacri Imperii gloriam virtutum operibus præcipuo quodam reddimus præconio glorioſam. Sane pro parte venerabilis *Guilelmi, Ebredunenſis* Archiepiſcopi noſtri, & *ſacri Imperii Romani Triſcamerarii*, Principis, & devoti dilecti, Majeſtati noſtræ fuit humiliter ſupplicatum, ut, *cum ſua Ebredunenſis Eccleſia Nobis & ſacro Imperio in temporalibus ſit ſubjecta*, (a) *& ab omnibus temporalibus Dominis per claræ memoriæ quondam Imperatorum ac Regum, Prædeceſ-*

(a) *Subjecta*] Regni Arelatenſis ſive *Burgundiæ* ratione, quod ſibi Imperatores olim vindicabant. Ut jam diximus ſupra *cap. 47.*

ceſſorum noſtrorum, literas, privilegia, & gratioſa indulta ſit in totum exempta, cumque temporalia, ſeu tota *temporalitas* ejusdem Eccleſiæ reputetur, & ſit in veritate, inſigni ſacri Romani Imperii Principatus exemptionem & Principatum hujusmodi innovare, approbare & de novo conferre & concedere de Imperiali Majeſtate dignaremur. Nos igitur ipſius Archiepiſcopi juſtis & devotis precibus tanto dignati ſumus benignius favorabilem adhibere conſenſum, quanto evidentius ipſius merita, fides eximia & intemerata ſinceræ devotionis conſtantia, quibus *ipſe Celſitudinem noſtram & ſacrum Imperium* jugi ſtudio veneratur, uberius promereri noſcuntur. Decernimus, & hoc præſenti Imperiali edicto perpetuis temporibus ex ſcientia certa ſtatuimus, de plenitudine imperatoriæ poteſtatis, *ut prædictus* ARCHIEPISCOPUS EBREDUNENSIS, *ſuique ſucceſſores, perpetuo Archiepiſcopi Ebredunenſes reputentur, cenſeantur, & ſint realiter, ſicut ſunt, in veritate noſtri & S. R. I.* PRINCIPES SPECIALES, Temporalitas quoque eorum, ſeu quævis temporalia ejusdem Eccleſiæ reputentur, cenſeantur, & ſicut realiter prout ſunt & fuerunt hactenus, ſpecialis noſtri & ipſius *Imperii Principatus.* Nos quidem Archiepiſcopum Ebredunenſem, qui nunc eſt, & qui pro tempore fuerit, nec non prædictam Eccleſiam utpote inſignes Principem & Principatum noſtrum, & & ſacri Imperii *ab univerſis & ſingulis Dominis temporalibus, cujuscunque præeminentiæ, dignitatis, conditionis aut ſtatus exiſtant, & eorum Jurisdictione, poteſtate ſeu diſtinctione ex certa ſcientia, authoritate imperiali liberavimus;* & in omnibus ac per omnia liberamus, exemptosque liberos cenſeri & eſſe volumus, & in nullo prorſus haberi obnoxios, aut adſtrictos hujusmodi Salvagardiæ & protectionis noſtræ *Imperiales Executores & conſervatores* perpetuo Venerabiles, *Taurinenſem, Dignenſem & Carpentoratenſem Epiſcopos, Principes & devotos noſtros dilectos,* & eorum quemlibet dicto Archiepiſcopo damus, & authori-

tate qua ſupra, cum plena poteſtate transgreſſores, invaſores & turbatores dictorum Archiepiſcopi & Eccleſiæ, ſuorumque hominum bonorum & libertatum, poſſeſſionum, & jurium, per ſe, vel per alium, ſeu alios puniendi & coercendi, pœnas exigendi atque levandi, aliaque omnia & ſingula faciendi & exequendi, quæ in tabulis ſunt, vel fuerunt opportuna; tenore præſentium deputamus. Volentes inſuper, & eadem authoritate, de Imperialis etiam poteſtatis plenitudine ſtatuentes, *ut in Terris & Juriſdictionibus, quæ ab Ebredunenſi Eccleſia a quibuscumque intra ſacrum tenentur; & recognoſcunt Imperium ad Archiepiſcopum prædictum recurſum prompte fuerit, tanquam ad ſuperiores proprios per viam appellationis & alia legitima juris remedia*, liber poſſit haberi curſus; & Archiepiſcopus ipſe, qui eſt, & pro tempore fuerit, pro defenſione Eccleſiæ ſuæ, ac bonorum, poſſeſſionum, jurium & libertatum earundem, ac ipſorum recuperatione, ex juſtis & legitimis cauſis, quotiens opus fuerit, bellum *indicere & proſequi*, ac in toto Imperio arma portare valeat, atque poſſit, & jurisdictionem temporalem, ubicumque ipſum & dictam Ebredunenſem Eccleſiam illam conſtat habere, ac etiam juſto titulo in poſterum obtinebit, criminaliter, & cuilibet libere exequi, per ſe vel alium, ſeu alios, quos ad hæc duxerit ſtatuendos, contradictione vel impedimento cujuspiam non obſtante. Statuimus inſuper & ſancimus, ut Archiepiſcopus Ebredunenſis Eccleſiæ non poſſit, *nec debeat, coram quovis alio, quam coram Nobis ſeu ſucceſſoribus noſtris Imperatoribus & Regibus Romanorum, ſeu imperiali eorum judicio trahi, vel conveniri, vel quomodolibet judicari.* Quidquid contra hoc factum fuerit, eo ipſo carere viribus decernentes. Nulli ergo omnino hominum &c. *Signum Serenisſimi Principis & Domini,* CAROLI IV. *Romanorum Imperatoris invictiſſimi, & glorioſiſſimi Bohemiæ Regis. Teſtes* hujus rei ſunt: Venerabilis *Armeſtus,* Archiepiſcopus *Pragenſis; Joannes,* Glomacenſis, *Theodoricus* Mindenſis Epiſcopi,

ſcopi; Illuſtres *Barneym* Stetinenſis, *Henricus* Magnopolenſis, Botro Fallerem, *Bergenſis,* Joannes, *Tyeſtini* Duces; nec non ſpectabiles Burchardus, *Burgravius Magdeburgenſis, Magiſter Curiæ Imperialis,* Albertus de *Archalt,* & Jacobus de *Furſtemberg* Comites, & alii quam plures, præſentium ſub *Imperiali noſtræ Majeſtatis ſigillo teſtimonio* literarum. Datum *Pragæ anno Domini* 1350. *Indict.* 7. 14. *Kal. Martii, Regnorum noſtrorum* anno II. Imperii vero II.

XXXII.

Donatio Leotaldi, Comitis Matiſconenſis, Eccleſiæ Cluniaci.

Ex Cartulario Monaſterii Cluniacenſis.

EGo LEOTALDUS, *Comes Matiſconenſis,* conſiderans multitudinem peccatorum meorum, quæ in hac miſerabili vita vivendo contraxi, ſimulque tremendi Judicis examen expaveſcens, qui peccata hominum nequaquam impunita dimittit. Decrevi cum conſilio Uxoris meæ & optimatum meorum, de poſſeſſione mea, quæ mihi a Domino conceſſa eſt, aliquid donare pro ſalute animæ meæ & filii mei *Alberici,* Matriſque meæ *Ecolanæ,* omniumque Anteceſſorum meorum, eidem omnipotenti Domino & Cluniacenſi Cœnobio, quod eſt conſecratum in honore B. B. Apoſtolorum Petri & Pauli, cui Dominus Abbas Aymardus præeſt, pariter ac prodeſſe videtur; Manſum ſcilicet de Maſſionerio, quod ſitum eſt in *agro Fuſciacenſi,* juxta fluvium *Sagonæ,* cum tota ſibi adjacente terra, culta & inculta, ſylvis, paſcuis, piſcariis, aquis, molendinis, & cum uno ſervo nomine Gonterio, filiisque ejus ac filiabus, & omnibus in antea acquirendis. Terminatur autem terra, ab oriente fluvio *Sagonæ,* ab Auſtro terra *Sanctæ Mariæ,* & in reclavo rivo, nomine *Merveza, terra de Capella* & de ipſo *Maſſionerio* usque ad terminum publicum, ab Aquilone terra *Francorum.* Si quis itaque hanc meæ devotionis, 954.

 elec-

eleemoſynam (quod abſit) auſus fuerit contradicere, ſeu invadere vel calumniari, divini anathematis excommunicatione feriatur, ni cito culpam ſuam recognoſcendo, pœnituerit; & inſuper propterea quam injecit, libram auri componat, ac deinceps ab invaſione quieſcat. *Actum publice apud Matiſconem.* Signum *Leotaldi* Comitis, & Uxoris ejus *Richildis*. S. Alberici filii eorum, qui hoc donum laudando firmaverunt, & ſcribi inferius. S. Sigaldi, S. Wicardi, S. Roclerii. *Data per manum Bernardi, VIII. Idus Majas,* regnante LOTHARIO, *Francorum Rege.* (a)

XXXIII.

Confirmatio Privilegiorum Abbatiæ S. Benigni Fructuarienſis.

Ex Archivo ejuſdem Monaſterii.

1070. ALEXANDER (a) Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Venerabili ALBERTO, (b) Abbati Monaſterii ſanctæ Mariæ, ſiti in *Ipporegienſi* loco, qui dicitur *Fructuaria*, ſuiſque ſucceſſoribus regulariter promovendis in perpetuum, ſalutem. Ex conſideratione hujus ſanctæ Apoſtolicæ Sedis, cui Deo authore, licet indigni meritis, præſidemus, cogimur univerſis Eccleſiis providere, præſertim iis locis, qui pia religione pollere noſcuntur. Multo enim Domino noſtro Jeſu Chriſto ſollicitudinis noſtræ curam placere confidimus, ſi ſervos ejus, ut ſibi ſecurius militare valeant, a turbine ſecularium perturbationum ſcuto noſtræ protectionis defendimus. Quapropter, fili chariſſime, cum interventu dilectiſſimæ filiæ noſtræ

(a) *Regnante Lothario, Francorum Rege*] id eſt, anno Chriſti 954. quo vivebat adhuc *Aymardus* Cluniacenſis Abbas, & regnare cœpit Lotharius.

(a) *Alexander*] Papa II.

(b) *Alberto*] etiam ejus nominis II. cujus geſta vide in *Chronol Hiſt. Pedemont. Cap. 27.* ubi de hac confirmatione fit ſermo.

Digitized by Google

noſtræ, AGNETIS *Imperatricis*, tum dilecti ac Venerabilis ANNONIS, *Colonienſis Archiepiſcopi*, rogatione, tuis etiam precibus per nuntios tuos inclinati, jam dictum Monaſterium, per ſtudium ſervorum Dei conſtructum, absque aliqua ſeculari potentia ad hoc quod eſſe videtur, pervenit, quodque hactenus ſumma devotione ad hanc ſanctam ædem reſpexit, ſub tutela Apoſtolicæ defenſionis ſuſcipimus & confirmamus; & quidquid recte habet, vel deinceps eſt acquiſiturus in mobilibus, imo & immobilibus, ita ut non liceat cuiquam magnæ vel parvæ perſonæ ſervos Dei, ibi vel in Cellis ſuis degentes, inquietare, vel de ſubſtantia ſua imminuere, nec quicquam de ejus jure in alium transferre, vel ſeculare placitum facere. Specialiter autem *Ipporegienſi* Epiſcopo, ne ibi Hoſpitium faciat, Apoſtolica authoritate interdicimus, ſalvo omnibus Eccleſiæ Romanæ privilegio. Si quis autem temerario auſu hujus noſtræ ſanctionis privilegium in totum, vel in partem infregerit, niſi digna ſatisfactione emendaverit, norit ſe Apoſtolicæ excommunicationis & anathematis vinculo innodandum. At vero, qui pro intuitu cuſtos & obſervator extiterit, perpetuæ benedictionis abundantia repleatur. *Datum Laterani* anno Domini M LXX.

XXXIV.

Sententia Delegatorum Papæ, ſuper diſſidio, vertente inter Epiſcopum Genevenſem & Monachos Cluniaci, Nantuaci, & S. Eugendi.

Ex Cartulario Monaſterii Cluniacenſis.

In nomine Domini noſtri JEſu Chriſti.

ANno Incarnationis Dominicæ M C LXXXXVIII. Ego RAINALDUS, (a) primæ Lugdunenſis Eccleſiæ Mi- 1198.

 niſter

(a) *Rainaldus*] Comitis Foreſii filius, quædam ſupra jam diximus.

niſter humilis, *Stephanus*, ejusdem Eccleſiæ Decanus, & *Joſſerannus* Abbas Inſulæ-Barbaræ cognitores cauſæ, ex *delegatione* ſummi Pontificis, quæ inter Dominum *Nantuellinum* (b) Gebennenſem Epiſcopum ex una parte, & *Cluniaci* & *S. Eugendi* Monachos ex parte alia, vertebatur; ex eo quod idem Epiſcopus in quibusdam Capellis, quas eorum Monaſteria in Gebennenſi Epiſcopatu habent, ſine aſſenſu & præſentatione ipſorum inſtituit *Capellanos*, cum ad præſcripta Monaſteria de jure communi præſentationem pertinere, iidem Monachi conſtanter affirmarent. Viſis & auditis allegationibus utriusque partis, & atteſtationibus cum ſummo labore & ſollicitudine, & virorum prudentum habito conſilio: Electionem & præſentationem Capellanorum in his Eccleſiis, eisdem Monachis adjudicavimus, ſcilicet Monaſterio S. Eugendi in Eccleſiis *de Seysſiaco* & *Neviduno*, & Epiſcopum Gebennenſem, ad reſtitutionem *gageriæ*, quam habebat in *Venna* ab eadem Eccleſia, IX. libris prius ei ſolutis, condemnamus, Monaſterio Nantuaci in Eccleſiis *Rumilliaci*, (c) Ingiaci, Gigniaci, Taluſſiaci, Ameyſiaci, Viriaci parvi, Chavornay', Paſſini, Romagniaci, Breno, Abbesgamenti, Corcelles, Chandore, Chantré, Serrieres, Arlos, Dorches, Villæ, Billiaci & de Chanay, electionem & præſentationem *adjudicamus*, Monaſterio S. Victoris in Eccleſia de Chillonay, & ad reſtituendam Gageriam, quam eadem Eccleſia a Comite habebat, præfatum Epiſcopum condemnamus, Monaſterio de Paterniaco in Eccleſia de Tela, Monaſterio de Condamina in Eccleſia de Thiés *electionem & præſentationem* ſimiliter adjudicamus; Epiſcopo vero Gebennenſi *electionem & præſentationem* Capellarum in iis Eccleſiis

(b) *Nantuellinum*] ſive Nantelmum, qui ex Priore Vallonis, Carthuſienſis Ordinis, ad Epiſcopatum Gebennenſem evectus eſt; obiit Idib. Febr. 1205.

(c) *Rumilliaci*] vulgo Rumilli, oppidum Ducatus Gebennenſii.

cleſiis adjudicamus, in octo Eccleſiis de Boges, ſcilicet Sanctæ Radegundis, Seclæ, Jarſiaci, Caſtellaris, Monte Capella de Certy, Allioni & in Eccleſiis de Fringe, Chuella, Chomonteti, Caſtellionis, Salanchiæ & Sanctæ Mariæ de Ripa.

XXXV.

Confirmatio FRIDERICI ÆNOBARBI *Imperatoris, Privilegiorum Eccleſiæ Genevenſis.*

Ex Veteri Cod. MS. rer. Genevenſium.

In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.

FRIDERICUS, *divina favente clementia Romanorum Rex* 1153.
Auguſtus. Quamvis omni petitioni, quæ ad uſum hominum, & ad utilitatem ſpectant Eccleſiarum, ex culmine Regiæ dignitatis dignum ducamus acquieſcere, præcipue tamen obſecundare proponimus, quibus in adverſis, ſicut & propriis, idem Nobiscum eſt animus. Igitur omnium, tam futurorum, quam præſentium Chriſti Regnique fidelium, in perpetuum ſolers noverit induſtria, quod venientem *ad Curiam noſtram* dilectum noſtrum ARDUCIUM, Venerabilem Gebennenſem Epiſcopum, ſicut tantum *Principem* (a) noſtrum decuit, benigne recepimus, & in iis, quæ ad *Domum* Regiæ Majeſtatis ſpectabant, *Imperiali ſceptro* eum promovimus; deinde piæ petitioni ipſius clementer annuentes, quæcumque bona

(a) *Principem*] Epiſcopus *Genevenſis*, ſicut & *Lauſanenſis*, *Maurianenſis*, *Auguſtenſis* & *Bellicenſis*, ſacri Romani Imperii Princeps dicitur, qui omnes olim ad Imperialia Comitia convocabantur. Ut & Archiepiſcopus *Tarentaſienſis*, quæ dignitas eis a FRIDERICO ÆNOBARBO, *Sabaudici* nominis hoſte infenſiſſimo, variis temporibus conceſſa fuit, ut Sabaudorum Principum, in quorum Dominio hi Prælati erant, potentiam aliquo modo imminueret; quod irato Imperatori non ſucceſſit, *Prælatis ſiquidem illis nudum Principis nomen remanſit; authoritas vero penes Sabaudum.*

bona vel poſſeſſiones Eccleſiæ ſuæ Gebenn. poſſederit, aut inpræſentiarum poſſidet, vel in futurum largitione Regia ſeu oblatione aliorum fidelium, poterit adipiſci, Regia authoritate eisdem Eccleſiæ uſibus, in perpetuum profuturis, confirmamus, & præſentis privilegii ſcripto, tam præfato Epiſcopo, quam ſucceſſoribus corroboramus; ſtatuentes, ut nulla magna vel parva perſona hanc noſtram confirmationem infringere præſumat. Sed ſi quis (quod abſit) contumacia ductus, huic noſtræ corroborationis paginæ temere contraire tentaverit, *Regali banno* ſubjaceat, & decem libras auri in compoſitione perſolvat, medietatem Cameræ noſtræ, & medietatem jam dictæ Eccleſiæ. Et ut hæc omnia omnino in poſterum intemerata & inconcuſſa permaneant, præſentis paginæ, Sigilli noſtri impreſſione munitæ, *teſtes* ſubternotari fecimus, quorum nomina ſunt hæc: Humbertus, *Biſuntinus Archiepiſcopus;* Arduinus, *Baſilienſis Epiſcopus;* Gaufredus, *Spirenſis Epiſcopus;* Welſo, *Dux Spoleti;* Matthæus, *Dux Lotharingiæ;* Fridericus, *Dux Sueviæ;* H. Magnus, *Marchio de Baden;* Nugo, *Comes de Alſas;* Leodericus, *Comes de Montebelligardo*, & alii complures. Ego HETOLFUS, *Cancellarius*, Vice-ARNOLDI, *Moguntinenſis* Archepiſcopi & Archicancellarii, recognovi. Datum *Spiræ*, XVI. Kal. *Febr. anno Dominicæ Incarnat. MCLIII.* regnante FRIDERICO, *Romanorum Rege glorioſiſſimo, anno vero Regni ejus II.*

XXXVI.

Carta Humberti, Biſuntinenſis Archiepiſcopi, de Balmenſi Cœnobio.

Ex Cartulario Monaſterii Cluniacenſis.

1149. HUMBERTUS, *Dei gratia Biſuntinenſis Archiepiſcopus*, PETRO, *venerabili Abbati Cluniacenſi*, ejusque ſucceſſoribus regulariter ſubſtituendis in perpetuum. Ex injuncto Nobis a Domino Pontificalis dignitatis officio admonemur,

nemur, Eccleſiarum paci & utilitati, quantum poſſumus, Domino auxiliante, providere, quod utique nunc efficaciter implere ſufficimus, ſi majorum noſtrorum, & maxime Romanorum Pontificum veſtigiis inhæremus. Hinc igitur quod a Domino Papa EUGENIO (a) *de Balmenſi Eccleſia* & ejus pertinentiis ſtatutum eſt, *quod videlicet propter ſcelus, quod Balmenſes Monachi, ad contemptum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, in Magiſtrum* OTBERTUM *auſu ſacrilego commiſerunt, & propter religionis defectum*, quæ ibi maxime deperierat, loco ipſi nomen & dignitatem Abbatiæ in perpetuum abſtulit, vobisque, & per vos Cluniacenſi Eccleſiæ perpetuis temporibus in *Prioratum* ordinandum dedit, ratum & inconcuſſum manere volumus. Donamus itaque præfatam Eccleſiam *Balmenſem*, cum omnibus appenditiis ſuis libere & quiete, quemadmodum a Domino Papa factum eſt, & vobis & Eccleſiæ Cluniacenſi perpetuo poſſidendam concedimus; *ſalvo jure & reverentia Biſuntinæ Eccleſiæ, & noſtra & ſucceſſorum noſtrorum juſtitia, tam in ſpiritualibus quam temporalibus. Actum Biſuntii, anno ab Incarnat. Domini* MCXLIX. Indict. XI. *in præſentia* GUIDONIS *Presbyteri Cardinalis, tit. Sanctorum Laurentii & Damaſi.* Ego HUMBERTUS, Biſuntinenſis Archiepiſcopus. Ego Guilelmus de Arguel. Ego Witelmus de Vallibus. Ego Petrus de S. Mauritio. Teſtes hujus rei ſunt: Aymo, Prior Sanctæ Mariæ Biſuntii; Hugo, Prior de Foya; Petrus Miles, Dominus de Leya; Guilelmus, Miles de Salins.

XXXVII.

Donatio Ferrandi, Caſtellæ Regis, Eccleſiæ Cluniacenſi.

Ex Cartulario Monaſterii Cluniacenſis.

QUoniam dignoſcitur, ut, per quem Reges regnant, in eo regnare videantur religioſos viros, pie & miſericorditer con- 1256.

(a) *Eugenio*] Cent. I. c. 81. connexitatem habet cum hoc capite.

confovendo religioſa loca, donationibus & beneficiis extollendo. Eapropter *Nos* FERRANDUS, (a) *Dei gratia Rex Caſtellæ & Toleti*, una cum Domina BERENGARIA (b) Regina, genitrice ſua, terreſtre regnum tranſitorium attendentes, & cœleſtis participes effici cupientes, ad cujus obtentum, de his, quæ tranſitorie poſſidemus, pauperes Chriſti amicos Nobis & favorabiles facere deſiderantes; pro remedio *Illuſtriſſimorum Parentum noſtrorum, Regis* ADELFONSI (c) & Reginæ ALIENORIS, quibus in præſenti regno dignoſcimur ſuccedere, in cœlis divina gratia aſſociari mereamur; nec non ſalute corporis & animæ noſtræ & genitricis noſtræ, facimus cartam donationis, conceſſionis & ſtabilitatis Deo & Monaſterio Cluniacenſi, quod eſt conſtructum in proprio *allodio* prædeceſſoris noſtri, *Aquitaniæ Ducis*, WILELMI PII, & vobis Domino *Geraldo*, inſtanti Abbati, & veſtris ſucceſſoribus, totique Monachorum collegio, ibidem Deo ſervientium, præſenti & futuro perenniter valituram. Donamus itaque, & perpetuo aſſignamus vice annua colligendos in redditibus *ſalinarum* noſtrarum *de Accentia* CCC. aureos, de quibus vobis & quibuscunque ad Capitulum convenientibus, una tantum dierum generalis Capituli fiat præſtatio competenter. Mandantes, & immutabiliter ſtatuentes, ut, quicunque deinceps redditus Salinarum de Nobis tenuerit, dictos aureos teneatur vobis perſolvere certis temporibus annuatim. Volumus & ſtabilimus, quod hoc factum noſtrum, *Baronum* noſtrorum conſilio & approbatione roboratum & inconcusſum maneat & fideliter obſervetur. Si quis vero ex noſtro vel aliquo genere, auſu temerario noſtræ donationis & conceſſio-

(a) *Ferrandus*] Hiſtorici Hiſpani eum *Ferdinandum* vocant, ejus nominis *tertium*.

(b) *Berengaria*] Alfonſi VIII. Caſtellæ Regis filia.

(c) *Adelfonſi*] Legionis Regis.

ceſſionis privilegium infringere, vel diminuere tentaverit, omnipotentis Dei indignationem incurrat, æternis cruciatibus mancipetur, & ad terrorem illorum, qui temporalia ſupplicia timent potius, quam æternam pœnam, injungimus temporalem, vel pro violatione ſeu deminutione privilegii, quinque millia aureorum Regiæ parti perſolvere teneatur, & damnum, quod vobis vel vocem veſtram pulſanti, ſuper hoc intulerit, in duplum reſtituat & emendet. *Facta carta apud Burgos XIII. die menſis Januarii,* aëra MCCLVI. anno regni noſtri I. & Ego *Rex F.* regnans in *Caſtella & Toleto* hanc cartam, quam fieri juſſi, manu propria confirmo & roboro. RODERICUS. (d) *Toletanenſis Sedis Archiepiſcopus, Hiſpaniarum Primas,* confirmat, Tellius *Palentinus* (e) Epiſcopus, Geraldus *Secobienſis* Epiſcopus, Dominus *Abulenſis* (f) Epiſcopus, Dominicus *Placentinus* (g) Epiſcopus, *Joannes* Domini Regis *Cancellarius,* Abbas S. Auderii, confirmant, & *Dominicus de Soria* juſſu Cancellarii ſcripſit.

XXXVIII.

Privilegium, a Domino Anthonis, Ordini Carthuſienſi conceſſum.

Ex Veteri MS. Codice.

NOs HUGO *de Gebennis,* (a) Miles, Dominus de Anthone & de Varey, dilectis ſuis univerſis *Baillivis,* Judicibus, 1363.

Hh 2 Caſtel-

(d) *Rodericus*] qui hujus Ferrandi Regis geſtorum Hiſtoriam ſcripſit.

(e) *Palentinus*] *Palence* vulgo, in Caſtellæ Regno ſub Archiepiſcopatu.

(f) *Abulenſis*] *Avila,* ſub Archiepiſcopatu Compoſtellano.

(g) *Placentinus*] Plaiſance.

(a) *Hugo de Gebennis*] Amedei, Comitis Gebennenſis, & Agnetis Cabilonenſis filius, qui primis nuptiis Iſabellæ de Anthone Anthonis, Perogiarum & Gordani Dominæ conjunctus fuit.

Caſtellanis, Miſtralibus, Pedagiatoribus, Gabellatoribus, & aliis officiariis noſtris quibuscunque, ad quos præſentes literæ pervenerint, vel eorum locatenentibus, ſalutem & dilectionem ſinceram. Cum bonæ memoriæ *Guichardus,* (b) quondam *Dominus de Anthone,* dudum conceſſerit de gratia ſpeciali & pro remedio animæ ſuæ, & animarum Anteceſſorum ſuorum, dilectis noſtris Viris Religioſis totius Ordinis Carthuſienſis, indulgendo eisdem, quod ipſi Religioſi, & eorum familiares & nuntii totius Ordinis Carthuſiæ, ut res eorundem & beſtiæ univerſæ per totam terram ſuam ſalvi & ſecuri pertranſeant, absque aliqua exactione pedagii. Nos igitur, prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærere volentes, dictas conceſſiones, libertates, privilegia & immunitates conceſſas, & conceſſa, ut prædicitur, pro Nobis & noſtris laudamus, approbamus & ratificamus, atque omnia alia de novo facimus prædictis Religioſis, unde vobis & veſtrum cuilibet in ſolidum tenore præſentium præcipiendo mandamus, quatenus prædictos Religioſos & eorum familiares res & bona ipſorum defendatis, cuſtodiatis & manuteneatis; Et quod Religioſi prædicti nec eorum familiares ullo modo Leydam & exactiones quascumque, vel etiam aliqua pedagia de ſuis propriis rebus ſolvere teneantur; Et quod eis pro tranſitu *ſtratæ* publicæ, vel viarum ſeu pontium, vel etiam pro ædificatione viarum vel pontium, ſi de novo fierent, aliquid exigatur, prava conſuetudine non obſtante, ſed liberi & libere eant & redeant, & bona eorum ducant & reducant, quocumque eis placuerit, prædeceſſorum noſtrorum & noſtra liberalitate ſpeciali præſcripta congaudentes, prout hæc in præſentibus literis plenius con-

(b) *Guichardus*] immunitatem illam pedagii (de qua hic ſermo) conceſſit Ordini Carthuſienſi anno 1200. de conſenſu Guichardi de Anthone ejus filii, ſub ſigillo Raynaudi, Archiepiſcopi Lugdunenſis.

continetur. Inſuper volumus, præcipimus & mandamus, ut ſupra, quatenus prædictam conceſſionem per Nos factam, & omnia, univerſa, & ſingula prædicta inviolabiliter obſervetis, & nihil in contrarium faciatis, nec fieri permittatis, & ad ſupradicta omnia facienda & implenda alter veſtrum alterum non expectet. In quorum omnium robur & teſtimonium Sigillum præſentibus litteris juſſimus apponendum. Datum ultima die Maji, anno Domini MCCCLIII.

XXXIX.

Privilegium HENRICI *Imperatoris, Monaſterio Sancti Benigni Fructuarienſis, ſtylo ſemi-Barbaro.*

Ex Archivo ejusdem Abbatiæ.

In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.

HENRICUS, *Dei gratia Romanorum Imperator Auguſtus.* 1014. Sicut pro ædificatis locis Sanctorum, ne a ſtatuto ſuo deficiant, noſtrum eſt juvare. Ita pro ædificandis quærentium preces benigne debemus recipere, & ut ſtabilitatis effectum capiant, pia ſollicitudine procurare. Hujus rei gratia, *D. Abbas* WILELMUS (a) noſtram clementiam adiit, petens quoddam Monaſterium noſtra authoritate corroborari, ſitum in loco, qui dicitur Fructuaria, ex propria hæreditate fratrum ejus, Gotfredi, Nitardi atque Roberti, in honore Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, Sanctique Benigni Martyris conſtructum, velut in *Carta* (b) judicatus a *Gontardo* Diacono, edita continetur, cujus precibus ſuſceptis prius regali præcepto confirmavimus. Dehinc ut ſtabilius permaneat, imperiali authoritate corroboramus, ſub noſtra defenſione, ea ratione recepi-

Hh 3 mus,

(a) *Abbas Wilelmus*] ſcilicet Sancti *Benigni Divionenſis*, qui Monaſterii *Sancti Benigni* Fructuarienſis Fundator exſtitit, uti jam ſupra diximus.

(b) *Carta*] quam retulit, nunquam ſatis laudandus Dominus *Epiſcopus Salutiarum. Chronic. Hiſt. Ped. c.* 77.

Digitized by Google

mus, ut nullus Dux, Marchio, Comes, magna aut parva perſona præfatum monaſterium inquietare, aut de ejus rebus in his locis ſubſcriptus aliquid audeat ſubtrahere, a foſſa *Balbeleſco*, via, quæ dicitur ſumari per transverſum *Gerolſia*, & per *Cabiaria* usque flumen *Orgi*, & usque in *Bedoledo*, & in *Amalone*, usque in *Lama vetula* de una parte, usque in *Todullo*, & fluvius qui dicitur *Padus*, in loco qui dicitur *Laboraria*, de aliqua parte foſſa *Balboteſco*, quæ dicitur via Sumari per transverſum *Amalonem*, & per transverſum *Valda* usque *Varina* ſuperiorem, & usque vicum *Mancilionem*, & in prata *Remoragia*, & usque in *Rivaria*, & usque fluvium *Padum*, & de alia ripa *Padi* usque in *Aſpra*, quod eſt in fine *Gazingaria*, & in fine *Teſcalia*, & in fine *Laberariæ*; infra iſtos fines eſt *Vulpianum*, cum Caſtello & Capella; eſt pratum *Borſone*, & pratum *Rigio & Fornallo*, & *Vualda de Vulpiano*, usque ad finem ſuperius dictum; In *Canavaſio* Urbianum cum *Caſtello & Capella*, & ſervis & ancillis ultra Padum in *Gazingo*, cum aliis rebus ſuis pertinentiis. Cum his autem confirmamus per hanc præceptalem conſtitutionem ſupra dicto Cœnobio ſemper habenda omnia, quæ habet, vel quæ habere debet in his ſubterſcriptis Epiſcopatibus, atque Comitatibus *Iporienſi*, *Taurinenſi*, *Vercellenſi*, *Novarienſi*, *Mediolanenſi*, *Ticinenſi*, *Aſtenſi*, *Aquenſi*, *Albenſi*, *Abingaunenſi*, *Saonenſi & Tardonenſi*; habeat & teneat quieto jure *Caſtellum Longobardorum* cum omnibus ſuis pertinentiis, & omnia prædia illa & cortes, quas dedit *Ottho*, qui & *Wilelmius* Comes, filius *Adalberti*, Nepos *Berengarii* Regis, ipſo loco infra fines Longobardiæ, ex hæreditate parentum, & propinquorum ſuorum. Statuimus etiam per hanc noſtri præcepti firmitatem, in perpetuum habendas omnes Terras illas, quas habere debet jam ſæpe nominatum Monaſterium ex hæreditate *Roberti*, (c) quondam Viri nobiliſſimi, qui fuit genitor jam dicti Abbatis *Wilelmi*; ſimul & ex hæreditate

(c) *Roberti*] Wulpiani Comitis, qui Ardoini, Regis Italiæ, frater erat.

ditate *Eriberti*, filii *Gezonis* de *Stolezano*, inter omnes fines & pertinentias, *Morozo* cum caſis, Caſtris & Capellis ſimul, & quod habere debet, in *Miſuſca, Mantironi, Cylon, Serraloci,* & in Terra quæ dicitur *Varnera*, & in valle *Gravina*, & in terra grande, quæ fuit de *Varneda*; & in *Gratinaria*, & in *Rivole*, & in *Celle*, & in *Tupino*, & in *Monzena*, & in *Fabrica*, & in *Bredulo*, & in *Frarnello*, & in *Granaſco*, & in *Rocca-forte*, & in cluſa quæ dicitur *Flamulaſca*, & in *Racili*, & in *Laterole*, in *Gariſiva*, in *Caſiano*, & in aliis ſingulis locis infra Comitatum *Bredolenſem*, confirmamus, & præfato Monaſterio per hanc noſtram præceptalem paginam, omnem illam hæreditatem & poſſeſſiones, quæ ex paterno & materno jure debebantur *Otberto*, qui fuit filius *Gerardi* & *Nepos Otberti* Comitis, qui fecit hæredem ſuam ſanctam Eccleſiam *Fructuarienſem*, quando Pater ejus, & ipſe, reliquerunt mundum, dantes ſe, & omnia ſua Deo factis Monachis, *Cortes* ſcil. & Caſtella quæquæ poſita ſunt in Comitatibus *Aſtenſi, Aquenſi, Dionenſi, & Ebredonenſi*, & quæ fuerunt propria jam dicti *Otberti* Comitis, cujus filia fuit *Berta*, Uxor Girardi, quorum nomina notata in præſenti pagina ſunt: Videlicet *Bergomaſco, Bredunum, Montebarneſium, Colomberium, Caſtellum Aynaldi, Gorinam, Boſe, Lauris, Cadenano, Barbariſcum, Calix, Criclariola*, cum mancipiis utriusque ſexus, & cum omnibus aliis ſibi rite pertinentibus rebus, poſſideat quieto jure, & teneat jam dictus locus omnia, quæ ex hæreditate *Gotfredi* & *Nitardi* fratrum, qui factis Monachis habere debent, & in Corte, quæ dicitur *Caſale S. Evaſii*, ſimul & *montem rabioſum*, cum omnibus pertinentiis ſuis, quam ex parte *Girardi* habet, & omnia illa prædia, quæ dederunt *Manfredus* (d) Marchio, & *Berta* ejus Uxor, & fratres ejusdem *Manfredi*, id eſt, *Alricus* Epiſcopus, & *Oddo* Comes, & *Ardoinus* Conſobrinus eorum in *Matigo*, in *Scarnafixio* & in *Gazinga*, & in *Corte Regia*, & in *Taurino* Civitate, intus & foris, & ſi quid aliud inveniri poteſt

(d) *Manfredus Marchio*] Secuſienſis.

Digitized by Google

eſt in aliis locis, & fundis, & Cortibus, de terris offerſionis eorum; nec non & omnes terras illas, quas dederunt *Ugo* Clericus & Mater ejus, & fratres ejus *Anſelmi* Marchionis filii, & *Wilelmus*, & *Paprandus* fratres filii Marchionis *Oddonis*, id eſt, in *Orſinga*, in *Maleria*, & in *Tridino*, in *Cornale*, in *Corte Oriola*, & juxta mare in *Comitatu Saonenſi*, in loco & fundo *Celle* & *Terriſio*, & in *Inſula Regia*; & ſi quid aliud ubi inveniri poteſt de terra Offerſionis eorum, & ea, quæ dedit in *Marigo* quidam *Miles*, *Albericus* nomine, quando factus eſt Monachus, & terram quam fecit *Ademarius* cum Uxore ſua *Berta in Roſaſcho*, & ea quæ fecit *Ottho* de *Beſado* in *Paleſtro*. Conſtituimus quoque & ſtabilimus per hoc noſtræ confirmationis præceptum, ut Abbas prædicti Monaſterii liberam habeat poteſtatem tenendi & ordinandi cellas, quas jam habet ex dono miſericordiæ Dei, id eſt, *Cellam Aſtenſem*, Cellam *Nevigenſem*, Cellam in *Quaranta*, Cellam in *Cavalliaca*, Cellam in *Paderno*, & ſi quas alias Deus donare dignatus fuerit, cum omnibus pertinentiis earum, remota omnium hominum contradictione vel moleſtia. *Signum* Domini HENRICI, *Sereniſſimi Cæſaris*, *atque invictiſſimi Imperatoris Auguſti*. HENRICUS *Cancellarius*, *vice* EDUARDI *Epiſcopi Archicapellani* recognovit. *Datum anno Dominicæ Incarnat.* MXIV. Indict. XII. *Anno Domini* HENRICI *Imperatoris Auguſti Regis XII.*

X L.

Donatio Matildis, Comitiſſæ Nivernenſis, Eccleſiæ Cluniacenſi.

Ex Cartulario Monaſterii Cluniacenſis.

1226. EGo MATILDIS, *Comitiſſa Nivernenſis*, omnibus notum facimus, præſentibus & futuris, quod Nos ob remedium animæ noſtræ, & H. (a) quondam Comitis Nivernenſis, Domini & Mariti noſtri, & Anteceſſorum noſtrorum, dedimus & conceſſi-

(a) *H.* Hervæi ſcilicet, de quo plura ſuperius habuimus.

ceſſimus in puram & perpetuam eleemoſynam Deo & Eccleſiæ *Cluniacenſi*, & Beatis Martyribus, *Reveriano* & *Paulo* fratribus, qui apud ſanctum *Reverianum*, pro tempore memorantur, quidquid juris, uſagii, conſuetudinis & exactionis in blado, in pecunia, in foſſamentis, in carramentis, in gallinis, in corveis, in commendis ſive aliis coſtumis, & omnibus aliis habebamus, vel habere videbamur, vel Prædeceſſores noſtri habuerant, vel habere viſi fuerant in villa *de Chavannia, juxta Monterrandi*, & in hominibus ejusdem villæ pro Anniverſariis noſtris, in Eccleſia dicti Beati *Reveriani* annuatim perpetuo faciendis. Salva tantum garda noſtra, quam in eadem villa habemus & retinemus, teſtibus præſentibus litteris, & ſigillo noſtro, Nobis Vidua exiſtente. *Actum anno Domini* MCCXXVI. *menſe Junio.*

XLI.

Privilegium Leonis Papæ, Monaſterio Sancti Mauritii Agaunenſis.

Ex Cartulario Agaunenſi.

In nomine Dei æterni & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti.

LEO, (a) humillimus ſervus ſervorum Dei, & in Apoſtolici 1049.
culminis arce, non meritis propriis, ſed ætherei clavigeri aliorumque Apoſtolorum Principis, Petri, divina opitulante gratia ſublimatus; Dominus noſter Jeſus Chriſtus, ut a primi parentis piaculi cautione humanum genus liberaret; de cœlis ad terras deſcendit, & proprio ſuo cruore redemptum B. Petro

(a) *Leo*] nonus ſcilicet, qui anno 1049 electus fuit, & eo ipſo anno *Concilium Moguntiæ* convocavit, & eundo *Agaunum* pertranſiit. Ideo hujus Bullæ data anni 1049. eſſe debet; quamvis TRITTHEMIUS in *Annal.* Concilii illius celebrationem & Alpium tranſitum ad annum 1050. referat, contra *Hermanni* OCALIFI *Scriptoris* teſtimonium. BARON. *in Annal. Eccleſ.*

Petro paſcendum commiſit; Quod myſterium ſucceſſionis ſerie ad Nos usque, quamvis indignos, pervenit. Quapropter oportet omnes Chriſtianos ad ſanctam Matrem Eccleſiam & Apoſtolicam Sedem concurrere, eo modo, ut conditor effectum devotionis conſequatur, & piæ conſtructionis oraculis in privilegiis largiendis, non denegetur auxilium. Cunctis igitur univerſalis Eccleſiæ filiis notum eſſe volumus, quia, dum in illius partibus orbis naufragantem Eccleſiam relevando Gallias tenderemus, ad eum locum, cui *Agaunum* nomen eſt, pervenimus, quem pretioſi Martyres *Mauricius*, & ejus commilitones, ſuo ſanguine profuderunt, uti triduo commorati, quamquam patrociniis ſanctorum divitem locum, & Apoſtolicis privilegiis decoratum, omni tamen theſauro & beneficiorum plenitudine deſtitutum, prout potuimus, conſolavimus, eorundemque Martyrum feſta celebravimus; ibi etiam adſtantibus Nobis *Petro* Archidiacono noſtro, & *Alinardo* Lugdunenſi, & *Hugone* Veſunticenſi, & *Friderico* Genvenſi, & *Aymone* Sedunenſi, qui nunc eidem præeſt Eccleſiæ, relata eſt Nobis, præmiſſis reliquis luctuoſa miſeriarum ſarcina, illius loci Canonicis non illata, privilegii tamen authoritate ante prohibita; quod non liceret *Canonicis in fine vitæ propria bona diſtribuere, neque viventibus de Eccleſiaſticis rebus, præter prælati ſui voluntatem, quidquam ordinare.* Nos autem hujus mandatum facimus prædictis Epiſcopis, & maxime eidem Epiſcopo, *Aymoni,* videlicet illi Prælato, ut *Imperatori* HENRICO *nobis apud Coloniam obviaturo* intimarent, præcepimus, quatenus ejus conſilio & juvamine ſedaremus ruinas tantæ violentiæ, quorum non ſolum tunc, ſed multoties audita lachrymabili querimonia miſeratus prædictus ille piiſſimus Imperator HENRICUS poſtulavit a Nobis, ut idem Monaſterium *Agaunenſium*, in quo ipſe *Aymo* ſub Canonicorum Regula Abbas eſſe dignoſcitur, privilegio cum Sedis Apoſtolicæ inſulis decoraremus; & ſub ſancta, cui Deo authore præſidemus, Eccleſia,

Eccleſia, conſtitutum, præteritorum Regum poſt ſtatuta & privilegia ejusdem Monaſterii, noſtri quoque Pontificatus honore coornaremus, ut nullo tempore corrumperentur, *ut neque ſuper Canonicos illos Prælatus aliquis, ſine eorum communi conſilio vel electione, mittatur, neque ex communibus Eccleſiæ rebus, poſt congruam diſpoſitionem eorum, quidquam tractetur, nec alicujus Prælati violentia in eorum diripienda bona propria temere præſumendo prævaleat*, ſed omnia privilegii authoritate propria, vel communia bona eorum decretis ordinentur. *Et ſi forte eorum aliquis præoccupatus fuerit morte, fratres, (ſi defuerint parentes) ita ejus bona Eccleſiæ, familiæ & pauperibus diſtribuant, ut noverint oportere.* Et ne Prælatus aliquis poteſtatem aliquam inibi exercendo, vocem lætitiæ eorum perturbet, ſub anathematis vinculo colligamus: Et in Epiſcopatu *Lauſanenſi* quandam Curtem, nomine *Auronum*, quondam eis ſublatam violentia Prælatorum, reſtituimus, cum Eccleſiis & reliquis appenditiis, *ut ad menſam fratrum* ſemper deſerviat. Propterea, piis Francorum precibus aures accommodantes, prædicti Monaſterii congregationi, divinis mandatis inhærenti, ſedisque Apoſtolicæ Regulam ſervantis, per hujus præceptionis noſtræ authoritatem, id quod expoſcunt, effectu mancipamus. Ideo cujuslibet Eccleſiæ ſacerdotem in præfatum Monaſterium vel in Eccleſiis, in ejus Curtibus ſitis, & ex ſibi datis eleemoſynis ordinatis, nullum *Pontificium Prioratus* permittimus habiturum, ſed & illum, qui Civitatem *Sedunum*, prænomine *Valeſiam*, habuerit, quamlibet ditionem ſeu poteſtatem vindicare in ea, authoritate Sedis Apoſtolicæ prohibemus; ita ut, niſi a Prælato Eccleſiæ, vel a fratribus invitatus, nec ad Miſſarum ibidem celebranda Myſteria quispiam præſumat accedere, vel ſuam dominationem exercere, nec ulla conciliabula prætendere, aut de eleemoſynis S Monaſterio collatis participare; neque decimas, illic a *S. Sigismundo*, vel ab aliis collatas, quisquam tentet auferre, eo quod ſub tui-

tione Apoſtolici privilegii conſiſtunt, & inconcuſſe cuncta, ſecundum conditoris ejus deſideria, permanere, cunctis temporibus conſtituimus per hujus noſtri Decreti paginam, atque interdicimus omnibus Præſulibus, vel cujuscunque dignitatis honore præditis, ſub anathematis vinculo conſtringimus, quicumque hujus ſeriem inſtitutionis ſubverterit, vel ipſarum ſcripturarum ſanctiones *de donariis ac libertatis honore* præditis, quæ a Regibus vel aliis fidelibus conſtitutæ ſunt, & præfato Monaſterio ſub privilegiis indultæ, quolibet modo vel tempore voluerit corrumpere. Leo, Deo authore in hac ſerie privilegii ob amorem Dei & ſanctorum Martyrum honorem a me facta, relegens ſubſcripſi, & Epiſcopos hos ſubtus adnotare juſſi: PETRUS *peccator juſſus a Domino Papa ſubſcripſi.* GREGORIUS *peccator juſſus a Domino Papa ſubſcripſi.* HUGO *peccator juſſus a Domino Papa ſubſcripſi.* HERMANNUS *peccator juſſus a Domino Papa* ſubſcripſi.

XLII.

Donatio Hugonis, Ducis Burgundiæ, Eccleſiæ Cluniacenſi.

Ex Cartulario Monaſterii Cluniacenſis.

1187. QUoniam propter vitæ præſentis brevitatem, & ſuccedentium varietatem, facile labitur a memoria, quod a mortalibus geritur, niſi literis fuerit annotatum. Ea propter in Dei nomine Ego HUGO, (a) *Dux Burgundiæ*, notum facio præſentibus & futuris, quod pro ſalute mea & meorum, & pro animabus Parentum & Anteceſſorum meorum, & pro anima Domini *Guichardi de Ryon*, in emendationem damnorum, quæ intulit Eccleſiæ *Cluniacenſi*, dedi, & hac mea carta confirmavi Deo & Beatis Apoſtolis Petro & Paulo, & Eccle-

ſiæ

(a) *Hugo*] tertius hujus nominis, cujus rogatu 1189. *Manaſſes*, *Lingonenſis* Epiſcopus, hanc donationem confirmavit.

ſiæ *Cluniacenſi*, de conſenſu & voluntate filiorum meorum *Odonis* & *Alexandri*, totam partem meam in venditionibus de *Caſtellione*(b) integre & plenarie, cum omnibus pertinentiis ſuis, absque ulla exceptione, ſicut Dominus *Lingonenſis Epiſcopus* alteram partem unquam plenius vel liberius habuit, cum libertatibus & conſuetudinibus ſuis, ſive venditiones intra *Burgum*, ſive extra fiant, & hoc donum garentizabimus memoratæ Eccleſiæ Cluniaci, *Ego* & hæredes mei. *Porro* Dominus Abbas *H.* (c) & conventus conceſſerunt mihi miſſam unam quotidianam & continuam pro anima Domini *Girardi de Ryon*, præter anniverſarium ejus, ideo quod medietatem ſupra ſcripti redditus pro eo dedi, & alteram medietatem pro me ipſo. Téſtes ſunt *Artaudus* Sacriſta Cluniacenſis, *quem de memorata donatione præſentem inveſtivi.* Petrus de Ponſiol, Berardus de Boſco, Robertus Ballo Monachi; & de Laicis Simon de Breton, Bernardus Præpoſitus de Caſtellione, & alii multi. *Actum anno ab Incarnat. Domini* MCLXXXVII.

XLIII.

Donatio Hugonis de Calomonte, Eccleſiæ Cluniaci.

Ex Cartulario Cluniacenſi.

QUæ alta temporum profunditate in oblivionem devocari 1149.
pertimeſcimus, præſenti ſcripto memoriæ poſterum commendare gaudemus. Notum itaque fiat, quod HUGO *de Calomonte* (a) pro remedio animæ ſuæ, quidquid in villa de *Lurciaco*, (b) juſte & injuſte poſſidebat, ſeu nomine gardæ, vel quolibet alio titulo, Deo & Eccleſiæ Cluniacenſi donavit,

(b) *Caſtellione*] ſupra Sequanam.

(c) *H*] Hugo IV. Abbas Cluniaci.

(a) *Calomonte*] vulgo de *Chalamont*, familia totius Dombenſis Principatus olim antiquiſſima.

(b) *Lurciaco*] *Lurcy*, in eadem Provincia.

navit, cæteraque beneficia, quæ *Aicardus* de Montemerulo, & *Girberga* Soror ejus, & *Fulcaria* Mater eorum, pro ſalute animarum ſuarum eidem Eccleſiæ Cluniacenſi contulerant, donavit & conceſſit, quidquid videlicet in villa de *Lierans* (c) habebant, & manſum *de Cæt* cum appenditiis ſuis, & manſum *de Verzil* cum appenditiis ſuis. Hoc autem *Guilelma*, ſoror prædicti Hugonis, & *Hugo* de Roorterio filius ejus, laudaverunt & confirmarunt; nihilominus manifeſtum fieri volumus, quod prædicta Guilelma, pro requie æterna habenda in diem obitus, Deo & Cluniacenſi Eccleſiæ donavit, quidquid in villa de *Sapes* & in appenditiis ejus habebat, & *Colongiam* de *Iblens* cum appenditiis ſuis, & manſum de *veteri-Curia* cum appenditiis ſuis, & manſum de *Morons*, quod eis in vita ſua pro octo libris obligaverat; ea videlicet pactione, ut quingentos ſolidos *Hugoni* Palatino pro debitis ſuis & *Hugoni* de *Calomonte* ſolvendis, redderent, quod ita factum eſt. Sciendum vero eſt, quod prædictus *Hugo de Roortio*, antequam hanc donationem in manu Domini *Humberti*, Lugdunenſis Archiepiſcopi, & præſentia ipſius Capituli laudare vellet, quemadmodum ſe facturum promiſerat, ſex libras a præfata Eccleſia Cluniacenſi habuit, quibus ſuſceptis in manu Domini *Humberti*, præfati Lugdunenſis Archiepiſcopi, hoc donum, nihil ibi retinens, laudavit & conceſſit, & hanc Cartam Sigillo Domini Archiepiſcopi, & Sigillo Lugdunenſis Eccleſiæ muniri præcepit. Hujus rei *teſtes* ſunt Heraclius Archidiaconus, Joannes Archipresbyter de Maximiaco, Odo Archipresbyter de Sandrana, Hugo de Valens, Wilelmus de Chalouris, Hugo Palatinus, Hugo de Saxo, Raimondus de Moloh, Petrus de Vaſſaliaco, Prior Montis-Bertrandi, Guido de Marchia Monachus, &c. Quod autem hæc carta in Capitulo Lugdunenſi, ab *Hugone* de Roorterio laudata & confirmata ſit, *teſtes* ſunt Mallenus Decanus,

(c) *Lierans*] Caſtrum eſt, non longe a Villario Sebuſianorum oppido.

nus, Girinus Præcentor, Aymo de Rivoria, Petrus de Borbone & plures alii. *Hoc autem factum eſt anno ab Incarnatione Domini* MCXLIX. *pridie Nonas Novembris.*

XLIV.

Donatio Matildis Comitiſſæ Tornodori, Eccleſiæ Cluniacenſi.

Ex Cartulario Monaſterii Cluniac.

EGo MATILDIS, (a) Comitiſſa *Tornodori*. Notum fieri 1182.
volo præſentibus & futuris, me Capitulo Cluniacenſi tenore præſentium perpetuo dediſſe & conceſſiſſe quartam partem unius villæ, quæ vocatur *Hiſs*, quam emi ab *Hugone*, Duce Burgundiæ, *aſſenſu & voluntate Oddonis* & *Alexandri* filiorum ejuſdem, ſicut continetur in literis ejuſdem Ducis (quas ab ipſo mihi traditas reſervo) pro ſalute animæ meæ & animabus prædeceſſorum meorum, & pro Anniverſario meo, quod Cluniacenſis Eccleſia ipſo præcipue dono facere pepigit in æternum. Donum itaque ſic a Nobis eſt diſpoſitum, quod, quamdiu vixero, proventus villæ nominatæ in refectione Cluniacenſis Conventus ſemel in anno expendetur; poſt mortem vero meam, in die Anniverſarii mei, proventus ſimiliter Conventus reparationi diſtribuetur. *Si vero Monachi Cluniacenſes donum iſtud vendere, vel invadiare volebant, ad homines ſolum meos pertinens, emptione vel vadio redire decrevimus, &* volumus, manente ſemper beneficio refectionis, memorato Conventui deſtinatæ, quia ſi aliquo modo donum meum a poteſtate Monachorum exitum habere contingat, venditione ſcilicet aut vadio, aut terræ in terram mutatione, nihilominus maneat redditus in refectionem ſupradictam diſpoſitus, ex quocumque modo res contingat, quantum donum valet in redditu, tantum pro refectione ſua Conventui ſemper reſtitua-

(a) *Matildis, Comitiſſa Tornodori*] eadem eſt, quæ ſuperius Comitiſſa Nivernenſis dicta eſt.

ſtituatur. Sicut enim perpetuum eſt anniverſarium, ſic beneficium manere volumus in æternum. Huic ergo donationi, ut firma ſit & ſtabilis, literas præſentes, ſigilli noſtri munitas impreſſione appoſuimus. Cujus rei hi ſunt *teſtes:* Stephanus de Monte S. Joannis, Bernardus de Saudon, Herveſius de Saffres, Oliverius de Quingy, Stephanus Prior de Troant & alii. *Actum hoc eſt anno verbi Incarnati* MCLXXXII.

XLV.

Immunitas Pedagii, Girardi, Comitis Matiſconenſis, Monaſterio Caſſianæ.

Ex Cartulario ejusdem Monaſt.

1168. EGo GIRARDUS, (a) *Comes Matiſconenſis,* notum facio præſentibus & futuris, quod pro remedio animæ meæ & Parentum meorum, conſiderata religione Domus de *Caſſania,* (b) & Oratorum, ibidem Domino ſervientium, particeps fieri cupiens, donavi Deo & prædictæ Eccleſiæ, ut, cum fratres memoratæ Domus, *pro emendo ſale & aliis ſuis quibuscumque negotiis per terram meam tranſitum facientes, ab omni exactione de cætero ſint immunes,* ne ſcilicet in tota terra mea *Pedagia,* vel *Leydas* ſolvere cogantur. Hanc autem donationem, factam in manu *Utfredi* (c) Abbatis, *Wilelmus* filius meus laudavit, & ego, ratum & firmiſſimum permanere deſiderans, ſcripturæ commendandum præcepi, & ſigilli noſtri teſtimonio roboravi. *Teſtes* ſunt Humbertus de Bellojoco, Ste-

(a) *Girardus*] alibi dicitur etiam Viennenſis Comes, & Dominus Salinenſis, ejus nominis primus.

(b) *Caſſania*] vulgo Chaſſagne, Monaſterium Ordinis Ciſtercienſis apud Sebuſianos, de quo plura dedimus in Hiſt. Sebuſiana.

(c) *Utfredi*] qui circa annum 1168. vivebat, ad quem hujus immunitatis data referri poteſt.

Stephanus de Villars, *Petrus de Palude,* (d) Colardus de Sala, Ebrardus de Chavannes & Fulgerius Bruni Milites.

XLVI.

Donatio Aymonis, Comitis Genevenſis, Monaſterio S. Eugendi Jurenſis.

Ex Archivo ejusdem Monaſterii.

In nomine ſanctæ Trinitatis.

EGo AYMO, *Dei gratia Genevenſium Comes*, cogitans 1090. caſum humanæ fragilitatis, ſimulque perpendens, quantum Eccleſiarum augmentationes ſaluti proſint animarum, concedo Eccleſiæ *S. Eugendi*, cui Venerabilis Abbas *Unaldus* præeſſe videtur, *Alodos* illos, quos ab ingenuis hominibus in *poteſtate Seyſſiacenſi*, (a) Monachi præfatæ Eccleſiæ hactenus obtinuerunt, & a modo obtenturi ſunt, ab illis videlicet ingenuis, qui *dies conſuetudinales*, quos eſſe XII. tradunt, & alia debita, exceptis aratura bonum in corvata, & obſervatione placiti generalis conſuetudinaliter mihi non debent; retinemus autem in hac conceſſione, ut, ſi in terra, quam hujusmodi acquiſitione præfati Monachi obtinuerint, Ruſticanus aliquis habitat, boves ſuos in corvata mea exhibeat, & in placito generali, vicinorum ſuorum more, ſemet ipſum præſentet. Ut autem hæc noſtra conceſſio rata permaneat, ab Uxore mea & filio meo eam laudari facio, & tam ſcripto, quam teſtibus, confirmari præcipio, S. Aymonis Comitis, *S. Itæ* (b) Uxoris ejus, S. Geraldi, filii ejus.

XLVII.

(d) *Petrus de Palude*] illuſtris Paludanæ familiæ, Varemboniorum Regulorum Comitumque Varaſiorum caput.

(a) *Poteſtate*] id eſt Juriſdictione.

(b) *Itæ*] e familia Fuciniaca, quippe quæ *Ludovici*, Domini de *Fouciyny*, & *Tetbergæ* filia erat. Cæterum, licet hac in carta nulla anni deſignatio reperiatur, ut ea erat ſeculi incuria; attamen anno Chriſti 1090. ſcriptam fuiſſe denotat *Unaldus*, Abbas S. Eugendi, qui donum recepit, qui eo tempore vivebat.

Kk

XLVII.

Conventiones & Pacta inter Epiſcopum Gebennenſem, & Dominum de Gex.

Ex MS. Codice rerum Gebennenſium.

1261. UNiverſis præſentes literas viſuris, vel audituris; Simon de *Joinvilla*, Dominus de Gex, & *Lioneta*, ejus uxor, ſalutem & notitiam rei geſtæ, ad omnium notitiam volumus pervenire, quod, cum contentio, ſive diſcordia eſſet inter Nos ex una parte, & venerabilem patrem, Dominum *Henricum,* (a) Dei gratia Gebennenſem Epiſcopum ex altera, ſuper iis videlicet, quod Nos dicebamus, Nos habere jus & juriſdictionem in terra *du Mortier,* ſcilicet apud *Satiniacum, Burdigum, Peycid* & *Pinetum,* & dicebamus *Caſtrum Pineti* (b) ædificatum eſſe in præjudicium noſtrum & Caſtri noſtri *de Gex,* ſive Domini ejusdem Caſtri, & furcas levatas ibidem ſimiliter contra jus & juriſdictionem dominii noſtri *de Gex*, & alia quædam vendicabimus in prædictis locis vel pertinentiis eorundem. *Item* dicebamus, villam de *Avayſon* debere eſſe de *feudo noſtro*, quam *Pagaverus* de *Buſſy,* Domicellus Lugdunenſis Diocœſis tenebat in feudum a dicto Epiſcopo, & recognoſcebat ab Epiſcopo. *Item* dicebamus Nos habere *jus & juriſdictionem*, *banna, conſuetudines, & alia* quædam in ponte Gebennenſi & villa *S. Gervaſii,* & pertinentiis eorundem; *Ex adverſo* dicebat præfatus *Dominus Epiſcopus*, Nos teneri ſibi ad *homagium* faciendum pro foro *Caſtri* noſtri de Gex, quod tenebamus ab ipſo. *Item* petebat a Nobis ſibi fieri emendam de damnis, gravaminibus & injuriis, prædeceſſoribus ſuis a prædeceſſoribus noſtris illatis. Tandem poſt multas altercationes, mediante nobili *A.* Domina *Foucigniaci,* Uxore illuſtris

(a) *Henricum*] ſive ut alibi legitur, *Hunricum*, qui ex Priore Portarum factus eſt Epiſcopus Gebennenſis.

(b) *Pineti*] vulgo *Pinay*, Caſtrum Epiſcopi Gebenn.

ſtris Viri, Domini *Petri de Sabaudia*, ſic fuit amicabiliter compoſitum inter Nos, pro Nobis & ſucceſſoribus noſtris, & præfatum Epiſcopum pro ſe & ſucceſſoribus ſuis; *quod nos gratis, & quiete, & ſpontanea voluntate, non coacti, nec dolo inducti, nec in aliquo circumventi, quittamus & guerpimus* pro Nobis & ſucceſſoribus noſtris *memorato Epiſcopo & ſucceſſoribus ſuis.* Si quod jus, jurisdictionem, ſive banna, aut conſuetudines, vel alia uſagia, ſeu alia quæcumque ſint, habemus vel habere poſſumus, vel nobis competant, vel competere poſſunt aliquo modo in omnibus locis ſuperius nominatis, & pertinentiis eorundem, ſalvo jure quod habemus apud *Burdignin*, videlicet in feudo, quod Nobiles de *Verſonay* tenent a Nobis, & ſalva fidelitate, qua tenetur nobis *Stephanus* de *Burdignin* Miles, & ejus ſucceſſores; & ſalvo feudo, quod tenemus a *Domino Petro de Sabaudia* Comite, videlicet in villa de *Burdignin*, apud *Cholié* cum pertinentiis; quæ quoad villam *S. Gervaſii* fuerunt limitatæ a loco, qui dicitur *Cornavin*, usque ad locum qui dicitur *Linans*, præfatæ villæ *Gerveſii*, retinentes nobis *albergum Hugonis de Gerdili de S.Gervaſio* cum hominibus & poſteritate ipſius; ita quod dictus Epiſcopus habeat in ipſos banna & jurisdictionem, ſicuti habet in aliquo de hominibus villæ *S. Gervaſii*, (c) & recognoſcimus & confitemur, Nos tenere a præfato *Epiſcopo in feudum, forum Caſtri de Gex*; & tenemur Nos & ſucceſſores noſtri præfato Epiſcopo & ſucceſſoribus ejus pro *foro ſupradicto*, & pro *feudo* de *Avayſon*, quod *Paganus* prædictus tenebat ab eodem Epiſcopo, de quo *feudo* noſtrum *feudum* augmentavit. Itaque dictus *Paganus* teneatur nobis; ſicut tenebatur dicto Domino *Epiſcopo* de dicto feudo reſpondere. Et nos dictum Epiſcopum a dicto *Pagano* in omnibus & per omnia ſervabimus indemnem. Dictus vero *Epiſcopus* præcepit præſentibus

 literis

(c) *S. Gervaſii*] olim ſuburbium, nunc pars Civitatis Genevenſis.

literis *Pagano* memorato, quod reſpondeat de dicto feudo, ſicut ei reſpondebat. Et nos prædictum *homagium manualiter* fecimus eidem Domino Epiſcopo, citra jus alienum, & *ſalva fidelitate trium Dominorum,* videlicet illuſtris *Domini Petri de Sabaudio; Rodulfi, Comitis Gebennenſis, & Abbatis S. Eugendi.* Et promittimus & obligamus nos facturos & curaturos, quod ſorores noſtræ & hæredes earum, rata & firma habebunt omnia ſupradicta, nec unquam per ſe vel alium venire contra prædicta. Dictus vero Epiſcopus Nobis dedit in pecunia numerata pro omnibus ſupradictis, ſi quod jus habebamus in eisdem, CCL. libras Gebennenſes, pro quibus habebat *feudum de Avayſon* pignori obligatum; & Nos renunciantes *exceptioni non numeratæ pecuniæ.* Hæc autem omnia & ſingula ſupra dicta Nos *Simon,* & Nos *Lioneta,* & dictus *Epiſcopus,* juramus præſtito ſuper *ſancta Dei Evangelia* corporaliter juramento, pro Nobis, & noſtris hæredibus, & ſucceſſoribus noſtris firmiter attendere & ſervare, & nullo tempore contra venire, & garentizare contra omnes, & defendere in judicio & extra. In cujus rei teſtimonium Nos dictus *Simon & Lioneta,* uxor noſtra, & dictus Dominus Epiſcopus, una cum ſigillo illuſtris Dominæ *Agnetis de Foucignié,* & ſigillo Capituli Gebennenſis præſentes litteras ſigillavimus. *Teſtes* ad hoc vocati, Aymo Sacriſta Gebenn. Eccleſiæ; Aymo, Decanus Anneſſiaci; Stephanus de Roſſellione, Caſtellanus Caſtri Inſulæ Gebennenſis; Jacobus de *Sergier,* (d) Rodulfus de *Livron,* Milites & plures alii. *Datum & actum Gebennis, anno Domini* MCCLXI. *X. Kal. Maji.*

XLVIII.

(d) *Sergier & Livron*] familiæ nobiliſſimæ apud Geſios; prima quidem extincta, multis abhinc annis, altera vero magna cum famâ ſuperſtes.

XLVIII.

Carta Guilelmi & Girardi, Comitum Matiſconenſium, pro Eccleſia Cluniacenſi.

Ex Cartulario Cluniaceſis Monaſterii.

EGo WILELMUS, *Viennenſis & Matiſconenſis Comes,* omni- 1216.
bus notum facio, præſentes literas inſpecturis, quod quædam compoſitio facta fuit inter Nobilem Virum GIRARDUM, *Comitem Matiſconenſem,* & *Eccleſiam Cluniacenſem* in hunc modum: *Notum ſit omnibus &c.* (a) Poſtea, tempore procedente, orta eſt querela inter me, Comitem *Wilelmum,* & Dominum G. (b) *Abbatem* Cluniacenſem, eo quod Cartam Comitis *Guerini,* (c) Patris mei, plene non ſervaveram; ſed quia compoſitio intervenerit, cartam Patris mei laudavi, conceſſi, & ſigilli mei impreſſione firmavi; & de cætero me firmiter ſervaturum, juramenti religione firmavi. Pro emenda vero eorum, in quibus deliqueram contra cartam, dedi Eccleſiæ Cluniacenſi in perpetuum *dimidiam Monteiam Muriæ* apud *Ledonem,* ubi quinque Monteias & dimidiam prius habebat, tam ex donatione mea, quam ex legitima acquiſitione, ita quod ex hac donatione mea, quam ex hoc, quod ibidem prius habebat, integram *calderiam* de cætero poſſidebit. Hanc autem calderiam laudavi, conceſſi, & præſentis ſcripti patrocinio Monachis Cluniacenſibus confirmavi; præterea pro ſalute mea conceſſi, ut omnia, quæ fratres Cluniacenſes, vel eorum famuli per Terram meam, ad neceſſitates Conventus Cluniaci dicturi ſunt, a pedagiis meis liberi & immunes ſint; & hanc

(a) *Notum ſit omnibus*] illam cartam ſupra dedimus *cent. I. n. 9.*

(b) *G.*] Geroldus, Patriarcha Jeroſolymitanus, qui fuit Abbas Cluniaci.

(c) *Guerini*] mendum eſt Amanuenſis, ideo loco Guerini reponendum eſt *Girardi.*

& hanc compoſitionem me firmiter ſervaturum, juramenti religione firmavi. Similiter ego *Giraldus,* filius Comitis, cartam Avi bonæ memoriæ, Comitis *G.* & cartam Patris mei, Comitis *Wilelmi,* ſupradictam laudavi, & conceſſi, & confirmavi, & me ſervaturum bona fide fiduciavi, fide præſtita corporaliter, teſtibus ſigillis noſtris. *Actum anno gratiæ* MCCXVI. *menſe Januario.*

XLIX.

Bulla CELESTINI III. *confirmatoria Privilegiorum Monaſterii S. Mauritii Agaunenſis.*

Ex Cancellaria Agaunenſi.

1196. CELESTINUS *Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei.* Dilectis filiis WILERMO, *Abbati Eccleſiæ S. Mauritii Agaunenſis,* ejusque fratribus, tam præſentibus, quam futuris, regularibus ſubſtituendis in perpetuum. Cum ſimus ad curam & regimen univerſalis Eccleſiæ, licet immeriti, providentia ſupernæ diſpoſitionis, aſſumpti; ſi quando poſtulantur a Nobis, quæ ad tuitionem Eccleſiarum pertineant, petentium deſideriis clementer convenit condeſcendere, & eorum vota effectu proſequente complere. Ea propter dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & *B. Mauritii* Eccleſiam, quæ juris & proprietatis Beati Petri eſſe cognoſcitur; in qua ſecundum Beati Auguſtini regulam Apoſtolicam vitam gerentes, divino vacatis ſervitio; ad exemplar prædeceſſorum noſtrorum felicis recordationis *Innocentii, Alexandri, Celeſtini, Romanorum* Pontificum, Apoſtolicæ ſedis privilegio communimus, ſtatuentes, ut quascumque poſſesſiones, quæcumque bona eadem Eccleſia in præſentiarum juſte & canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis, præſtante Domino, poteritis adipiſci, firma vobis veſtrisque ſucceſſoribus illibata permaneant. In

quibus

quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipſum in quo præfata Eccleſia ſita eſt, cum omnibus pertinentiis ſuis: Eccleſiam S. Sigismundi, Eccleſiam S. Laurentii, Eccleſiam Sanctæ Mariæ, & Hoſpitale S. Jacobi, quæ in villa ejusdem Eccleſiæ S. Mauritii ſitæ ſunt, cum omnibus ad Eccleſiam & Hoſpitale pertinentibus; Eccleſiam *S. Joannis de Sinemuro,* (a) cum appenditiis ſuis, *Capellam Ducis Burgundiæ,* quæ in eodem Caſtro ſita eſt, & *tabernagium* totius villæ; Eccleſiam de *Anonglar*, cum appenditiis ſuis; Eccleſiam de *Moſſongiaco,* (b) cum appenditiis ſuis; Eccleſiam de *Bioley,* cum appenditiis ſuis; Eccleſiam *S. Michaelis de Tarentaſia,* cum appenditiis ſuis; Eccleſiam de la *Tuelly,* (c) cum appenditiis ſuis; Eccleſiam de *Feſſon,* cum appenditiis ſuis; Eccleſiam de *Allio,* quæ vocatur S. Mauritius, cum appenditiis ſuis; Eccleſiam de *Ollens,* cum appenditiis ſuis; Eccleſiam de *Otthonella,* cum appenditiis; Eccleſiam de *Choex,* (d) cum appenditiis ſuis; Eccleſiam de *Placentey,* cum appenditiis; Eccleſiam de *Vertros;* Eccleſiam de *Bagnes,* cum appenditiis ſuis; *Chrisma vero, oleum ſanctum, conſecrationes Altarium ſeu Baſilicarum, ordinationes Clericorum, qui ad ſacros Ordines fuerint promovendi, a Diœceſano ſuſcipiatis Epiſcopo,* ſi quidem Catholicus fuerit, & gratiam atque communionem Apoſtolicæ ſedis habuerit, *& ea vobis gratis & absque pravitate aliqua voluerit exhibere;* alioquin liceat vobis, quemcunque malueritis, Catholicum adire, Antiſtitem, gratiam atque communio-

(a) *Sinemuro*] oppidum Ducatus Burgundiæ, vulgo Semur en Brionnois.

(b) *Maſſongiaco*] vulgo Maſſongié, non longe ab Agaunenſi Monaſterio.

(c) *Tuelli*] vulgo la Tuyle, vicus eſt ultimus in Ducatu Auguſtæ, cui imminet Mons Peninus, le petit S. Bernard dictus, quo ad Tarentaſienſes itur.

(d) *Choex*] ab Oppido S. Mauritii milliario tantum diſtans.

munidnem ſedis Apoſtolicæ habentem, qui nimirum noſtra fultus authoritate, vobis, quod poſtulatur, impendat. Præterea debitam libertatem a prædeceſſoribus noſtris, Romanis Pontificibus, eidem Eccleſiæ noſtræ conceſſam, Nos authoritate Apoſtolica nihilominus confirmavimus, *ut videlicet Eccleſia ipſa, cum cellis ad eam pertinentibus, ſolummodo Romano Pontifici ſit ſubjecta, nec alicui omnino quamlibet dominationem aut exactionem in eiſdem locis liceat exercere.* Sancimus etiam, ut nullus in eis, niſi *regularem vitam profeſſus,* Canonicus aliquando ſubrogetur, aut qualibet aſtutia intrudatur. Obeunte vero te nunc ejusdem loci Abbate, vel tuorum quorumlibet ſucceſſorum, *nullus ibi qualibet ſubreptionis aſtutia ſeu violentia præponatur, niſi quem fratres communi conſenſu, vel fratrum pars conſilii ſanioris, ſecundum Dei timorem, & B. Auguſtini regulam providerint eligendum.* Electus autem a *Romano Pontifice, vel a quocumque maluerit Catholico Epiſcopo, munus benedictionis accipiat.* Decernimus ergo, ut nulli omnino Hominum liceat, præfatam Eccleſiam temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare, ſed omnia integra conſerventur, pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnibus profutura, ſalva ſedis Apoſtolicæ authoritate. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica ſecularisve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temere venire tentaverit, 2. 3. commonita, niſi reatum ſuum congrua ſatisfactione contraxerit, poteſtatis honorisque ſui dignitate careat, reumque ſe divino judicio exiſtere, de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri JEſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine divinæ ultioni ſubjaceat; cunctis autem eidem loco jura ſua ſervantibus ſit pax Domini noſtri JEſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiat, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ

pacis

pacis inveniat. *Amen. Amen. Amen.* Ego *Celeſtinus*, Cathocæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſignavi. Ego *Albinus*, Albanenſis Epiſcopus. Ego *Octavianus*, Hoſtienſis & Velitrenſis Epiſcopus. Ego *Petrus*, *Portuenſis* & Sanctæ Ruffinæ Epiſcopus. Ego *Melior*, Sanctorum Joannis & Pauli Presbyter Cardinalis, tituli Pammachii. Ego *Joannes*, tit. S. Clementis Cardinalis. Ego *Guido*, Presbyter Cardinalis Sanctæ Mariæ trans Tyberim tit. Calixti. Ego *Hugo*, Presbyter Cardinalis S. Martini tit. Equiti. Ego *Soffredus*, Pesbyter Cardinalis, tit. Sanctæ Praxedis. Ego Fed. tit. *S. Marcelli*, Presbyter Cardinalis. Ego *Gregorius*, Sanctæ Mariæ in Aquiro Diaconus Cardinalis. Ego *Gregorius*, tit. S. Georgii ad velum aureum Diacon. Cardinalis. Ego *Lotharius*, SS. Sergii & Bachi Diacon. Cardinalis. Ego *Nicolaus*, Sanctæ Mariæ in Aquiro Diacon. Cardinalis. Ego *Nicolaus*, Sanctæ Mariæ in Coſmedin Diacon. Cardinalis. Ego *Bobo*, S. Theodori Diacon. Cardinalis. *Datum Laterani, per manum Contii Sanctæ Luciæ, in Ortea Diaconi Cardinalis, Domini Papæ Camerarii, Kal. Aprilis Indict. XIV. Incarnationis Dominicæ anno* MCXCVI. *Pontificatus vero Domini Celeſtini Papæ III. Anno V. Sigilli inſcriptio. S. Petrus, S. Paulus perfice greſſus meos in ſemitis tuis.*

L.

Carta Raimundi, Comitis S. Egidii, pro Eccleſia Cluniacenſi.

Ex Cartulario Monaſterii Cluniacenſis.

OMnibus, præſentibus & futuris, notum ſit, quod Ego RAIMUNDUS, (a) *Comes S. Egidii*, cognoſco & confiteor, S. Saturnini villam, allodium & proprietatem eſſe *Beati Petri Cluniacenſis*; ſed propter amicitiam, quam Monachi 1164.

(a) *Raimundus Comes S. Egidii*] qui poſtea Comes Tholoſæ, fuit Alfonſi I. Tholoſani Comitis filius.

chi erga me habebant, & ut per meam defenſionem, villa ipſa in commercio viantium magis augeri poſſit, ſtatuimus, quosdam novos redditus mihi & ſibi infra villam invicem accipiendos; & ne unquam ab alio variari poſſit, hac definitione ſtatutum eſt, *ut in Pedatico, quod per aquam accipitur, duæ partes erunt meæ, tertii illorum, in omnibus non uſaticis, quæ per terram accipiuntur, tam infra villam quam infra Bonas,* (b) *ipſius villæ, medietas erit mea, & medietas illorum in quintallo, & in corda, & in leda, de mercato medietas erit mea, & medietas illorum, excepta leda lumborum & linguarum, & excepta leda Ubiarum, & omnium fructuum, qui ad ſextorium non vadunt, quæ propria eſt Monachorum, de habitantibus in villa, focum videlicet ibi facientibus, & fornaticam donantibus*, nec per me, nec per meos aliquam unquam juſtitiam habebo, ſi inter extraneos orta fuerit in villa; medietas juſtitiæ erit mea, & medietas ipſorum, ſi inter aliquem extraneum, & aliquem habitatorem villæ contentio fuerit, *de habitatore* nullam ego juſtitiam habebo. Juſtitia vero, quæ de *externo* mulctata fuerit, media nobis erit, in octo ſextariis de Sale, quos in Salinis accipere ſolent, ſive in omnibus conſuetudinibus, quas de ratibus, quæ per aquam veniunt, accipere ſolent; quæ ſunt decimæ, & gubernacula, & transverſaria, & in remo, quem de unoquoque *navigagio* vendito accipiunt, ego partem non habebo, ſed propriæ erunt illorum, ſicut omnes illi cæteri reditus, quos antiquitus habere ſolent, & ita ſane villa ipſa, exceptis iis, quæ ſupra diximus ab omni vi mea, & meorum, & uſatico deinceps libera permanebit, ut nec ego, nec ullus unquam de meis aliquid infra villam, vel infra Bonas villæ invitare vel arcere poſſit; ſi quid arcendum, vel juſtificandum in villa & infra Bonas villæ fuerit, non niſi per manum Prioris, vel Decani ipſius Monaſterii fiat, quia ipſi non conceſſerunt, & laudaverunt mihi in prædicta villa ea, quæ ſupra dixi, quæ anteceſſores mei,

(b) *Bonas*] id eſt, limites.

mei, nec ego habueram ante. Præterea ego concedo illis & *laudo, & nundinas, & mercata* omnia commercia, in quibus lucrari & negotiari poſſint; nundinas autem nominatim & expreſſe promitto eis, & laudo a prima die Paſchæ, usque ad diem Jovis poſt octavas Paſchæ, & ut venientes ad nundinas, & ad mercata, ſecure veniant, & redeant, Quicunque vero in villa *S. Saturnini* manſerit, vel domum ibi habuerit, vel in domo locata focum fecerit, & familia eorum, omnes iſti ab *uſatico,* & juſtitia mei, & meorum liberi erunt; mercatum, quod antiquitus in villa S. Saturnini die Jovis ſtatutum eſt, & ex dono Regis Franciæ confirmatum. Nos eodem die Jovis, in perpetuum tenendum laudamus & confirmamus de Pedatico, quod per aquam, ut ſupra dictum eſt, accipitur de parte Monachorum, in unoquoque anno XX. ſolidos Bajulo meo perſolvent. Statutum hoc eſt ita ad tenendum in perpetuum a me & a meis, *anno ab Incarnat. Domini* MCLXIV. *regnante Domino meo* LUDOVICO, *Francorum Rege, in præſentia & teſtimonio ipſorum, qui interfuerunt,* Ego videlicet, *Raymundus* Comes, qui hoc ſtatui & laudavi, & Belmondus de Uſés, *Wilelmus de Sabrano,* (c) Conſtabularius, Petrus de Cadaroſſe, Petrus Prior de Cadaroſſa, Petrus de Remolini, Bertrandus de Balneolis, Hugo de Portu & alii.

Ll 2 LI.

(c) *de Sabrano*] Epiſtolam ſcripſit ad Ludovicum Juniorem, Francorum Regem, contra Melgorii Comitem, quæ habetur apud QVERCETANUM, *Hiſt. Franc. ſcript. tom. 4. ep. 391.* Quantum autem ad *Sabranam* familiam ſpectat, ea eſt Nobiliſſima, & inter Illuſtres Comitatus Provinciæ antiquiſſima, quippe quæ *B. Elzeari de Sabran Ariani* Comitis memoria gloriatur, & in Comitum *Forcalcherienſium* bis matrimonio aſcita fuit; quod & generis ſplendorem, & familiæ potentiam aperte denotat.

Digitized by Google

LI.

Pacta inter Abbatem Cluniacenſem, & Raymundum, Narbonæ Ducem & Comitem Tholoſanum.

Ex Cartulario Monaſterii.

1202. QVoniam mortalium vita brevis, & viventium labilis eſt memoria, ne vitio fragilitatis humanæ veritas occultetur, & quæ inter homines plerumque, pro bono pacis acta ſunt, contemptionis occaſionem generent, moribus eſt receptum & merito, ut quæ memoriam deſiderant, ſcripturæ miniſterio perpetuo valeant & perdurent. Inde eſt, quod notum fieri volumus omnibus hominibus, tam præſentibus, quam futuris, quod *anno ab Incarnatione Domini* MCCII. *Kal. Junii*, Ego frater HUGO, (a) humilis *Cluniacenſium Abbas*, conſilio & voluntate ſociorum noſtrorum, & conſenſu & voluntate *Raimundi de Brozeto, Prioris S. Saturnini, & Conventus ipſius Monaſterii*, per me, & per omnes ſucceſſores meos, in remunerationem obſequiorum, quæ Monaſterio noſtro, & membris ejus a te recepiſſe confitemur, & in ſpem futurorum, quæ te collaturum promittis, dono & in perpetuum feudum trado tibi, RAYMUNDO, (b) *Dei gratia Duci Narbonæ, Comiti Tholoſano, Marchioni Provinciæ*, ac omnibus ſucceſſoribus tuis, locum idoneum ad conſtruendum & perficiendum tibi *Palatium in Villa S. Saturnini*, in eo videlicet loco, in quo turrim ædificare inceperas, tali conditione, ut ſingulis annis, pro illo & pro aliis, quæ tibi concedimus, unum *Marabotinum*, (c) dones, nomine cenſus, Abbati & Eccleſiæ Cluniacenſi, quinta die poſt Paſcha; quotiescunque tamen illum Priori S. Saturnini, (quicunque ille fuerit) ſolveris, vel ſolvi fece-

(a) *Hugo*] hujus nominis V. Abbas Cluniaci.

(b) *Raymundo*] ejus nominis VI.

(c) *Marabotinum*] Species eſt antiquæ monetæ Hiſpaniæ, forte ea quæ Maravedis dicitur.

feceris, Abbati Cluniaci eum ſolviſſe intelligens; ſi tamen ex negligentia, vel oblivione, per biennium, vel triennium, vel tempora longiora ſolutus non fuerit, res propter hoc in commiſſum non cadet, ſed *Marabotinus* annis ſingulis exigetur. Præterea in domo S. Saturnini ſingulis annis debebis accipere CC ...... tamen equitantibus, pro terræ conſuetudine, per te, vel per alium, quem volueris, a feſtivitate S. Michaelis, usque ad feſtivitatem S. Martini, quem ſi tibi vel Baillivo tuo terræ illius oblatum coram tribus, aut quatuor probis hominibus hujus villæ, vel Bajulus tuus, ſi abſens tu fueris, accipere noluerit, pro illo acceptus reputabitur; verumtamen, quando Bajulus tuus *Albergum* vellet accipere, & ſit tot equitaturas non habeat, ſecum tamen equitantibus CC. cum ſuis equitaturis, pro religionis tamen conſuetudine procurationem donare tenebitur; ſcilicet panem, & vinum, & civatam, & pulmentum illi diei & tempori opportunum. Et Ego *R. Dei gratia Dux Narbonæ, Comes Tholoſanus, Marchio Provinciæ,* hæc omnia vera eſſe confiteor, & cognoſcens propter hoc hominium tibi feci *Hugoni, Dei gratia Cluniacenſi Abbati*, & in bona fide mea te recipiens, promitto tibi, & Monaſterio Cluniaci omnia, quæ in Inſtrumento continentur Patris mei, quod factum fuit inter *G.* Priorem *S.* Saturnini & *R.* Patrem meum, me bona fide perpetuo obſervaturum. *Inſtrumenti autem tenor hic eſt:* (d) Ad hæc ſtatuo, ut ſucceſſores mei Abbatibus ſuccedentibus ſemper mutuo Comite vel Abbate idem faciant & promittant, quod ego tibi facio hic & promitto, & ego ſi tibi ſupervixero, hoc idem faciam ſucceſſori, vel ſucceſſoribus tuis; Ita tamen, quod propter *hoc faciendum, ego fines Terræ meæ non egrederer, neque ſucceſſores mei, ſed ubicunque in terra mea poſſemus tibi occurrere loco & tempore competenti, promitto & tibi, quod ab hac die* in antea de poſſeſſionibus, vel juribus S. Saturnini nihil acquiram, ſine conſenſu & voluntate Priorum & Conventuum

(d) *Hic eſt*] habetur in præcedenti capite.

locorum illorum, ſed perſonas, loca, res Eccleſiæ Cluniacenſis Monaſterii bona fide defendam & promovebo. *Acta ſunt hæc omnia apud S. Saturninum, in Eccleſia majori*, ſcilicet S. Petri, *præſentibus & conſentientibus* Germano, *Camerario* Cluniac. Simone, *Cambellano*, Girardo *Notario* Domini Abbatis, Joanne de Peyviers, & Martino Sociis Domini Abbatis, Gerardo Abbate Curlatenſi, & Raygmondo Priore S. Saturnini, G. Priore Rompontis, & Roſtanno de Salve Priore Anduſiæ, & Roſtanno de Anduſia, Priore de Vermel, Priore de Roſeriis, Bernardo de Gallerta Priore de Rions, Petro Priore de Ancone, Hugone de Seuſſe, & toto Conventu S. Saturnini. *Præſentibus* Audeberto de Nonis, Judice, & Aſſeſſore Comitis in Caſtro Bellicardi, Raymundo Gaufridi Vicario, de Paternis, Petro Chevannetio & Gerunculo, *Scriptoribus* Domini Comitis; Bonovido, ejusdem Bajulo in Villa S. Saturnini, Raymundo de Moreſii, Vivaldo Bruno de Tholoſa, & *me Hugone, Notario Domini R. Comitis Tholoſani,* qui mandato R. Wilelmi, Judicis ejusdem & Cancellarii ſcripſi, & ſignum meum appoſui. *Et Ego R. Wilelmus, Judex & Cancellarius Domini Comitis Tholoſani, præſens interfui & ſubſcripſi.*

LII.

Conceſſio Amadei, Comitis Genevenſis, Monaſterio Abundantiæ.

Ex Archivo ejusdem Monaſterii.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

1153. EGo AMEDEUS, *Gebennenſis Comes,* diligens & ampliare volens Eccleſiam Abundantiæ, conſecratam in honore B. Virginis Mariæ, pro animabus anteceſſorum meorum, ſcilicet Patris mei *Aymonis*, & Matris meæ *Itæ*, & *Wilelmi* fratris mei, & *Matildis,* Uxoris meæ, & pro remiſſione peccatorum meorum, atque pro incolumitate filiorum meorum *Wilelmi*, (a) & *Amedei*,

(a) *Wilelmi*] qui Patri in Comitatu Genevenſi ſucceſſit.

Amedei, (b) dono prædictæ Eccleſiæ, & Servitoribus ejus bona fide in perpetuum poſſidere concedo uſum & paſcua, ſuis pecoribus profutura, per totam illam partem mei Comitatus, quæ ex hac parte Rhodani flumine continetur. Hanc autem donationem eleemoſynæ atque conceſſionem bona fide feci, in manu Reverendiſſimi Conſanguinei mei, Domini *Bocardi,* ipſius Eccleſiæ Abbatis, tam ipſi, quam ſucceſſoribus ejus. Nullus itaque hominum, neque Paſtores, neque pecora eorum, de cætero inquietare vel moleſtare audeat; quoniam hanc eleemoſynam, prout melius potui, bona fide feci, & in carta ſcribi, *ac teſtibus corroborari, meoque ſigillo muniri præcepi. Wilelmus* de Nangiaco teſtis, Aymo de Aſirico teſtis, Wilelmus de Cruſilia teſtis, Petrus de Villeta teſtis, *Guichardus de Alingio* (c) teſtis, Ugo Chatboldus teſtis, anno *ab Incarnat. Domini* MCLIII. *Indict. I. Epact. IV.*

LIII.

Compoſitio inter Eccleſiam Cluniac. & Joſſerannum Groſſum, Branceduni Dominum.

Ex Cartulario Monaſterii Cluniacenſis.

EGo, *Matiſconenſis & Viennenſis Comes.* (a) Notum facio præſentibus & futuris, quod controverſia, quæ erat inter 1214.
Eccle-

(b) *Amedei*] Domini de Gex, a quo Dynaſtæ de Gex, quorum linea defecit in Leoneta de Gex, Simoni Joinvillano Domino de Marnay nupta.

(c) *Guichardus de Alingio*] *Alingiorum* familia, vulgo *Alinge,* apud Chablaſios, optimæ notæ, & quæ citra aliarum Ducatus Chablaſii; verum etiam Sabaudiæ familiarum injuriam antiquiſſima & nobiliſſima apud omnes circumfertur, Marchiones *Coudrea,* Comites *Langini &* Barones *Larringii,* genere & rebus pro Principe & Republica feliciter & generoſe geſtos claros protulit.

(a) *Comes*] Wilelmus ſcilicet.

Eccleſiam Cluniacenſem & *Joſſerannnm Groſſum,* me mediante & præſente concordata eſt in hunc modum: videlicet, quod, quidquid *Joſſerannus* reclamabat, & ſi quid habebat, vel habere juſte vel injuſte poterat, in domo & villa, & in Parochia, ſcilicet tam in hominibus & in mulieribus de *S. Hippolito,* quam terris, vineis, pratis, paſcuis, nemoribus, aquis & aliis terragiis de S. Hippolito, vel homines vel mulieres de Parrochia S. Hippoliti, Eccleſiæ Cluniacenſi libere & absque ulla retentione quittavit, ut neque cuſtodiam ſive gardam, neque juſtitiam minimam vel majorem, neque aliquid omnino ibi habeat, vel habere, vel reclamare valeat ipſe, vel aliquis hæredum, vel ſucceſſorum ſuorum. Confeſſus eſt idem *Joſſerannus*, quod in Grangia de *Serciaco,* & in gagnagio, & dominicata ejusdem grangiæ nihil omnino habebat vel reclamabat, vel habere vel reclamare poterat, ſicut de S. Hippolito dictum eſt; totum omnino quittavit, ut neque ipſe I. vel homines, vel ſucceſſores ipſius aliquid ibi reclamare valeant, vel habere conceſſit, & dictus I. ut in villa & domo S. Hippoliti liceat Eccleſiæ Cluniacenſi, vel munire vel baſtire forteriam ſecundum voluntatem ſuam, vel illam francam facere, vel quem voluerit aſſociare. De hominibus vero, qui apud S. Hippolitum pro Joſſeranno ſe tenent; ſtatutum eſt per ipſum I. & per Eccleſiam Cluniacenſem, ut infra feſtivitatis S. Michaëlis feſtum, *de Villa S. Hippoliti,* & de tenementis Eccleſiæ Cluniac. exeant, & quidquid ab ipſa Eccleſia Cluniac. tenebant, liberum Eccleſiæ remanebit; tamen de ædificiis domorum, quæ in prædicto loco fecerunt, juxta arbitrium Domini *Arduini Longre,* & Domini *Humberti de Breſſe* & *Duranni* Prioris *de S. Marcello,* & *Rainaldi* Decani Cluniac. æſtimationem recipient ſive valorem, & illa ædificia Eccleſiæ remanebunt, vel ſi maluerint, ædificia deportabunt. De aliis vero hominibus, quos dictus I. reclamabat, de quibus erit contentus, in bona erit inquiſitione dictorum quatuor, videlicet Arduini Lon-

Longre, Humberti de Breſſe, D. Prioris S. Marcelli, & R. Decani Cluniac. qui de illis jurati fideliter inquirent, & facta inquiſitione fideliter terminabunt. Illi autem, quos I. eſſe dixerit, ſicut de aliis dictum eſt, de dicto loco exhibuit. Hoc autem fieri debet & terminari usque ad feſtum B. Michaelis; quod ſi infra illum terminum non exierint, Monachis expellere eos non licebit, prius quam non exierint, neque illos, neque alios ibi I. vel hæredes vel ſucceſſores ipſius habere poterunt, vel tenere. Si autem apud S. Hippolitum Eccleſia Cluniac. villam francam fecerit, homines I. ibi non poterunt retinere. Similiter dictus *Joſſerannus* homines dictæ Eccleſiæ ubilibet poſitos ullo unquam tempore non poterit retinere. Hæc omnia I. conceſſit & juramento firmavit, deditque de firmiter tenendo Cluniac. Eccleſiæ *fidejuſſores O.* (b) Ducem Burgundiæ, *Wilelmum*, Matiſconenſem & Viennenſem Comitem, *&* *Walterum* Dominum de Vignorry, & eosdem Eccleſia fidejuſſores Joſſeranno donavit. Ego vero ad preces Cluniac. Eccleſiæ & Joſſeranni uterque pro altero fidejuſſi, & has literas patentes utrisque conceſſi, tenetur idem Joſſerannus bona fide per juramentum *literas Regis Franciæ patentes ſuper hoc Eccleſiæ Cluniac. dare*, & Eccleſia ſimiliter eidem; I. tenetur quoque dare Eccleſiæ Cluniac. & ipſa ei literas *O.* Ducis Burgundiæ & B. Comitiſſæ Cabilonenſis, & *Wilelmi* Domini de Vignorry & Archiepiſcopi Lugdunenſis, & Matiſconenſis & Cabilonenſis Epiſcoporum, qui illum, qui contra hæc unquam venerit, debent usque ad ſatisfactionem excommunicare, & terram ipſius interdicere, & Joſſerannus homagium in Capitulo fecit, & ibidem fidelitatem juravit; Eccleſia vero Cluniaci pro bona pacis dedit Joſſeranno mille libras Divionenſes, & de damnis & injuriis, quæ ipſi Eccleſiæ vel hominibus ſuis dictus I. vel ſui, intulerant, quittavit & ab-

(b) *O.*] id eſt Odonem.

& abſolvit. Si quæ vero damna vel injurias Eccleſia, vel villa Cluniaci, vel aliquid de Eccleſia vel villa I. vel fratribus vel auxiliatoribus ſuis, usque hodie intulerat, omnia quittaverunt, nec ab Eccleſia, vel villa Cluniaci, vel hominibus, vel aüxiliatoribus eorum, hac occaſione aliquid poterunt exigere, nec Eccleſia vel villa Cluniac. ab I. vel ſuis, Eccleſia Cluniacenſis ipſum I. tanquam hominem ſuum, & ipſe Eccleſiam tanquam Dominam ſuam debet cuſtodire. Hæc omnia ſupradicta fratres dicti Foſſeranni *B. & H.* (c) & Soror eorum, & *Mater,* (d) & Dominus *Dalmatius de Luſiaco* conceſſerunt, laudaverunt, & ſervaturos juramento firmaverunt; ut neque ipſi, nec aliquis hæredum, vel ſucceſſorum ſuorum, contra hæc valeat venire. Ego autem *W.* Comes Matiſconenſis & Viennenſis, de prædictis ſervandis, me fidejuſſorem perpetuo obligavi. Ego autem Walterius, Dominus de Vignorry, ad inſtantiam Joſſeranni Groſſi, Nepotis mei, ſigillum meum in teſtimonium huic cartæ appoſui, & de superſcriptis firmiter tenendis me fidejuſſorem obligavi. *Actum inibi, & in Capitulo Eccleſiæ Cluniac. anno gratiæ* MCCXIV. *Menſe Aprili.*

LIV.

Pacta inter Girinum, Abbatem Inſulæ Barbaræ, & Stephanum Dominum de Villars.

Ex Cartulario Eccleſiæ Inſulæ Barbaræ.

1150. UNiverſis præſentes literas inſpecturis, STEPHANUS de VILLARS (a) ſalutem & notitiam rei geſtæ. Ad notitiam veſtram

(c) *B. & H.*] Bernardum videlicet a *Branciduno*, Epiſcopum, poſtea quinque Eccleſiarum, qui obiit 1234. & Henricum a *Branciduno*, Dominum de Uxelles.

(d) *Mater*] cujus nomen proprium ignoratur: erat autem Guilelmi, Comitis Cabilonenſis, filia.

(a) *Stephanus de Villars*] inter Sebuſianæ Provinciæ antiquos Proceres facile primus.

veſtram volumus pervenire, quod Nos accipimus in feudum a *Domino Girino* Abbate, & ab Eccleſia *Inſulæ Barbaræ,* quidquid juris vel uſagii habebamus, poſſidebamus, detinebamus, vel quaſi, vel alius nomine noſtro: Omne Pedeſticum *de Roccatailiia,* (b) & ſi quid in eodem Caſtro, vel forte in ejus appenditiis, ſcilicet Fontanis, & in Parochia ipſius habebat, quæ omnia ſupra dicta noſtri erant juris & allodii, & terminatur diſtrictus a parte *Vimiaci* (c) *in prato Boillat,* citra Pontem Bertrandi, in colle ſuperiori ab ortu Solis, a parte *de Chane* terminatur cum Rivo *de Sathonay*, in pede Montis de *Gravent,* & pro iis omnibus fecimus homagium dicto Abbati & Eccleſiæ prædictæ, & Nos & noſtri, qui pro tempore fuerimus, tam hæredes quam ſucceſſores debemus, & pro iis omnibus fecimus homagium dicto Abbati, & ſucceſſoribus ejus facere tenemur, & etiam quandocunque & qualitercunque Abbas in dicta Eccleſia, vel dictus Dominus vel ſucceſſores in rebus ſupradictis mutabuntur; volumus, quod prædictum homagium recognoſcatur, & ſingulis mutationibus renovetur; & ad hoc Nos & noſtros ſucceſſores obligavimus, & volumus, quod ad hoc in perpetuum teneantur, & etiam promiſimus pro Nobis & noſtris omne conſilium & auxilium in omnibus negotiis ſuis Nos & ſucceſſores pro poſſe noſtro præſtaturos dicto Domino Abbati, hoc nomine Eccleſiæ ſuæ ſtipulanti, & a Nobis obligationem recipienti. Dictus vero Dominus Abbas, conſiderans devotionem & affectionem, quam in receptione ipſius feudi erga ipſum & Eccleſiam Inſulæ Barbaræ feceramus, dedit Nobis centum *libras Fortium Lugdunenſium,* de quibus confitemur Nobis fuiſſe plenarie ſatisfa-

(b) *Roccatailliia*] vulgo *Rochetaillée,* Caſtrum ad Ararim in territorio Lugdunenſi.

(c) *Vimiaci*] vulgo *Vimi*, oppidum Lugdunenſis Provinciæ ad Ararim.

tiſfactum. *Renunciantes in hoc facto exceptioni non numeratæ pecuniæ & non habitæ, & omni legum & Canonum auxilio, ſuper hoc Nobis competenti vel competituro.* Præterea confitemur, in receptione iſtius feodi machinationem vel fraudem ex parte dicti Domini Abbatis vel Eccleſiæ Inſulæ Barbaræ non interveniſſe, imo noſtra ſpontanea voluntate, ſine aliquo pacto & conventione, *receptionem* iſtius feodi feciſſe; & renunciamus in hoc *facto errori tam juris, quam facti;* præterea dedimus & conceſſimus in eleemoſynam dicto Abbati & Eccleſiæ Inſulæ Barbaræ, quod ipſi poſſint acquirere feoda noſtra quomodolibet, quæcumque ſint, & ubicumque ſint, & etiam jam acquiſita, & ea quæ acquiſierint, donavimus, conceſſimus & confirmavimus *in Allodium* ejusdem; omnes autem res ſupradictas confitemur, Nos nomine Abbatis & Eccleſiæ Inſulæ Barbaræ poſſidere, & ab his cauſam poſſeſſionis habere, & omnia ſupradicta Nos tactis Sacroſanctis Evangeliis juravimus, in omnibus & per omnia inviolabiliter obſervare, & de cætero contra per Nos vel per alios nomine aliquo non venire; Et ſi quis contraveniret, Nos opponeremus, & Eccleſiam pro poſſe noſtro defenſaremus. In cujus rei teſtimonium præſentes literas dedimus, noſtri munimine roboratas. *Datum in dicto Monaſterio 14. Kal. Novembris, anno Domini MCL.*

LV.

Conceſſio Uldrici de Villars, Decani Lugdunenſis, Monaſterio Caſſaniæ.

Ex Cartulario ejusdem Monaſterii.

Ab anno 1174. usque ad annum 1176.

GUICHARDUS, Dei gratia *Lugdunenſis Archiepiſcopus, Apoſtolicæ ſedis Legatus*, omnibus in perpetuum. Quoniam ea, quæ geſta ſunt, per decurſum temporis & oblivione mentis, ni ſcripto mandentur, cito cadunt a memoria. Ea propter notum fieri volumus tam præſentibus, quam futuris, præſen-

ſentem cartulam inſpecturis, quod ULDRICUS DE VILLARIIS, (a) *Lugdunenſis Decanus*, dedit per manum noſtram pro remedio animæ ſuæ & anteceſſorum ſuorum, nec non & poſterorum, fratribus de *Chaſſania*, uſum paſcuorum per totam terram ſuam, ſcilicet per terram quæ appellatur *Meria*, (b) per terram quæ appellatur *Breſſia*, ubicumque ipſe dominium habebat, jure perpetuo poſſidendum. Hanc autem donationem laudaverunt *Alardus*, frater prædicti Uldrici, & alter *Uldricus* filius *Alardi*, & promiſerunt bona fide manutenere; ad quorum preces præſentem cartam ſigilli noſtri munimine & authoritate confirmamus. *Teſtes* ſunt *Petrus*, Tarentaſienſis Archiepiſcopus, ad cujus preces hæc donatio facta fuit. Utfredus Abbas, qui hoc donum recepit. Stephanus Cellarius S. Sulpitii. Aymo de Caſtellione, Pontius de Varego Monachi. Berardus de Loyes. Petrus de Palude, Milites. *Hoc autem factum fuit in Camera noſtra apud Lugdunum, ſcilicet in Camera, quæ appellatur Camera Ciſtercii.*

(a) *Uldricus de Villars*] ex eadem Villariorum familia, de qua in præcedenti capite mentio habetur, *Ulrici* Domini *de Villars* filius.

(b) *Meria*] vicus eſt in *Reverſomonte ad Suranum* fluvium, qui olim ad Dominos de Villars pertinebat.

Quamvis hæc conceſſio ſine die & conſule ſit, nihilominus collatis temporibus, quibus *Guichardus* Archiepiſcopus Lugduni ſedere cœpit, *Petrus* Tarentaſienſis, & Utfredus Caſſaniæ primus Abbas vivebant, illam ſcriptam fuiſſe aut anno 1174. 1175. vel 1176. indubitanter aſſero, ut jam in noſtra *Hiſtoria Sebuſiana Part. 3. ſub finem* annotavi,

LVI.

Privilegium Beatricis, Comitiſſæ Cabilonenſis, Monaſterio Cluniacenſi.

Ex Cartulario ejusdem Monaſterii.

1212. SCiant tam poſteri, quam præſentes, quod ego BEATRIX, *Comitiſſa Cabilonenſis,* pro ſalute animæ meæ, & anteceſſorum meorum, Deo & Eccleſiæ Cluniacenſi in perpetuam eleemoſynam contuli, *ut moneta* (a) *Cluniacenſis per univerſam terram meam a modo currat, nec alia de cætero poſſit currere moneta ibi;* excepta in præpoſitura mea Cabilonenſi, & hoc in perpetuum pacifice tenendum juramento præſtito firmavi. Hoc etiam mecum juraverunt *iſti mei Milites,* Bernardus de Chaumont, Renaudus Dalmatius, Hugo Dominus de Digonia, Rodulfus de Marnié, Durannus de Roduns, Præpoſitus de Charroles, & plures alii. Si vero (quod abſit) contigerit, quod moneta Cluniacenſis *tantum pondere & lege prioreſcat, quod marcha argenti minus duos ſolidos valeat, quam tempore conceſſionis meæ valebat, ſucceſſores mei juramentum prædictum ſervare non tenentur.* Erat autem tunc temporis *moneta Cluniacenſis,* videlicet XII. denarii, ſecundum legalem probationem, in pondere argenti V. denariorum & oboli, & cupis VI. denariorum & oboli. Ut autem hæc mea conceſſio perpetuum robur obtineat, cartam Sigilli mei munimine roboravi. *Actum anno gratiæ* MCCXII.

LVII.

(a) Nulla alia de cauſa privilegium illud hoc in opere locum obtinere debere judicavi, niſi ut conſtaret, *Eccleſiam Cluniacenſem olim jus cudendæ monetæ habuiſſe.* Quod multis Eccleſiis Galliæ regni in priſcis ſeculis commune erat; ſed hodie, mutatis moribus, ad ſolum Principem ſupremum ſpectat, obſoletis & rejectis omnibus privilegiis & conſuetudinibus contrariis.

LVII.

Compoſitio inter Carthuſiam Portarum, & Priorem Ynimontis.

UNiverſis, præſentes literas inſpecturis, frater *B.* (a) humilis Prior *de Portu* & ejusdem loci Conventus Carthuſienſis Ordinis, ſalutem in Domino. Univerſitati veſtræ notum facimus, quod, cum diſcordia verteretur inter Nos & Priorem de *Ynimont*, Cluniacenſis Ordinis, ſuper quibusdam Terris, dicebat dictus Prior de Ynimont ad Domum *de Bulbenche* pertinere; e contrario Nobis aſſerentibus, quod ad Domum *de Portis* pertinere debebant. Tandem ita convenimus ad invicem, quod dicta querela, ſive res, de quibus diſcordia erat inter nos, *per medium partirentur, & partitione facta, ſive diviſione, ponerentur termini, in quibus dividetur quælibet pars, ſive portio, unicuique domui aſſignata, ne poſſet inpoſterum ſuper his inter dictas domos diſcordia ſuboriri*, quam compoſitionem, diviſionem, & terminorum poſitionem, promittimus bona fide, Nos pro Nobis & ordine noſtro in perpetuum inviolabiliter ſervaturos. In cujus rei *teſtimonium* Sigillum noſtrum præſentibus literis duximus apponendum. *Actum anno Domini* M CCXXXIX. *die Mercurii poſt translationem B. Benedicti.* 1239.

LVIII.

(a) *Bulbenche*] hodie dicitur *la Burbanche*, in Diœceſi Bellicenſi; viculus eſt, non longe a *Roſſilionis Bugeſii* oppido, ubi erat Prioratus Ordinis Cluniacenſis, qui unitus fuit Prioratui *Ynimontis*, antiquitus autem Bulbenchiæ Prioratus ab Abbatia *Saviniacenſi* dependebat; juxta donationem, quam quidam *Bugeſienſes* Nobiles *Saviniacenſis* Monaſterii, Iterio Abbati fecerant, tempore *Rodulfi* Burgundiæ Regis, ut dixi in *Hiſtoria noſtra Sebuſiana*, *Cartular. Saviniac.*

Digitized by Google

LVIII.

Carta Humberti Domini Montiſlupelli, pro Abbate Inſulæ Barbaræ.

Ex Cartulario Eccleſiæ Inſulæ Barbaræ.

1235. HUMBERTUS, *Dominus Montiſlupelli.* Omnibus præſentes litteras inſpecturis, ſalutem in Domino & notitiam rei geſtæ. Univerſitati veſtræ notum fieri volumus, quod Nos obligavimus, tradimus & aſſignamus Venerabili *W.* Abbati & Eccleſiæ *Inſulæ Barbaræ,* omnes illos redditus & proventus, videlicet quidquid juris vel uſagii habebamus, poſſidebamus, vel quaſi, vel alius nomine noſtro in *Eſchais,* (a) & in manſo de *Laudoens,* ſito apud *Miribellum,* & quidquid habebamus apud *Avanci* (b) & in tota Parochia, & apud *Satonay* (c) & in Parochia, & apud Montemlupellum, omnia prata noſtra, & omnes vineas noſtras, & quartum vinearum, & molendinum, & battoria, & bannum vini in Auguſto; & ſervitium, ſive cenſum denariorum Montiſlupelli, quod debemus facere valere quingentas libras fortium in *Talliis Montiſlupelli,* & apud *Bayno,* (d) vineam noſtram & pratum. Hæc omnia tradidimus & aſſignavimus ad ſolutionem XI. mille ſolidorum fortium, dicto Abbati & Eccleſiæ faciendam, quam ſummam pecuniæ ipſi Abbati & Eccleſiæ confitemur nos debere,

(a) *Eſchais*] Lacus eſt in Sebuſiana Provincia, non longe a Montiſlupelli oppido.

(b) *Avanci*] vulgo *Avancia*, vicus eſt prope oppidum Miribelli, cujus ſit mentio in Legenda S. Domitiani.

(c) *Satonay*] Caſtrum eſt Sebuſiæ, tribus milliaribus a Lugduno diſtans.

(d) *Bayno*] vicus eſt juxta Miribellum. Pactum iſtud *Humbertus*, Dominus Montiſlupelli, Petri a Montelupello filius, approbavit, menſe Aprili, 1256.

bere, videlicet C. libras fortium, quas de novo Nobis accommodavit Abbas, & alias quadringentas quinquaginta libras fortium, quas in *gageria* noſtra dicta Eccleſia habebat, ſicut in inſtrumento ſuper hoc facto & ſigillato, & eidem Abbati a Nobis tradito plenius continetur, de qua tota pecunia nobis numeratione & ſolutione reali fuiſſe plenarie ſatisfactum. Hujus autem pecuniæ ſolutio, ſcilicet undecim mille ſolidorum fortium de dictis redditibus & proventibus, debet fieri eidem Abbati & Eccleſiæ, talibus terminis: ſcilicet ſingulis ännis, usque ad quinque annos plene completos CX. libræ de Talliis, & L. de aliis redditibus, termino competenti; ut ſic quinque annis plene completis ſolutione etiam XI. mille ſolidorum fortium hoc modo facta, res & redditus ſupradicti ad nos redire valeant abſolute; quod autem iſta ſolutio plene & pacifice, & ſine omni impedimento debeat fieri, *Nos* & *Petrus* filius noſter, tactis corporaliter Sacroſanctis Evangeliis, juravimus, quod in redditibus aſſignatis nihil per nos vel per alios, quos prohibere poſſimus, mutabimus, minuemus vel uſurpabimus, nec capiemus, imo ab omni calumniatore & infeſtatore modis omnibus defendemus, & quod nullo modo, nullo tempore, nulla ratione ſeu occaſione, contra illam ſolutionem veniemus; nec alius arte noſtra vel ingenio, opere vel conſilio, nec dicemus nec faciemus, quo minus dicta ſolutio poſſit libere fieri terminis prætaxatis; & ad majorem rei ſecuritatem fidejuſſores & obſides juratos dedimus, de pace & de pactis ſuperius dictis obſervandis; & de *emenda* ſufficienti, ſi quid contra male fuerit attentatum, Abbate memorato nomine Eccleſiæ & ſucceſſorum ſuorum hoc ſtipulante & recipiente, videlicet eosdem qui ſupra proximo inſtrumento, & eodem fere ordine; omnes autem ſupradicti omnia ſupradicta tactis corporaliter Sacroſanctis Evangeliis idem juraverunt. *Actum anno gratiæ* MCCXXXV. *menſe Majo.*

LIX.

Pactum pacis inter Eccleſiam Cluniacenſem, & Dominam Branceduni.

Ex Cartulario Monaſterii Cluniacenſis.

Ab Anno 1199. usque ad annum 1212.

SCiant omnes, ad quos præſens ſcriptum pervenerit, quod, cum inter Cluniacenſem Eccleſiam & ejusdem villæ Burgenſes ex una parte, & *Dominam de Brancione*, (a) & filios ejus, atque homines ſuos & coadjutores ex altera, diſſenſio orta fuiſſet; reformata tandem pace inter eosdem, mediantibus Venerabili *Epiſcopo* Cabilonenſi, R. - - - & Nobili Domina B. Comitiſſa Cabilonenſi, ne ſucceſſione temporis res ipſa a memoria hominum laberetur; de voluntate utriusque partis proceſſit, ut modus pacis præſenti pagina notaretur. Contigit itaque, quod Burgenſes Cluniaci propter injurias multas & immenſas, a filiis præfatæ Dominæ & hominibus ſuis atque coadjutoribus, Eccleſiæ Cluniacenſi & membris ejus atque Burgenſibus irrogatas, ad Caſtrum *de Brancione*, & ad Caſtrum *de Nanton*, & ad villam *de Chaſſangiaco* armata manu & valida deſcenderunt, in quibusdam locis & ſibi adjacentibus mala plurima perpetrarunt. De damnis igitur utriusque partis fuit compoſitum tali modo: In primis Domina de *Brancione* ad pacem ſuper his veniens cum Eccleſia Cluniacenſi & Burgenſibus, cæterisque membris ejusdem Eccleſiæ in propria perſona juravit in manu Domini *R*. Cabilonenſis, pacem a ſe & ſuis omnibus erga eandem Eccleſiam & omnes ſuos inviolabiliter obſervandam. Juravit etiam, quod ab omnibus illis, qui ex parte ſua in ea guerra damnum ſuſtinuerant, erga eosdem firmam pacem faceret obſervari. Hoc idem juraverunt, tactis ſacroſanctis Evangeliis, *Bernardus Groſſus*,

(a) *Dominam de Brancione*] jam ſupra diximus, eam fuiſſe filiam *Guilelmi*, Comitis Cabilonenſis.

Digitized by Google

ſus, & *Guilelmus Groſſus*, filii ejuſdem Dominæ. Juravit etiam illud idem, & eodem modo *Guido de Seneciaco* (b) pro ſe & omnibus ſuis; *Seguinus de Brancione* pro ſe filioque ſuo Hugone, & pro omnibus ſuis, excepto *Oulardo* Canonico, qui tamen Oulardus, ſi pacem jurare & ſervare voluerit, ſicut & alii, erit in pace. Sin autem ipſe eandem pacem jurare, ut diximus, & ſervare noluerit, nullum habebit reditum in Terra Dominæ Brancionis, vel Comitiſſæ, dum conſtaret eum forefeciſſe Eccleſiæ Cluniacenſi, ſeu villæ, vel membris Eccleſiæ, & ſi forefaceret, & forefactum reduceret in Terram prædictæ Dominæ Brancionis vel Comitiſſæ, tenerentur ipſi erga quos rediret, emendare forefactum. *Stephanus de Nanton* pro ſe & omnibus ſuis, *Joſſerandus de Sala* pro ſe & omnibus ſuis, Dominus vero *Ulricus de Baugiaco*, (c) Maritus Dominæ de *Brancione*, hanc pacem approbavit, & conceſſit pro ſe & omnibus ſuis, atque pro ea inviolabiliter ſervanda, literas Sigillo ſuo roboratas, Eccleſiæ contulit Cluniaci: Eccleſia quoque Cluniacenſis ex parte ſua & ſuorum ad pacem ſuper eiſdem venit cum ſæpedicta Domina & cum ſuis; *& de communi conſilio Eccleſiæ & villæ juraverunt duo Burgenſes Cluniaci, hanc pacem ab omnibus ſuis firmiter obſervandam.* In hujus etiam pacis reformatione quidquid inveniri potuit ex his, quæ capta fuerant ab utraque partium, in hominibus videlicet, equitaturis & armaturis, fuit in integrum reſtitutum. Sciendum inſuper, quod *Domina* BEATRIX, *Comitiſſa Cabilonenſis*, mandato & petitione *Dominæ de Brancione*, vel ſuorum, pacis hujus inſtitutionibus obviaret, ipſa Domina Comitiſſa damnum illatum Eccleſiæ Cluniacenſi, vel ſuis, integre reſarciret,

(b) *Luniaco*] vulgo *Lugny*, familia in Comitatu Matiſconenſi, olim opibus, generis claritate & potentia florens.

(c) *Ulricus de Bauciaco*] ejus nominis III. Sebuſianæ Provinciæ Regulus.

ciret, a quo, ſi forte reſilire niteretur, promiſerunt & conceſſerunt ad inſtantiam ejuſdem Comitiſſæ, Dominus *R. Archiepiſcopus Lugdunenſis,* (d) qui literas ſuas teſtimoniales de hoc facto Eccleſiæ Cluniacenſi contulit, & Dominus *R.* Epiſcopus Cabilonenſis, *quod perſonam ipſius Comitiſſæ, & totam terram ejus tandiu ſub interdicto ponerent & tenerent, quouſque de illatis damnis Eccleſia Cluniacenſis aut Burgenſes pacificata penitus ſub prælibata interdicti conditione, voluntate propria condonavit.* Ut igitur pacis hujus compoſitio robur perpetuum obtineat, Dominus *Epiſcopus Cabilonenſis*, (e) & ipſa Domina Comitiſſa *præſentem paginam Sigilli ſui teſtimonio roborarunt.*

LX.

Impignoratio Caſtri de Rocca-Tailla, a Stephano Domino de Villars.

Ex Cartulario Inſulæ Barbaræ.

1151. SCiant tam præſentes quam poſteri, quod *Stephanus de Villars* Pedeſticum de *Rocca-Tailla*, & ſiquidem eodem Caſtro, vel forte in ejus appenditiis, ſcilicet fontanis & Parochia ipſius habebat, miſit *Girino Seneſchallo*, & *Lugdunenſi Eccleſiæ* in gageria pro X. millibus *ſolidorum Lugdunenſium,* monetæ cujus *XXVIII. ſolidi valebant marcham argenti puri*, ea videlicet conditione, ut nullo quis poſſit excogitare modo, ne alius, nec ipſe etiam aliena pecunia præfatam gageriam niſi ipſe tantum, vel hæres ejus, redimat. Hoc autem jus *Girino* & *Eccleſiæ Lugdunenſi* in re ipſa habere conceſſit. Hoc factum eſt per manum *Wilelmi*, illuſtris Matisconenſis Comitis, in præſentia Domini *Maleni,* Lugdunenſis Decani, *Gi.* Præ-

(d) *R. Archiepiſcopus Lugdunenſis*] id eſt, Rainaldus, qui ab anno 1199. ſedere Lugduni cœpit.

(e) *R. Epiſcopus Cabilonenſis*] Robertus ſcilicet, qui vixit in Epiſcopatu ad annum usque 1213.

Præcentoris & Camerarii, *Wilelmi de Marziaco,* Magiſtri Chori, *Stephani Othenulphi, Hugonis de Varenis, Petri de Borbonio, Rotoldi de Molone,* (a) *Stephani de Roccatailla, Gaucherii de Saxo, Dalmatii de S. Triverio, Petri de Vaſſaliaco, Fulcherii Coqui, Pontii de Copponay,* & multorum aliorum; hoc vero ita actum eſt, *ut ſi moneta quantitate vel qualitate deteriorata non fuerit,* in optione Stephani de Villars ſit, aut X. millia ſolidorum perſolvere, aut pro XXVIII. ſolidis *marcham puri argenti;* huic quoque contractui additum, ut ſi forte præfatus Stephanus prædictam *gageriam,* prorſus Girino Seneſchallo, & Lugdunenſi Eccleſiæ vendere voluerit, quod idem Girinus Seneſchallus, poſt *commonitionem infra XL. dies, uſque ad* octavam Paſchæ, eidem Stephano perſolvat quinque millia ſolidorum. *Notandum* vero, quod ab eodem die Girinus Seneſchallus, de pacto iſto non tenebitur. Si vero ante hoc ſtatutum tempus prædictus Stephanus de Villars deceſſerit, præfata quinque millia ſolidorum Abbati S. Sulpitii, juxta mandatum Wilelmi, Matiſconenſis Comitis, perſolvantur ad debita, & ad clamores ipſius ſolvendos. Sciendum vero eſt, quod ſi prædictus Stephanus captus fuerit, vel aliquo modo impeditus, quod nullatenus præfata pecunia, niſi ad hoc opus, perſolvatur. Hujus rei *teſtes* ſunt: Wilelmus, Comes Matiſconenſis; Gi. Præcentor & Camerarius; Wilelmus de Marziaco. *Hoc autem factum eſt anno ab Incarnat. Domini M C L I. 16. Sept.* De hac autem pace tenenda Stephanus de Villars, Gi. Seneſchallus Lugdunenſis Eccleſiæ juravit, Wilelmus, Matiſconenſis Comes, fidejuſſor eſt & ſponſor.

Nn 3 LXI.

(a) *De Molone, de Saxo & de Vaſſaliaco*] vulgo Molon, le Saix & Vaſſallieu, familiæ antiquæ & nobiliſſimæ, apud Sebuſianos meos.

LXI.

Homagium Eccleſiæ Biſuntinæ, a Domino de Coſſonay pro Caſtro de Nyons præſtitum.

Ex Tabulis authographis Eccleſiæ Biſuntinæ, a R. P. PETRO FRANCISCO CHIFFLETIO, e Societ. Jeſu transſcriptum.

1246. NOs JOANNES, *Dei gratia Lauſanenſis Epiſcopus.* Notum facimus univerſis præſentes literas inſpecturis, quod dilectus frater noſter *Humbertus, Dominus de Coſſonay*, (a) in præſentia noſtra, apud Biſuntinum fecit homagium Venerabili Patri *Wilermo*, Dei gratia Biſuntino Archiepiſcopo; & recognovit idem Humbertus coram nobis, & coram bonis viris, quod ipſe tenebat *in feodum* ab ipſo Archiepiſcopo Biſuntino, *Nyons* (b) & Villam, quæ dicitur *Pormantor*, & a fonte de medio quercu, usque ad *Malatairiam de Nyons*, & lacum a ripa de verſus Nyons, usque ad medium lacum; & pedagium, & piſcariam tribus diebus in ſeptimana, & quæſtum piſcium in quadrageſima, & decimas a Canali de *Bruſſins*, usque ad lapidem de Moray. Item recognovit, quod erat *homo ligius* prædicti Archiepiſcopi præ aliis omnibus, citra Juram verſus Biſuntium, & ultra Juram; *ſalva fidelitate* Domini *de Jays*, (c) excepto feudo Comitatus Gebennenſis, quod durat ab illa aqua *Lislaus de Perengins*, usque ad fontem qui vocatur *Brallons*. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus litteris duximus apponendum. *Actum in feſto beati Barnabæ Apoſtoli*, anno Domini MCCXLVI.

LXII.

(a) *Coſſonay*] familia apud Vaudenſes Nobilis æque ac antiqua, quæ penitus hodie extincta eſt.

(b) *Nyons & Pormantor*] oppida juxta lacum *Lemanum*, ſub Bernenſium ditione.

(c) *Domini de Jays*] dicimus hodie Gex, in pago Gebennenſi.

LXII.

Pacta inter Rainaldum Baugiaci, Dynaſtam, & Aymonem, Epiſcopum Matiſcon.

Ex Cartulario Eccleſiæ S. Vincentii Matiſcon.

UNiverſis Chriſti fidelibus, ad quos præſentes literas perve- 1237.
nire contigerit, RAINALDUS, (a) *Dominus Baugiaci.* Notitiam rei geſtæ ad notitiam veſtram volo pervenire, quod Venerabilis Pater & Dominus, *Aymo*, (b) Dei gratia Matiſconenſis Epiſcopus, de voluntate noſtra, & mandamento ſpeciali & expreſſo obligavit ſe ut fidejuſſor in manu *Wilelmi*, de *Operatorio Burgenſis Bellevillæ*, de 360. libris Matisconenſibus, reddendis & perſolvendis ſibi, vel mandato ſuo, usque ad proximum *feſtum revelationis B. Stephani*, quam pecuniam a *Wilelmo*, creditore confiteor me recepiſſe mutuo numeratam; promiſi ſiquidem per ſtipulationem, juramento præſtito corporali ſuper Sancta Dei Evangelia, dictum Dominum Epiſcopum, Succeſſoresque ejus de dicta fidejuſſione & obligatione ſervare penitus indemnes, & de damnis, & de perditis, quæ occaſione iſtius fidejuſſionis, & obligationis ſuſtinuerint, teneor ſub præſtito juramento credere *ſimplici eorum verbo*; & propter hoc obligavi ſpecialiter, & expreſſe dicto Domino *Aymoni*, Epiſcopo, pro ſe, & ſucceſſoribus Caſtrum meum *de S. Triverio*, (c) cum omnibus appenditiis & pertinentiis, quod Caſtrum a dicto Domino Epiſcopo tenere *in feodum & caſa-*

(a) *Rainaldus, Dominus Baugiaci*] hujus nominis IV. Breſſiæ Dynaſta.

(b) *Aymo*] Severtius in hujus Epiſcopi Elogio, aliquid de hac carta delibavit; ſed ejus tenore non expreſſo.

(c) *S. Triverio*] Caſtrum eſt in Sebuſianis, oppido auctum, non longe a Romenæi Caſtro, quod antiquum eſt Epiſcopi Matisconenſis patrimonium; aliud eſt S. Triverii oppidum, in Dompenſi Principatu.

Digitized by Google

caſamentum ligium promitto, & bona fide, ſub præſtito juramento, dictum feodum tradere ſine contradictione aliqua, vel ſubterfugio, dicto Domino Epiſcopo, vel mandato ſuo, vel ſucceſſorum ſuorum pro damnis & deperditis, quæ inde ſuſtinuerint, donec ipſis de damnis & deperditis, ſi in pecunia prædicta perſolvenda, dicto creditori tempore, & termino præfixo deficerem, fuerit plenarie ſatisfactum. Ad majorem autem hujus rei ſecuritatem & firmitatem, volo & præcipio, ut ſi præmiſſa, quod abſit, non ſervaverim, quod venerabilis Pater A. (d) Dei gratia primæ Lugdunenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, ſucceſſoreſque ſui, quorum jurisdictioni me ſuppono in hac parte, ad requiſitionem Domini Epiſcopi ſucceſſorumque ejus, me poſſint compellere per Cenſuram Eccleſiaſticam, perſonam meam excommunicando, & terram meam ſupponendo interdicto. Eodem modo & ſub eadem forma ſuppono me jurisdictioni *Domini Epiſcopi Matisconenſis*, ut in defectum meum de præmiſſis, me poſſit compellere ad præmiſſa facienda firmiter & tenenda. *Datum & actum Matiscone in domo dicti Domini Aymonis, Epiſcopi Matisconenſis, anno Domini MCCXXXVII. menſe Octobris, in f ſto Beati Leodegarii.*

LXIII.

Sententia Amedei, Lugdunenſis Archiepiſcopi & Apoſtolicæ Sedis legati, ſuper diſſidiis Eccleſiæ Cluniacenſis, cum Domino Branceduni.

Ex Cartulario Monaſterii Cluniac.

1149. NOtum ſit omnibus, in manibus quorum hæc carta pervenerit, quod Ego AMEDEUS, (a) *Lugdunenſis Archiepi-*

(d) *A*] id eſt Æmericus, tunc Lugdunenſis Eccleſiæ Archiep.

(a) *Amedeus*] ejus nominis primus, quem SEVERTIUS *in Archiep. Lugdun.* ſuſpicatus eſt e familia antiqua & nobili de Talaru oriundum fuiſſe. Vivebat autem & Lugduni ſedebat circa aanum 1147. ad quem hujus ſententiæ data referenda eſt.

epiſcopus, Apoſtolicæ Sedis Legatus, Domini Papæ urgente mandato, Venerabiles fratres Cluniacenſes, & *Joſſerannum Groſſum*, (b) ad definiendam controverſiam, quæ inter eos diu agitata fuerat, ante meam evocavi præſentiam; utraque igitur parte ante Nos conſtituta, allegaverunt Cluniacenſes, prædictum *Joſſerannum* in Clunienſis Eccleſiæ terris, quæ ſub ejus fuerant poteſtate, graves injurias & exactiones feciſſe; hoſpitia, quæ anteceſſores ejus in eis non habuerant, violenter exegiſſe, rapinis & tailliis, diverſiſque infeſtationibus, eorum homines graviter oppreſſiſſe; e contra *Joſſerannus* ajebat, nil in eorum terris accepiſſe, niſi ea quæ more conſuetudinario anteceſſores ſui in eis acceperunt. Auditis igitur utriusque partis rationibus, & *conſilio religioſorum Virorum*, Eraclii Archidiaconi, Wilelmi de Marzellis, Magiſtri Othmari & Gilberti Archipresbyteri, *teſtes*, quos Cluniacenſes produxerunt, diligenter *præſtito Sacramento, teſtificati ſunt*, quod *Joſſerannus* in prædictis Eccleſiæ terris nullam penitus vim, nullasque exactiones de more inferre debebat, teſtimonio quorum Joſſeranni teſtes non contradixerunt; præterea Eccleſiæ teſtes aſſeruerunt, quod ipſis præſentibus & audientibus, BERNARDUS, (c) prædicti Joſſeranni Pater, cum Jieroſolymam in domum Hoſpitalis, ubi ſe donaverat, ire diſponeret, in Cluniacenſium fratrum, & aliorum multorum præſentia, non ſolum conſuetudines ullas in prædictis Eccleſiæ terris ſe non habere aſſeruit, verum etiam *Joſſeranno* & *Henrico* filiis ſuis, qui aderant, ne injurias aliquas, aut exactiones in præfatis Eccleſiæ terris deinceps inferre præſumerent, evidenter præcepit, qui, ſi ejus mandato non obedirent, paternam hæreditatem eis interdixit. Quibus auditis, communicato il-

(b) *Joſſerannum Groſſum*] hujus nominis primum, Dominum de Brancion & d'Uxelles.

(c) *Bernardus*] II. ſcilicet, qui Sorori Lotharingiæ Ducis nupſit, ut teſtatur *Albericus in Chron. MS.*

to illorum conſilio, qui ibidem nobiscum aderant, per *ſententiam* protulimus, *ut Joſſerannus de illatis injuriis prædictis fratribus ſatisfaceret, & ſe a talibus exactionibus deinceps compeſceret, neque enim in terris eorum de more talem habebat poteſtatem.*

LXIV.

Litera Bertoldi, Zeringiæ Ducis, Abbati Cluniacenſi.

Ex eodem Cartulario Cluniac.

circa annum 1157. DOmino Abbati Cluniacenſi, & omni Conventui *B. Dux de* ZERINGVEN, (a) atque *Burgundiæ Rector*, ſalutem cum fideli famulatu. Veſtræ inſinuamus ſanctitati, quoniam Cœnobiolum veſtrum de *Roqueriomonte*, quod ſub noſtra tuitione ſuſcepimus ſervandum, diverſarum mundialium rerum jam ſentit detrimentum a Domino *Hugone*, qui ipſam præpoſituram a Nobis ſuſceperat agendam & regendam; in pluribus enim nocuit, ſed in nullis profuit, quia diu infirmitate gravatus, nec præeſſe poterat, nec prodeſſe. Audivi ergo & bene comperi, quod jam eandem vobis reſignaverit Præpoſituram, & memorata Cellula deſtituta eſt, tam in ſpiritualibus quam in temporalibus; hinc eſt, quod veſtræ rogando demandamus magnitudini, quatenus illam nulli alienigenæ commendetis, ſed cuidam in eodem Cœnobio Decano, viro honeſto, & in omnibus bene morigerato, quem & cuncti tam majores quam minimi poſcunt, aſſignare noſtris exorati precibus procuretis; confido enim, quod per hunc quoque delapſa poſſunt reparari.

LXV.

(a) Hæc litera, quæ ſine die & Conſule, in *Cartulario Cluniacenſi* reperitur, de *Bertoldo IV.* hujus nominis intelligi debet, qui *Rector Burgundiæ* (*ſicuti* CONRADUS, *Dux Zeringenſis, ejus Pater*) dicebatur, & circa annum 1157. vivebat.

LXV.

Carta Joannis, Comitis Burgundiæ, Abbatiæ Charitatis.

Ex Archivo ejuſdem Monaſterii.

EGo JOANNES, *Comes Burgundiæ & Cabilonis*, notum facio univerſis præſentes literas inſpecturis, quod *Elizabeth* filia mea, Uxor quondam *Henrici Comitis Viennenſis*, laudavit in præſentia mea Amedeo Abbati de *Charitate*, (a) & Conventui ejuſdem Domus, *viginti quatuor Salarios Muriæ* in Puteo Ledonenſi, quod Pontius *Maugetorte* dedit in eleemoſynam fratribus dictæ domus, ut libere & ſine omni exactione eos teneant; quod ut ratum permaneat, Sigilli mei munimine feci præſentes literas ſigillari, *anno Domini* MCCXLIX. 1242.

LXVI.

Donatio Hugonis, Comitis Viennæ, Abbatiæ Montis Sanctæ Mariæ.

Ex ejuſdem Monaſterii Archivo.

NOs HUGO, *Comes de Vienna, Dominus Pagneji*, cunctis 1250. fidelium notum fieri volumus, quod ego conceſſi & dedi Abbati *Montis Sanctæ Mariæ*, (a) & fratribus ibidem famulantibus, duas montatas ſalis accipiendas in puteo noſtro Ledonenſi, quas volumus eſſe liberas, & immunes ab omni exactione, pro anima Patris mei Wilelmi, Comitis Viennenſis, & Matris meæ Beatricis, de illis montatis, quas jure hæreditario poſſideo in dicto puteo, & ſecundum limites appoſitos

Oo 2 inter

(a) *Charitate*] vulgo la Charité, Abbatia in Comitatu Burgundiæ, Biſuntinæ Diœceſis.

(a) *Montis Sanctæ Mariæ*] vulgo *Mont Sainte Marie*, Abbatia in Comitatu Burgundiæ, Biſuntinæ Diœceſis.

inter Patrem meum *Wilelmum* Comitem Viennenſem, Avunculum meum, de conſenſu *Aleidis* (b) Comitiſſæ, uxoris meæ, & *Philippi* mei primogeniti. *Actum apud Ledonum anno Incarnat. Domini* MCCL. *præſentibus Joanne de Rocca, & Wilelmo de Roland Militibus.*

LXVII.

Teſtamentum Ermeſindæ Comitiſſæ Melgorii, ex Gazophilacio Regio.

1177. ANno ab Incarnatione MCLXXVII. regnante LUDOVICO, *Francorum Rege*, 4. Nonas Novembris, in præſentia *Domini R. de Arenis*, S. R. E. Diaconi Cardinalis, & *Domini A. Nemauſenſis* (a) Epiſcopi, publicatum fuit teſtamentum Hermeſindæ, (b) Comitiſſæ *Melgorii, per depoſitionem teſtium juratorum*, juraverunt ſiquidem tactis ſacroſanctis Evangeliis, *quod ſub eorum præſentia* Comitiſſa Melgorii reliquit Matri ſuæ Beatrici duo millia ſolidorum in annos ſingulos, quandiu viveret, & pro anima ſua reliquit mille ſolidos, reliqua bona & omnia jura ſua reliquit Domino ſuo R. Duci Narbonæ, Comiti Toloſæ, Marchioni Provinciæ, & filio ejus Raimundo Marito ſuo. Hoc autem factum fuit in *Caſtro Maleucenæ, anno ſupra ſcripto & menſe.*

LXVIII.

(b) *Aleidis*] ſcilicet de Burgundia; alii Uxorem ei tribuunt *Mariam de Thoire Villars.*

(a) *A Nemauſenſis Epiſcopi*] *Aynardus* vocabatur, cognomine de Montredon.

(b) *Hermeſinda Comitiſſa Melgorii*] filia erat Bernardi Peleti, Alenſis Domini, & Beatricis Comitiſſæ Melgorienſis, quæ quidem *Hermeſinda* primis nuptiis Petrum *Bermundum* Anduſiæ Dominum, Maritum habuerat, ſecundis *Raymundum, Raymundi* Tholoſani Comitis filium, pridie Idus Decembris 1172.

LXVIII.

Donatio Eccleſiæ S. Stephani Biſuntini, a Guilelmo Viennenſi.

Ex Archivo ejuſdem Eccleſiæ.

NICOLAUS, (a) miſeratione divina Biſuntinæ ſedis miniſter humilis, univerſis præſentibus & futuris in rei geſtæ notitiam, cum ſalute. Noverint univerſi, quod conſtitutus in noſtra præſentia Nobilis Vir, WILELMUS (b) *Viennenſis*, quondam filius *Wilelmi* Matiſconenſis & Viennenſis Comitis, Decanus S. Stephani Biſuntini, dedit & conceſſit in eleemoſynam Eccleſiæ S. Stephani Biſuntini unam montatam Muriæ, libere in Puteo Ledonenſi, perpetuo & pacifice poſſidendam de illis montatis, quas habet & poſſidebat jure hæreditario in dicto Puteo Ledonenſi, & de eadem montata prædictam Eccleſiam inveſtivit pro remedio animæ ſuæ, & animarum fratrum ſuorum, videlicet *Gerardi* & *Henrici* (c) piæ recordationis, Comitum quondam Viennenſium, *Datum anno* MCCXXXV. 1235.

LXIX.

Donatio Eccleſiæ Lemenſi, a Comite Genevenſi.

Ex Archivo Lemenſi, procurante R. P. Hilario a S. Joanne Baptiſta Julienſi, Priore Abundantiæ.

EXemplo Patris *Geraldi* (a) & fratris *Cononis*, (b) Comes AYMO ſucceſſor excitatus, vel *eleemoſynam ſupradi-*

Oo 3 *ctam*

(a) *Nicolaus*] de *Flavigneio* 63. Biſuntinenſis Archiepiſcopus.

(b) *Wilelmus Viennenſis*] quem quidam ex Hiſtoricis noſtris nupſiſſe crediderunt.

(c) *Geraldi & Henrici*] primus Matiſconenſium Comes fuit, ſecundus Viennenſium.

(a) *Geraldi*] Comitis ſcilicet Genevenſis.

(b) *Cononis*] qui poſtea Monachus, & deinde Abundantiæ Abbas fuit.

ctam (c) amplificaret, interventu & petitione fratris Burchardi Monachi, Podium quoddam, adjacens ſupra nominatæ terræ *S. Marcelli*, eidem S. Marcello contulit, ſicut *Albericus & Hubertus* (d) dictaverunt & præviaverunt; poſt donum autem taxati Podii, quidam Godofredus, qui decimam podii poſſidebat, decimam illam S. Marcello tribuit, conſenſu & laudatu cujusdam ſervientis *Audeberti*, qui a Godofredo ſupra dictam decimam tenebat. Hoc vero Comes *Aymo* laudavit atque conceſſit, ut ſi quis de feodo ſuo, quod de Allodio Comitis eſt, tradere S. Marcello voluerit quidpiam, licentiam donandi habeat liberam, & ut permaneat ſemper ratum, omnique ſtabilitate firmatum atque ſubnixum. Hujus largitionis teſtes ſunt: *Hermannus de Rumiliaco, & Amblardus & Albericus, Hermannus, Guilelmus, Gualterius de Aquis, Aymo feliciter.*

LXX.

Litera Regis Arragonum, Vicario & Civitati Maſſilienſi ſcripta.

Ex Schedis Viri clariſſimi, Domini de Ruffy, Regi a Conſiliis.

1381. PETRUS, *Dei gratia Rex Arragonum, Valentiæ, Majoricarum, Sardiniæ & Corſicæ, Comesque Barchinoniæ, Roſſillionis & Ceritaniæ.* Nobili & prudentibus Viris, Guiranno *de Simiana*, (a) Militi *Aptæ & Caſanovæ, Domino Vicario* (b) *& generali conſilio Civi-*

(c) *Eleemoſynam ſupradictam*] Cono, Giraldi Comitis Genevenſis filius, dederat paulo ante Eccleſiæ & Prioratui Lemenci *Eccleſiam, de S. Marcello* vocatam.

(d) *Albericus & Hubertus*] Comites Genevenſes, ejusdem domus Lemenci benefactores.

(a) *Guiranno de Simiana*] ejus nominis VI. Guirandi de Simiana & Marcibiliæ ab Arpajono filius.

(b) *Vicario*] vulgo *Vigvier*, quæ ſumma in Civitate Maſſilienſi dignitas eſt.

Civitatis Marſiliæ, ſalutem & dilectionis affectum. *Prudentiæ veſtræ* recepimus literas, & unum quaternum ſcripturarum, inter alia continentes rapinas, raubas, violentias, aliaque damna, per ſubditos noſtros, ut dicta veſtra litera innuit, veſtris diſtrictualibus irrogata, quæ ſi ſuffragetur illis veritas, moleſte gerimus. Novit Deus, cum *Marſilienſes*, cæteroſque Provinciales benigne & favorabiliter per Nos & Noſtrates cupiamus, velut amicos & benevolos, & ad quos affectione ſincera afficimur, ubilibet pertractari. Sane quia nec in litera, nec in quaterno explicantur nomina ſubditorum noſtrorum, per quos aſſeritur dicta damna fuiſſe illata, nec aliter per Nos ſeu alios, eſt data Nobis aliqualis informatio, ex qua moveri poſſimus ad reddendum juſtitiam de prædictis, cum malefactores ipſi Nobis penitus ſint ignoti; propterea habendo Nos inde, ſicut debetis, rationabiliter excuſatos, Nos præſentium tenore certioramus, vobiſque Nos promptos offerimus, quod ſi quandocumque per Vos ſeu ex parte veſtra offeratur Nobis informatio, de qua Nobis conſtare valeat de perſonis noſtris diſtrictualibus, quod dicatur prædictas rapinas & alia maleficia commiſiſſe; Nos de illis reddemus debitum Juſtitiæ complementum, taliter, quod Deo Juſtitiaque vobis & damna paſſis ſatisfiet, ad plenum; & dicti *Pyratæ* ſeu Deprædatores ferientur pœna debita, aliique noſtri ſubditi, illorum pœna docti cohibebuntur a ſimilibus impoſterum committendis. Datum *Perpiniani* XV. die Decembris, *anno a Nativitate Domini* MCCCII. Indict. V.

LXXI.

Carta Boſonis Regis Monaſterio Cariloci.

Ex Cartulario ejuſdem Eccleſiæ, exhibente Domino de Chaponay, Domino de l'Isle-Mean, Libell. ſupplic. Magiſtro.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.

BOSO(a) miſericordia Dei Rex. Quantum in divinis cultibus, Deo-

(a) *Boſo Rex*] ſcilicet Arelatenſis, & Provinciæ *Caroli* Imperatoris, cognomine *Calvi*, gener.

Deoque famulantium neceſſitatibus auxilium libentius porrigimus, tanto id Nobis ad mortalem vitam temporaliter deducendam, & ad futuram feliciter obtinendam commodum provenire confidimus. Igitur notum eſſe volumus cunctis fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ, noſtriſque præſentibus ſcilicet ac futuris: Quoniam adire Serenitatem noſtram *Siraldus* (b) Comes, & fidelis noſter, ſuppliciter flagitans, quatenus Monachis ex Monaſterio *Kariloci*, (c) quod eſt dicatum in honore S. Stephani in Comitatu *Maticenſi*, ſuper *Surnam* fluvium, in aliquo concederemus, cujus petitioni, utpote rationabili, annuentes per hos noſtræ Celſitudinis apices, concedimus ad ipſum Monaſterium, Monachiſque ibidem Deo militantibus, Abbatiolam in honore S. Martini, cum omnibus Eccleſiis ad ſe pertinentibus, cum terris, pratis, paſcuis, ſylvis, aquis, aquarum decurſibus, cum exitibus & regreſſibus, & omnibus adjacentiis ſuis. Hæc omnia ſuperius nominata omnibus integritatibus pro mercede *D. Karoli Imperatoris*, & animæ noſtræ remedio, ac conjugis noſtræ, ipſi loco & ſuis ab hodierna & impoſterum perpetualiter concedimus poſſidendum. Et ut noſtræ confirmationis authoritas Domino protegente noſtris futuriſque temporibus inconvulſa permaneat, manu propria ſubter firmavimus, & Annuli noſtri impreſſione inſigniri juſſimus. Signum BOSONIS, *Sereniſſimi Regis*. Stephanus Notarius ad vicem Adalgarii recognovit. *Datum III. Nonas Decembr. Indict. XII. anno I.* (d) *Regni Domini* Boſonis. *Actum Kariloco Monaſterio, in Dei nomine feliciter.*

LXXII.

(b) *Siraldus Comes*] alias *Siwaldus* apud SERVERT. *in Epiſc. Matiſcon. ſub Conrado.* §. 2. qui hujus cartæ meminit.

(c) *Kariloci*] vulgo *Charlieu*, Abbatia olim Ordinis Benedictini, quæ a pluribus annis in prioratum Conventualem redacta eſt. *Gall. Hiſt. Chriſt. Vol. 4.*

(d) *Anno I. Regni*] id eſt Anno Chriſti 879 aut 880. quia BOSO *Rex Arelatenſis* & Provinciæ coronatus fuit *Mantalæ*, anno 879.

LXXII.

Donatio Monaſterio Fructuarienſi, ab OTTHONE WILELMO, *Burgundiæ Comite.*

Ex Cartulario S. Benigni Fructuarienſis.

CHriſtiana Religio, viam redeundi ad Paradiſi patriam Deo authore patefacit, non ſolum divitiis renunciantibus, ſed etiam contemptores earum juvantibus. Hujus rei gratia inter cætera ſanctis locis ab inferius nominandis veris misericorditer conceſſa, quandam Eccleſiam in honore S. Martini dedicatam, & olim nominatam Abbatiam, ſed antiquorum negligentia miſerabiliter deſtructam, Nobiliſſimi Principes *Wilelmus*, cognomine *Ottho*, & filius ejus *Raynaldus*, (a) conſultu *Ammathi* illuſtriſſimi Viri *Umberti*, qui fuit filius *Wilengi*, tradiderunt publica donatione Monaſterio Sanctæ Mariæ, conſtructo infra Regnum Italiæ, loco qui dicitur *Fructuaria*, in Comitatu *Hisporienſe*, ubi inter plurimas ſanctorum collectas reliquias, beatorum Tiburtii, Agapiti, Alexandri atque Juliani venerantur patrocinia. Eſt autem ſupra dicta Eccleſia S. Martini ſita prope mœnia Caſtri, quod *Belna* (b) nominatur, in Epiſcopatu *Auguſtodunenſi*, quam de juris ſui poſſeſſione transfuderunt prædicti Principes in poſſeſſione Fructuarienſis Monaſterii, quod modo *Wilelmus* Abbas regere videtur; ita ut ab hac die, tam ipſe, quam ſucceſſores ejus, Rectores videlicet Fructuarii, faciant ſecundum Deum, ad propriam utilitatem, ſine dantium ſucceſſorumque contradictione, quodcumque voluerint; unde & jam hoc teſtamentum ulla

(a) *Rainaldus*] qui in Comitatu Burgundiæ Patri ſucceſſit.

(b) *Belna*] vulgo *Beaulne*, urbs inter primarias Burgundiæ Provincias.

ulla ſine exceptione facere juſſerunt, propriiſque manibus firmatum firmare teſtes ſubſcriptos rogaverunt, horumque violatorem voto fruſtratum, auri-talento damnaverunt. *Signum* Girardi, Clerici de Caſtello ſine muro. Signum Azzelini, Abbatis de Monte S. Joannis. Signum Ugonis de Belna, Sigifredi ſimiliter de Belna, Theoderici filii Umberti de Divione, Tetbaldi & Hugonis fratris ejus de Belna.

LXXIII.

Epiſtola Patriarchæ Hieroſolymitani, Abbati Fructuarienſi.

Ex eodem Monaſterii Archivo.

1112. A. Dei gratia *Jeroſolymitanus Patriarcha, & totum S. Sepulchri Capitulum.* Domino *A.* (a) *Fructuarienſis* Eccleſiæ *Abbati,* univerſæque ejuſdem loci congregationi ſalutem, & continuæ benedictionis fraternitatem. Mandatum, quod de fraternitate & ſocietate veſtra, per fratrem *W.* nobis direxiſtis, gaudenter ſuſcepimus. Nos quoque noſtram communi voto eodemque conſilio vobis remittimus; Eccleſiam vero dictam *Commiſago,* a primo ædificatore ipſius, Ambroſio appellato, S. Sepulchro commiſſam, propter ſanctitatis veſtræ religionem, Eccleſiæ Fructuarienſi unanimiter committimus, veſtraque in diſpoſitione, vel ſucceſſorum veſtrorum maneat, prout dictus locus ampliorari poterit, quam caritatem veſtræ Eccleſiæ Domino & ſanctiſſimo Sepulchro ſingulis annis tranſmittere voluerit. Si quis itaque hanc conceſſionem noſtram infringere præſumpſerit, divinæ ultioni S. Sepulchri & Romanæ Apoſtolicæ Sedi ſubjaceat, niſi ſatisfecerit. *Si autem quiſpiam fratrum veſtrorum obierit, Nos ſcire faciatis, de noſtris itidem*

(a) *A Fructuarienſi*] id eſt, *Almeo*, Viro pietate inſigni ex Dominis *Barbaniæ*, ut notavit *Dominus Epiſcopus Salutiarum in Chron. Hiſtor. Pedemont. cap.27.*

Digitized by Google

itidem faciemus vobis, Domnus *Gibellinus* (b) Pater Paſtorque, Patriarcha noſter, Vir piiſſimus *obiit* VIII. Idus Aprilis. Hoc ſcriptum noſtrum confirmatum eſt *in Capitulo S. Sepulchri, Jeruſalem* VI. Kal. Madii anno Dominicæ Incarnationis MCXII. Indict. V. *captionis Jeruſalem a Chriſtianis anno* XIII. *Domini Arnulphi Patriarchæ anno I.* præſidente in Jeruſalem Domino BALDUINO *Rege invictiſſimo, anno XII. regnante Domino noſtro JEſu Chriſto.*

LXXIV.

Confirmatio Privilegiorum & Donationum Monaſterii S. Benigni Fructuarienſis, ab HENRICO II. *Imperatore.*

Ex Cartulario ejusdem Monaſterii.

In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.

HENRICUS, divina favente clementia Romanorum Imperator Auguſtus. Omnium Dei noſtrorumque fidelium, tam futurorum, quam præſentium ſolers induſtria noverit, qualiter Nos pro amore divino, animæque noſtræ remedio Fructuarienſi Monaſterio, in honore Sanctæ Dei Genitricis Mariæ conſtructo, & ſanctorum Martyrum Benigni & Tiburtii, omnia, quæ ab Anteceſſoribus noſtris eidem Cœnobio Regibus vel Imperatoribus quidem ſunt tradita, aut a quibuscumque juſte & legaliter quomodolibet conceſſa, Imperiali noſtra authoritate confirmare & corroborare decrevimus, cum omnibus ſuis pertinentiis, vel quæ nunc habet, aut deinceps acquirere poterit, ſitis in Epiſcopatibus aut Comitatibus, Yporienſi videlicet, Taurinenſi, Vercellenſi, Novarienſi, Mediolanenſi, Ticinenſi, Aſtenſi, Albenſi, Aquenſi, Albingaunenſi, Saonenſi, Ferrarienſi, Auguſtenſi, ea videlicet ratione, 1055.

(b) *Gibellinus*] cujus obitum notavit BARONIUS in Annal. ad annum 1107.

tione, *ut idem Cœnobium, omnium hominum remota contradictione, ſit liberum, nulliusque poteſtati ſubditum, liceatque Monachis, cum Venerabilis Abbas* SUPPO, (a) qui nunc præeſſe videtur, naturæ conceſſerit, quemcumque velint, *ex illis eligere*, & eundem *a quocunque ipſis placeat, ordinare.* Obtineatque prænominatus *Abbas* libere omnia ſupra memorata, cum *Curte* illa *Serralonga*, & a *Monte-rabioſo*, & a *Caſtello* Longobardorum cum omnibus ſuis pertinentiis, nec non cum prædiis omnibus intra fines *Morocerii* poſitis; & cuncta quæ fuerunt *Aldegardæ* & *Henrici* filii ejus, *Gaticum* videlicet, & in *Nuno*, & in *Pomærio*, in *Rovoreto*, in *Doſſanello*, & cætera, quæ habere videbantur, vel habere debebat infra Regnum Italiæ. Res quoque omnes *Anſelmi* filii, *Roberti de Vulpiano*, qui divina inſpiratione effectus eſt Monachus, in ſupra ſcripto *Ulpiano*, in *Meleto*, in *Caſtello Warnone*, & in cæteris locis, quæ ad eum pertinebant in præfato Regno Italico, Eccleſiam cum *Solario* in *Burgo Yporienſi*, & duos manſos in *Pillerone*, quos obtulit anno jam dicto, Cœnobio, & in *Cavallario Wiberti*, & in *Calpis*, in *Saviliano*, in *Fermadoro*, in *Virzolo*, in *Corigo*, in *Saliczola*, in *Cavaliaca*, in *S. Damiano*, in *S. Savinio.* Inſuper etiam ſtatuimus, ut nullus Archiepiſcopus, Epiſcopus, Dux, Comes, Vicecomes, vel aliqua Regni noſtri magna parvaque perſona, præfatum Monaſterium inquietare aut deveſtire præſumat, aut Abbati ſuisque ſucceſſoribus aliquam moleſtiam, vel injuriam inferre, aut decimas exigere, aut in terris dominicatis, aut in agris, pratis, vineis, vel rebus aliquibus, aut animalibus. Si quis autem hanc noſtram Imperialis Excellentiæ confirmationem infringere, aut violare præſumpſerit, mille libras auri optimi componat, medietatem Cameræ noſtræ, & medietatem prædicto Abbati. *Signum*

(a) *Abbas Suppo*] ejus meminit & hujus cartæ *illuſtriſſimus & reverendiſſimus Franciſcus* AUGUSTIN. *ab Eccleſia Epiſcop.* SALUTIENSIS *Hiſt. Chronol. Pedem. c. 27.*

Signum Domini HENRICI II. *Romanorum Imperatoris invictiſſimi Auguſti.* Gunterus *Cancellarius,* vice Herimanni *Archicancellarii* recognovi.

Datum 14. Kal. Majas anno Dominicæ Incarnationis MLV. *Indict. 7. anno Imperii Domini* HENRICI VIII. Actum *Mantuæ in Dei nomine feliciter.* Amen.

LXXV.

Privilegium CONRADI, *Imperatoris,*

Monaſterio Fructuarienſi.

Ex eodem Archivo.

In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.

CONRADUS, (a) *ejus annuente miſericordia Romanorum Imperator Auguſtus.* Quotiens ad laudem ſervitiumque Dei novus aliquis locus conſtruitur, Imperiali authoritate ad præcavendas poſterorum verſutias neceſſario corroboratur. Quocirca dignum duximus Fructuarienſe Cœnobium literalibus præceptis confirmare, exorante Domino *Wilelmo, Divionenſi* Abbate, qui prædictum Monaſterium ex prædiis, eleemoſynisque propinquorum ſuorum, ac cæterorum fidelium Chriſti a fundamentis conſtruens plurimos ſecundum Regulam *S. Benedicti* Deo ſervientes inibi congregavit. Nos, noſtrosque in perpetuum ſucceſſores, prout divæ memoriæ prædeceſſorem noſtrum HENRICUM ſuo ac fratrum contubernio ſociáverit, omnium benefactorum ſuorum participem habere cupiens primum ejusdem Cœnobii *Abbatem, nomine Joannem,* (b) ejus in præſentia conſecrari fecit, & tam ipſum,

(a) *Conradus*] ejus nominis II.

(b) *Abbatem, nomine Joannem*] *Arduini*, Regis Italiæ, Nepotem, & Guidonis S. Martini Comitis filium; primus fuit Fructuarienſis Monaſterii Abbas, vir ſanctimonia clarus.

ipſum, quam totum eundem locum *ſuæ Imperiali tutelæ* commiſit, ea maxime pro cauſa, ut eandem illi in omnibus libertatem conſervet, quam *Cluniacenſe Monaſterium* obtinere dignoſcitur. Nos ergo ſaluti noſtræ conſulentes, & benevolentiam & affectum, quem erga prætaxatum locum habuit, imitantes, prædicti quoque Abbatis precibus annuentes, ſæpe nominatum locum ſimili nos in defenſione ſuſcipimus, omnibus tam modernis quam poſteris interdicimus, ne quis hujus loci fratribus, rebusque, quas ad præſens poſſident, vel in poſterum acquiſituri ſunt, aliquam inquietudinem inferre præſumat. Statuimus quoque, & Dei noſtraque authoritate confirmamus, ut idem locus ſupra memoratam libertatem in cunctis obtineat, & quæcumque *de ejus libertate, & ſtabilitate, de Abbatis electione, & conſecratione a Domno Apoſtolico Benedicto, multisque Epiſcopis in privilegiis & Synodalibus Decretis ſtatuta ſunt, rata omni tempore & inconcuſſa firmiter ſubnixa conſerventur.* Si quis autem, quod abſit, hujus præcepti violator extiterit, tanquam *Imperialis banni* transgreſſor, centum libras auri perſolvat, dimidium Cameræ noſtræ, & dimidium ipſi Monaſterio, & inſuper Apoſtolicæ maledictioni ſubjaceat. Et ut hæc noſtræ ingenuitatis authoritas ſtabilis & inconvulſa omni poſthac permaneat tempore, hoc Imperiale præceptum inde ſcriptum manu propria confirmantes, Sigilli noſtri impreſſione juſſimus inſigniri. *Signum* (c) *Domini* CONRADI, *Sereniſſimi & Invictiſſimi Romanorum Imperatoris Auguſti.* HUGO, *Cancellarius, vice Domini* ANNONIS, *Archi in Italia Cancellarii recognovi.*

LXXVI.

(c) Hæc carta, quæ ſine die & conſule eſt, referri debet ad annum 1026. aut 1027.

Digitized by Google

LXXVI.

Donatio HENRICI IV. *Romanorum Regis,*

Monaſterio Fructuarienſi.

Ex Cartulario ejus Monaſterii.

In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.

HENRICUS, *divina favente clementia Rex.* Sanctæ Ecclesiæ profectui tanto largius & diligentius debemus providere, quanto excellentius ſublimati ſumus ex divino munere. Quapropter omnium Dei noſtrorumque fidelium tam futurorum, quam præſentium ſolers induſtria noverit, qualiter Nos, pro amore divino, animæque noſtræ remedio, & per interventum dilectæ Matris meæ AGNETIS *Auguſtæ Imperatricis,* Fructuarienſi Monaſterio, in honore Sanctæ Dei Genitricis Mariæ conſtructo, & ſanctorum Martyrum Benigni & Tiburtii quendam locum, *Rivum Tortum* (a) nuncupatum, cum omnibus appenditiis ſuis, hoc eſt, areis, ædificiis, pratis, paſcuis, viis & inviis, aquis, aquarumque decurſibus, molis, molendinis, piſcationibus, venationibus, & cum omni utilitate, vel quam nunc habet, aut quæ deinceps ullo modo inde provenire poterit, in proprium dedimus, atque tradidimus, eundem vero locum in Comitatu *Aquenſi* ſitum, ea videlicet ratione, ut venerabilis *Abbas, Albertus* (b) omnesque ſucceſſores illius, cum conſilio aliorum Monachorum ejusdem Monaſterii, liberam poteſtatem habeant tenendi, commutandi, vel quidquid ſibi placuerit ad uſum prænominati Monaſterii inde faciendi. Et ut hæc regalis traditio ſtabilis & inconvulſa omni permaneat ævo, hanc cartam inde conſcribi, manuque propria corroborantes, Sigilli noſtri impreſſione juſſimus inſigniri. *Data Kal. April. anno Dominicæ Incarnat.* MLXV. 1065.

(a) *Rivum Tortum*] vulgo *Rivatorta.*

(b) *Abbas Albertus*] qui *Gulielmo* Abbati Fructuarienſi ſucceſſit.

MLXV. Indict. III. Anno autem ordinationis HENRICI IV. *Regis* XII. Regni vero VIII. *Actum Wormatiæ in Dei nomine feliciter. Amen. Signum Domini* HENRICI IV. *Regis Invictiſſimi.* GREGORIUS *Cancellarius vice* Annonis *Archicancellarii recognovi.*

LXXVII.

Epiſtola AGNETIS *Imperatricis*, *Abbati Fructuarienſi.*

Ex eodem Cartulario.

A. *Imperatrix & Peccatrix. A* (a) *Patri bono & fratribus.* in Fructuaria congregatis, in nomine Domini; ſervitutem Ancillæ, cujus oculi in manibus Dominæ ſuæ ſunt. Conſcientia mea terret me pejus omni larva, omnique imagine; ideo fugio per ſanctorum loca, quærens latibulum a facie timoris hujus, nec minimum deſiderium eſt, mihi veniendi ad vos, de quibus comperi, quia veſtra interceſſio certa ſalus eſt, ſed noſtræ profectiones in manu Dei ſunt, & non in noſtra voluntate. Interim vero mente adoro ad pedes veſtros, rogans *ut Gregoriana pietate in Trajanam, petatis mihi veniam a Domino:* Quia namque ille unus homo ab inferni clauſtris exoravit *Paganum,* multi vos facile ſalvabitis Chriſtianam unam: Quodſi decreveritis, peto, ut in ſignum pietatis, ſocietatem & fraternitatem veſtram mandetis & mittatis mihi quam primum; rogo etiam, ut parvum quod mitto *munuſculum* admonitionis ſignum ſuſcipere dignemini, quatenus credam, quia de me curare inceperitis; valete, & tu, *Pater* bone, diligenter commenda me ſpiritalioribus fratribus de Cœnobiis, atque cellis, ut faciant me participem in orationibus & jejuniis, atque omnibus benefactis ſuis.

LXXVIII.

(a) *A Patri*] *Andreæ* ſcilicet, Fructuarienſis Cœnobii Abbati.

LXXVIII.

Privilegium HENRICI *Imperatoris, Monaſterio S. Benigni Fructuarienſis.*

Ex Cartulario ejuſdem Domus.

In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.

HENRICUS, *Dei gratia Romanorum Imperator Auguſtus.* Sicut pro ædificatis locis Sanctorum ne a ſtatuto ſuo deficiant, noſtrum eſt juvare, ita pro ædificandis querentium preces benigne debemus ſuſcipere, & ut ſtabilitatis effectum capiant, pia ſollicitudine procurare. Hujus rei gratia Domnus *Abbas Wilelmus* (a) noſtram clementiam adiit, petens, quoddam Monaſterium noſtra authoritate corroborari, ſitum in loco qui dicitur *Fructuaria*, ex propria hæreditate fratrum ejus, *Gotofredi, Nitardi,* atque *Roberti*, in honore Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, Sanctique Benigni Martyris conſtructum, velut in carta judicatus, a *Guntardo* Diacono edita, continetur. Cujus precibus ſuſceptis, prius regali præcepto confirmamus, dein, ut ſtabilius permaneat, imperiali authoritate corroboramus, *ſub noſtra defenſione* ea ratione recepimus, ut nullus Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, vel aliqua Regni noſtri major aut minor perſona, præfatum Monaſterium inquietare, aut de eo, vel ſub eo ab hominibus poſitis bannum, vel aliquam publicam exactionem exigere, vel accipere, aut de ejuſdem rebus aliquid audeat ſubtrahere. Statuimus quoque, & Dei noſtraque authoritate confirmamus, ut idem locus ſupra memoratam libertatem in cunctis obtineat, & quæcunque de ejus libertate & ſtabilitate, de Abbatis electione, & conſecratione a Domno Apoſtolico Benedicto, multiſque Epiſcopis, in Privilegiis & Synodalibus Decretis ſtatuta

(a) *Abbas Wilelmus*] ſecundus Fructuariæ Abbas.

ſtatuta ſunt, rata omni tempore, & inconcuſſa firmitate ſubnixa conſerventur; & ut hæc noſtræ ingenuitatis authoritas ſtabilis, & inconvulſa omni poſt hinc permaneat tempore, hoc Imperiale Præceptum inde conſcriptum manu propria confirmantes, Sigilli noſtri impoſitione juſſimus inſigniri. Si quis autem, quod abſit, hujus præcepti violator extiterit, tanquam *imperialis banni* transgreſſor centum libras auri optimi perſolvat, medietatem Noſtræ Cameræ, & medietatem ipſi Monaſterio, & inſuper Apoſtolicæ maledictioni ſubjaceat. *Signum* Domini HENRICI, *Romanorum invictiſſimi Imperatoris Auguſti.* HUGO Cancellarius, ad *vicem* Heliherardi, *Archicancellarii,* recognovit. *Data IV. Non. Septembris, Indict. VI. anno Dominicæ Incarnat. M. XXIII. anno Domini* HENRICI II. *regnantis XXII. Imperii X. Actum* Bermata. *Amen. Amen. Amen.*

LXXIX.

Carta Lingonenſis Epiſcopi, qua Monaſterium Fructuarienſe ab ejus ſubjectione liberat.

Ex Archivo Regio Taurinenſi.

1017. EGo LAMBERTUS, (a) Sanctæ *Lingonenſis* Eccleſiæ Epiſcopus. Notum fieri decrevi, tam præſentibus quam futuris, quod quidem dilectus ex dilectis, Abbas videlicet *Willelmus,* adiit paternitatem noſtram juſtis precibus, ut *ſynodali Decreto* quoddam teſtamentum, quod ad votum præventu mortis, beatæ memoriæ Prædeceſſoris Noſtri *Brunonis* adimplere nequivit benignitas, noſtræ benevolentiæ perficeretur authoritate; quod quidem non immerito tanto facilius debet impetrare, quanto Dei cognoſcitur zelus id omnino poſtulare. Quidam enim ſuus, carnali propagine *Germanus,* nomine *Godefredus,* ad ſanctam veniens converſionem, totum quodcumque habuit ſecum, Deo devote contulit, ea maxime inten-

(a) *Lambertus*] cujus geſta, vide *Gall. Chriſt. tom. 2.*

intentione, ut de proprio ſuo conſtrueretur Monaſterium, *quod ne alicujus Epiſcopio vel Cœnobio fieret aliqua ſubjectione obnoxium,* ſolerti pertractatum eſt conſilio, ut in quodam loco, antiquitus Fructuaria dicto, ædificaretur, quod legalem per cartulam, a *Nitardo* & *Rosberto Germanis* ipſius *Gotefredi*, cuidam *Guntardo Levitæ* traditum eſt, ut ipſe inde faceret judicatus teſtamentum, ſub liberrima omnino conditione. Quod & factum eſt, ſed non ſine multorum, maxime *Arduini* Regis & *Bertæ* uxoris ejus, adjutorio; quorum ſagaci induſtria legali legaliter confirmata ſunt teſtamenta, & ſancto *Divionenſi* Cœnobio non parvi pretii, ut patet, collata ſunt ornamenta; ſcilicet textum unum auro, gemmis & lapidibus mire ornatum, caſula auro decorata, duæ ſtolæ deauratæ cum earum manipulis, & unum cingulum atque quatuor amicti, ſimiliter deaurati, quod & ideo facere ſtuduerunt, ut & locus, unde Fructuarienſis videlicet ſumpſit exordium, his honeſtaretur emolumentis, & hoc memores in poſterum non habeant, unde ſcandalum ſtruere iniqua poſſint voluntate. Et nos igitur, æquitatis jura appendentes, & animarum lucris magis quam cupiditatibus perverſorum conſulentes, ſed & ſancti Prædeceſſoris noſtri promiſſa complentes, a privilegiis quoque Apoſtolicis, atque decretis Epiſcopalibus, a præceptis denique Imperialibus ac Regalibus non diſcrepantes, Fructuarienſe Cœnobium, cum omnibus, quas poſſidere videtur, rebus tam mobilibus quam immobilibus, *in nulla ſubjectione, in nullo jure cuiquam Noſtri Epiſcopii pertinentiæ obnoxium proclamantes,* quin imo ſub proprio paſtore, ut per omnia abſoluta *libertate a Romana Sede ſibi conceſſa potiatur,* & a ſublato hujuſmodi ſubjectionis vinculo conſtet alienum. Volumus & Nos, & ſtatuimus ſub *Synodali decreto,* ut nullus Monachus, aut præſcripti videlicet Domini *W.* Abbatis ſucceſſor, contra præfatum locum aliquid querelæ, vel calumniæ inferat, vel quidquam proprietatis, ſeu ſubjectionis requirat. Ut ſit igitur ipſe locus

Fructuaria dictus, noſtra quoque authoritate inconvulſa ſtipulatione liber & abſolutus, & ab omni querela immunis, & in fructificandis animabus ſemper Chriſto duce ſacris aptus incrementis, *teſtibus* ex noſtro Clero admiſſis, noſtra ſubſcriptione ſignamus. *Signum* Lamberti, Lingonenſis Sedis Epiſcopi. Signum Beraldi, Archidiaconi. Signum Beraldi, Abbatis S. Stephani Divionenſis &c. *Actum* apud Divionem *publice, III. Idus Jan. anno ab Incarnat. Domini* MXVII. Indict. XV. *regnante* ROBERTO, *Rege Francorum.* Ego *Oddo*, Cancellarius in *Synodo Sanctæ Lingonenſis Eccleſiæ*, hoc *teſtamentum perlectum, & ab omni Synodo laudatum & confirmatum recognovi & ſubſcripſi.*

LXXX.

Privilegium FRIDERICI, *Romanorum Regis, Monaſterio Paterniaci.*

Ex Archivo Regio Taurinenſi.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.

1153. FRIDERICUS, *divina favente clementia Romanorum Rex Auguſtus.* Cum Eccleſiis Dei per univerſum noſtrum Imperium conſtitutis Regia non deceat authoritate conſulere, illud præcipue ob ſalutis Noſtræ proſperitatem duximus animadvertendum, quatenus donationem ab Anteceſſoribus noſtris Regibus ſeu Imperatoribus, piæ devotionis intuitu, Eccleſiis conceſſam, noſtra authoritate uſibus ipſorum in perpetuum profuturam, inviolabiliter conſervemus. Eapropter tam futurorum quam præſentium ſolers noverit induſtria, quo Nos fidelium noſtrorum Confratrum *Paterniacenſium*, (a) querimoniam contra Obdelhardum de *Vivieis* (b) de Curti, quæ

(a) *Paterniacenſium*] vulgo *Payerne*, Monaſterium apud Vaudenſes, cujus fundationem dedimus hujus operis cap. 1.

(b) *De Vivieis*] id eſt *Vevay*, oppidum elegans in eadem Provincia.

quæ *Herceis* nuncupatur, in qua ipſe Advocatiam contra ſancita privilegiorum prædeceſſorum noſtrorum obtinere volebat, pro debito noſtro clementer adnitentes, ex judicio Principum noſtorum, præfato *Obdelhardo* eandem Advocatiam ſibi uſurpatam caſſamus. Statuentes, ut nec in prædicto loco, vel in quibuscunque poſſeſſionibus, ad idem Cœnobium pertinentibus, aliquis aliquod jus Advocatiæ ſibi uſurpare præſumat, ſed *Abbas Cluniacenſis*, tam præſens, quam ſucceſſores ipſius *ex fratrum Paterniacenſium electione conſtituendi Advocatum*, ſicut ab Anteceſſoribus noſtris ſtatutum eſt, liberam poteſtatem habeant. Nihilominus etiam decernimus, ut quascunque poſſeſſiones, quæcumque bona, cenſus, vel quoslibet redditus Eccleſia Paterniacenſis in præſentiarum poſſidet, aut in futurum conceſſione Regum, largitione Pontificum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis modis, Deo propitio, poterit adipiſci, firma & illibata ipſi permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis; ſcilicet villa & Eccleſia Paterniacenſis, cum decimis & cæteris pertinentiis; *Curia de Herceis* & Eccleſia, cum decimis totius Parrochiæ & cæteris appenditiis; *Curia de Pulliaco*, cum pertinentiis ſuis & Eccleſia cum decimis; villa de *Balmis* cum appenditiis ſuis, & Eccleſia cum decimis; Eccleſia *de Urba* cum decimis, ad eam pertinentibus; *Curia de Perruſſins*, cum appenditiis ſuis; Villa & Eccleſia *de Ornacho*, cum pertinentiis ſuis. Illa etiam, quæ *Venerabilis Dux Rodulphus*, ſæpe memoratæ Eccleſiæ in territorio *Alſatiæ* contulit, regia authoritate corroborare decrevimus, Curiam videlicet *Columbarienſem*, una cum ædificiis, mancipiis, terris cultis & incultis, & earum redditibus, *Curiam de Hythenhein*, cum pertinentiis ſuis, terras & vineas, quas *Luſelinus* Villicus & Uxores ejus, *Hymeza & Richeza*, dederunt; Et ut hæc omnia, æterna lege valitura, ſæpedictæ Eccleſiæ, ibique Deo ſervientibus, rata & inconcuſſa permaneant, præſentem paginam authoritate noſtra confirmatam & corroboratam,

ratam, *Sigilli* noſtri impreſſione inſigniri juſſimus; adjicientes, ut nulla magna vel parva perſona temere contra eam venire præſumat. Quod ſi quis fecerit, Regio banno ſubjaceat, & in ejus compoſitione centum libras auri Cameræ noſtræ perſolvat. *Teſtes* interfuerunt *Arnoldus*, *Colonienſis* Archiepiſcopus; Humbertus, *Biſuntinenſis* Archiepiſcopus; Amedeus, *Lauſanenſium* Epiſcopus; Orlerius, *Baſilienſis* Epiſcopus; Hermannus, *Conſtantienſis* Epiſcopus; Henricus, *Dux Saxoniæ*, Hermannus, *Marchio de Saxonia*, Amedeus, *Comes Gebennenſis*, Wilelmus, *Comes Matisconenſis*. Signum Domini FRIDERICI, *Roman. Regis Invictiſſimi*. Ego ARNOLDUS, *Cancellarius recognovi*. Datum Biſunt. *15. Kal. Martii*, *anno Dominicæ Incarnationis* MCLIII. *Indict. 15. regnante Domino* FRIDERICO, *Romanorum Rege glorioſo*, *anno vero regni ſui I.*

LXXXI.

Permutatio inter Wilelmum, Abbatem S. Benigni Divionenſis, & Gerardum Comitem.

Ex pervetuſto S. Benigni Fructuarienſis Cartulario.

1020. ANtiquitatis jure inſtitutum eſſe conſtat, ut, quotiens prædiorum traditio, ſive commutatio fit ad notitiam poſterorum, ſcripturæ teſtimonio roboretur. Quocirca congruum, imo neceſſarium eſſe viſum eſt, ut mutuam prædiorum traditionem inter Dominum *Wilelmum*, Divionenſis Monaſterii Abbatem, & Comitem *Gerardum*, (a) pro communi oportunitate factam literarum annotatione ſolidaretur; ne poſtmodum per ſuccedentium ignorantiam, aut invidorum malevolentiam adnihiletur. Igitur conſenſu Præſulis *Lamberti* Lingonicæ Eccleſiæ, & omnium fratrum Divionenſis Monaſterii, dedit in primis Abbas *Wilelmus*, de jure S. Benigni,

(a) *Gerardum*] Metenſem ſcilicet, de quo ſupra locuti ſumus *cent. I. cap. 88.*

nigni, Comite *Gerardo*, intra regnum Italiæ, in Provincia *Longobardiæ*, Eccleſiam in honore S. Michaelis ſacratam, ſitamque in loco, qui dicitur *Morox*, cum molendino ei proximo, & omni integritate ſediminis, ubi conſtructa conſiſtit, & omnibus ædificiis, ibidem pertinentibus. Inſuper etiam omne prædium duorum fratrum, *Nitardi* & *Godefredi*, quod ipſi Divionenſi Monaſterio tradiderunt, in toto regno Italiæ, quando Monachi effecti ſunt, cum omnibus appenditiis, mancipiis, vineis, pratis, ſylvis, molendinis, paſcuis, cultis & incultis, aquis, aquarumque decurſibus; omnem quoque poſſeſſionem, quæ ad Divionenſe Monaſterium in toto regno Italiæ pertinebat, Domnus *Abbas* Wilelmus prædicto Comiti G. in integrum tradidit, conceſſit & dedit per commutationis hujus teſtamentum, eo tenore, ut ipſe Comes absque ulla contradictione ulterius habeat, poſſideat, & ex his omnibus, quidquid ſibi libitum fuerit, deinceps faciat. E contra vero Comes *Gerardus*, conſenſu ſuæ conjugis *Evæ*, & Parentum, & omnium fidelium ſuorum, prædicto *Abbati W.* tradidit, conceſſit, de ſuo jure tranſtulit, & reddidit *concambium in Regno Lotharienſi*, in Comitatu *Solicenſi*, in villa *Goduncort*, cuncta quæ ad ipſum prædium pertinent, in mancipiis, ædificiis, campis, vineis, pratis, ſylvis, molendinis, paſcuis, cultis & incultis, aquis aquarumque decurſibus, totum in integrum tradidit, conceſſit, & de ſuo jure tranſtulit in jus monaſterii Divionenſis, per manus Domini *Abbatis W.* quo ipſe ſuique ſucceſſores ulterius habeant, poſſideant, & exinde quidquid juſte decreverint, faciant. Ut autem hæc mutua ſupradictorum prædiorum traditio ſtabilior confirmaretur, duplicis teſtamenti teſtimonio ſignata eſt; quæ uterque & Dominus *Abbas W.* & *Comes G.* propriis manibus confirmaverunt, & Dominum Deodericum, Metenſis Eccleſiæ Epiſcopum, cum multis aliis, idem agere rogaverunt, ſtipulatione ſubnixa.

Actum

Actum *Metis* publice, *3. Non. Februarii, anno Incarnat. Domini MXX. Indict. 3.* regnante HENRICO *Imperatore* feliciter, anno regni ejus XVII. Imperii vero V. *Signum* Domini Deoderici Epiſcopi, Gerardi, Giſſeberti, Folmari Comitum, Hermanni, Gomeri, Matfredi, Varini, Euzelini, Boſonis, Rutfridi, Tirzelini, Olarici, Richerii, Godefridi, Rainaldus ad vicem Domini Blidulfi Cancellarii. Ego *Wilelmus* Abbas hanc commutationem ſcribendo firmavi. Ego *Jobertus* Monachus, miſſus *ſubſcripſi.*

LXXXII.

Donatio CONRADI, *Regis Burgundiæ, Monaſterio Paterniaci.*

Ex Archivo Regio Taurinenſi.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.

932. CHUONRADUS, divina Numinis largitione piiſſimus Rex. Mos Regalis Celſitudinis eſt, omnibus ſanctis ſubvenire, ac in cunctis bonis operibus perfectis ſtare. Quapropter noverit omnium fidelium noſtrorum, præſentium ac futurorum, atque omnium Chriſtianorum induſtria, qualiter Nos, una cum Matre noſtra *Berta*, ac fratre noſtro *Rodulpho*, inſpirante pietate divina, & pro remedio animarum noſtrarum ac Parentum noſtrorum, donavimus Eccleſiæ *ſanctæ Mariæ* Paterniaci noſtrum *Allodem & carras*, ut ibidem Deo famulantes ſubſidium haberent, Deo inſpirante, inter cætera impegimus in quandam Cellulam, huic ſacro Ordini aptiſſimam, Baillivo nuncupatam, hanc cum duabus ſylvulis, quæ ſuper ejus rupem eminent, una, quarum frugifera, altera glandifera; Decimam etiam unius vici, in qua ſita eſt cæterarum *morubula*, una *Brioch* nominatur, altera *Chempiniaco*, atque curſum aquæ, quæ ante portas ejus currit, cujus nomen *Bibiuna*, a ſupra dicto *Chempiniaco*, usque in introitu *Muratenſis*

ſis Laci. (a) Hæc omnia cum cæteris dotalitiis, quæ circumquaque adjacent, per interventum prælibatæ noſtræ Matris, ac fratris noſtri *Rodulphi*, & Sororis *Alcidis*, & per noſtri præcepti paginam ſecundum morem noſtrum Regalem corroboramus, quod & fecimus. Volumus namque, ac firmiter per hoc noſtrum præceptum decernimus, ſicut præfatæ cartæ commemorant. Denique & hoc, quod noſter Avus acquiſivit in Pago *Wiliacenſi*, in loco qui dicitur *Curte*, ſimul cum fratre noſtro *Rodulpho*, ſupra dictis rebus adjungimus, ac inſuper *monetam* cum mercato præfati loci, Deo favente, hæc omnia, ſicut ſupra ſcripta ſunt, concedimus Domino Deo & ejus Genitrici, habitatoribusque etiam ſupra memorati loci, ſive *Majolo* Abbati; hæc & cætera, quæ in prædictis cartis inſerta eſſe videntur, de noſtro jure hæreditario, in illorum jus & donationem ſolemni more transferimus, ut habeant, teneant, firmiterque poſſideant, absque alicujus *contradictione Regis aut Imperatoris, ſeu Principis*. Ut autem hoc noſtrum præceptum ab omnibus obſervetur, & a nemine unquam violetur, manu noſtra firmavimus, ac de Sigillo noſtro ſubtus conſignare juſſimus. *Data VI. Idus Aprilis, anno ab Incarnatione Domini noſtri JEſu Chriſti* DCCCC. XXXII. anno, regnante Domino noſtro CONRADO *Rege*, *XXIV. Lauſanna* Civitate feliciter. Amen.

LXXXIII.

Donatio Monaſterio Paterniaci, a Bertholfo, Zeringenſi Duce.

Ex eodem Archivo Regio Taurinenſi.

NOtum ſit omnibus tam præſentibus quam futuris, quod Dominus BERTOLFUS, (a) Dux, villam quæ vocatur FRI- 1178.

(a) *Muratenſis Laci*] vulgo *Morat*, oppidum apud Vaudenſes.

(a) *Bertolfus*] ſive *Bertoldus*, Zeringenſis ſcilicet.

FRIBURG, ædificavit, cujus quarta pars in fundo & allodio ſanctæ Mariæ Paterniacenſis ſita eſt. Conſtruxit autem idem Dux Eccleſiam, in honore *S. Nicolai*, in ea quarta parte prædictæ villæ, quæ ad proprietatem & dominium Paterniacenſis Cœnobii pertinebat; quo facto, Dominus *Petrus*, Prior, & fratres ejusdem Monaſterii, Ducem humiliter adierunt, & multipliciter rogaverunt, ut cauſa Dei & ſalutis ſuæ, & anteceſſorum ſuorum, Eccleſiæ Paterniacenſi terram ſuam traderet, qui communicato conſilio cum hominibus ſuis, laudante *filio ſuo B.* (b) allodium Beatæ Mariæ, & quod ſuper eum ædificatum erat, ſcilicet eccleſiam S. Nicolai cum cimiterio & duobus caſalibus, ad domum Monachorum conſtruendam, Priori & fratribus prædictis, in pace & ſine alicujus contradictione reddidit. Quæ redditio ut in æternum rata permaneat, ſigilli autoritate eam corroboravit. Hujus *rei teſtes* ſunt Ottho de Balniis, Nantelmus de Rubeo monte, Præpoſitus Salodorenſis, Amedeus, Comes Gebennenſis, Aldricus de Novocaſtro, Walcherus de Blonacho, Rodulſus de Montaniaco, Cono de Stavail, Warnerius de Sigena. Hugo de Egiſtor, & quam plures Friburgenſes. *Actum eſt iſtud anno ab Incarnat. Domini* MCLXXVIII.

LXXXIV.

Diploma FRIDERICI *Imperatoris*, *pro Monaſterio Paterniaci.*

Ex eodem Archivo Regio Taurinenſi.

— In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.

1236. FRIDERICUS *Rex*, *divina favente Clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus*, *Jeruſalem & Siciliæ Rex.* Imperialis eminentia tunc præcipue ſui nominis titulos ampliat, cum

(b) *Filio ſuo B*] id eſt Bertoldo, ejus nominis V. & hujus illuſtriſſimæ familiæ ultimo.

Google

cum divinæ pietatis intuitu, per quam poteſt, Principibus orbis terræ loca venerabilia pro favore proſequitur, & juſtas eorum favorabiliter petitiones admittit. Eapropter univerſis Imperii fidelibus, tam præſentibus quam futuris, volumus eſſe notum, quod venerabilis *Prior* & Conventus Monaſterii *Paterniacenſis* fideles noſtri, quoddam Privilegium, eis indultum a *Divo Avo noſtro* (a) FRIDERICO inclytæ recordationis *Auguſto, tempore Regni* ſui, noſtræ Celſitudini præſentarunt, humiliter ſupplicantes, ut illud eisdem innovare de noſtra gratia dignaremur. Cujus tenor eſt per omnia talis &c. Nos igitur ſuis ſupplicationibus benigne inclinati, attendentes fidem, & ſinceram devotionem, quam erga Celſitudinem noſtram habet, Privilegium ipſum confirmamus. Et ut hæc innovatio robur firmitatis obtineat in perpetuum valiturum, præſens Privilegium fieri, & Bulla aurea typario noſtræ Majeſtatis impreſſa juſſimus inſigniri. Hujus rei teſtes ſunt Syfridus *Maguntinenſis Archiepiſcopus,* Sifridus *Ratisponenſis Epiſcopus, Imperialis Aulæ Cancellarius,* Rivogerius *Batavienſis Epiſcopus*, Conradus *Spirenſis Epiſcopus*, Hermannus *Magiſter domus Theutonicorum* in Jeruſalem, Raſpo *Landgravius* Thuringiæ. Signum *Friderici II. Dei gratia Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti, Jeruſalem & Siciliæ Regisglorioſiſſimi.* Ego SYFRIDUS *Ratiſponenſis Epiſcopus, Imperialis Aulæ Cancellarius,* vice Domini *Maguntini, in Germania Archicancellarii* recognovi. Actum *hoc anno Dominicæ Incarnat.* M C C X X X V I. *menſe Aprili, Indict. 9. imperante Domino noſtro* FRIDERICO II. *Dei gratia invictiſſimo Romanorum Imperatore ſemper Auguſto, Jeruſalem & Siciliæ Rege, anno Imperii ejus* XVII. *Regni Jeruſalem* XI. *Regni vero Siciliæ* XXXVII. *Datum* apud *Spiram* feliciter. *Amen.*

(a) ***Divo Avo noſtro Friderico***] ſcilicet II. cujus ***diploma*** ſupra dedimus.

LXXXV.

Notitia Prioratus Ynimontis.

Ex Cartulario hujus Eccleſiæ.

1107. DOminus *Berlio de Turre*, (a) & filii ejus, *Giroldus* & *Walo*, dederunt, quidquid in hac Terra habebant, vel alii de eis, ita, ut Dominus *Humbertus* (b) melius inquirere & intelligere potuit. *Teſtes* fuerunt *Amblardus* Miles, & *Fulcho*, & *Gausmarus*, & multi alii. Actum anno MCVII.

LXXXVI.

Litera HENRICI *Romanorum Regis*, *Epiſcopo Valentino*, *pro Ademaro de Pictavia*, *Valentinenſi Comite.*

Ex eodem Archivo Regio Taurinenſi.

HENRICUS, *Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus.* Venerabili *Epiſcopo Valentino*, *Principi* (a) ſuo dilecto, gratiam ſuam & omne bonum. Gravem querelam Nobilis Viri *Aymari de Pictavia*, Comitis Valentini, recepimus, continentem, quod, licet ipſe & prædeceſſores ſui *Comitatum Valentinenſem* tanquam Domini ipſius Comitatus Comites tanto tempore non tenuerint, cujus contrarii memoria non exiſtit, tu tamen tuorum prædeceſſorum non contentus limitibus, hujusmodi Comitatum tibi uſurpas, te ſcribi in *certis monetis* & *nummis*, etiam nominari faciens, *Comitem*, in ſui præ-

(a) *Dominus Berlio de Turre*] a quo ſeries Dominorum de Turre-Pini, olim apud Delphinates & Sebuſianos noſtros potens, & quæ tandem Delphinatum & Comitatum Albonenſem, titulis ſuis *Annæ Delphinæ* matrimonio adjunxit.

(b) *Dominus Humbertus*] primus *Ynimontis* Prior.

(a) *Principi ſuo*] inſigne pro Epiſcopis Valentinenſibus monumentum, quo Principes Imperii tunc temporis vocabantur.

præjudicium, injuriam & gravamen. Unde ſinceritati tuæ damus firmiter in mandatis, quatenus a talibus deſiſtere debeas, nec aliquam novitatem contra modum & formam tuorum prædeceſſorum inchoes vel attentes. Et ſi quod in contrarium per te attentatum exiſtit, hoc provide ſtudeas revocare. Alioquin ſibi ſuper præmiſſis providere cogitabimus de remedio oportuno. Datum *Mediolani 18. Kal. Febr. regni noſtri anno 3.*

LXXXVII.

Diploma CAROLI *Romanorum Regis, quo Aymarum a Pictavia, Comitem Valentinenſem,* VICARIUM IMPERII *conſtituit in Regnis Arelatenſi & Viennenſi.*

Ex Archivo Regio Taurinenſi.

CAROLUS, *Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, & Bohemiæ Rex, Venerabili Epiſcopo* Valentinenſi, Principi ſuo *dilecto gratiam ſuam & omne bonum.* Quia de ſpectabilis *Aymari*, Comitis Valentini & *Dyenſis*, Conſanguinei & fidelis noſtri, chariſſimi, circumſpectionis induſtria & conſtantis fidei probitate obtinentes præſumtionem fiduciæ ſingularem, ipſum, maturo noſtro Principum conſilio præcedente, *Arelatenſis & Viennenſis Regnorum,* nec non in univerſis & ſingulis terris, appenditiis & diſtrictibus pertinentibus ad eadem, *noſtrum & Sacri Romani Imperii fecimus & conſtituimus Vicarium generalem.* Eapropter devotionem tuam requirimus & hortamur, injungentes tibi nihilominus serioſe, quatenus ſupradicto Comiti *Aymaro* in omnibus & ſingulis, quæ ad ejusdem *Vicariatus* ſpectant *officium*, ſine quavis difficultate, ſeu contradictione *parere* & intendere debeas, & efficaciter *obedire*, nullam in hoc prætextu excuſationis aliqualis negligentiam

Rr 3 com-

(a) *Carolus*] ſcilicet hujus nominis *quartus.*

commiſſuro. Datum *Lucemburgi, die 16. Martii Regnorum noſtrorum anno 3.*

LXXXVIII.

Donatio Otthonis Imperatoris, Aymoni Comiti.

Ex Archivo Regio Taurinenſi.

In nomine Sanctæ individuæque Trinitatis.

963. OTTO, (a) divina providente clementia *Imperator Auguſtus.* Si rectis noſtrorum fidelium petitionibus aſſenſum præbemus, promtiores eos in noſtro fore obſequio minime dubitamus. Quocirca omnium Sanctæ Dei Eccleſiæ fidelium noſtrorumque, præſentium ſcilicet ac futurorum, comperiat induſtria, qualiter interventu atque conſultu amatiſſimæ noſtræ conjugis, noſtrique *Imperii Conſortis*, per hanc noſtri præcepti paginam concedimus, donamus atque largimur *Aymoni Comiti*, (b) dilectoque noſtro fideli, *Corticulas* duas juris Regni noſtri, in Vercellenſi Comitatu conjacentes, quæ *Andurni* & *Molinaris* nominantur, una cum Capellis, Villis, Maſſaretiis, rupibus, planiciebus, terris cultis & incultis, molendinis, piſcationibus, *Aldionibus* & *Aldiadibus* utriusque ſexus, familiis, diſtrictis, publicisque vectigalibus & penſionibus, omnibusque quæ dici & nominari poſſunt ad prædictas Corticulas in integrum pertinentibus, nec non & noſtro jure & dominio in præfati Comitis jus & dominium omnino transfundimus & delegamus. Inſuper hac noſtra præceptali authoritate confirmamus & corroboramus eidem fideli noſtro omnes res, & utriusque ſexus familias juris ſui, videlicet Cortes Alicæ,

(a) *Otto*] hujus nominis primus, qui regnare incœpit anno ſalutis 936.

(b) *Aymoni Comiti*] ſive potius *Annoni* Comiti Marchioni *Seguſiæ*, ut in aliis Diplomatibus vocatur.

cæ, Cavaliaga, Caſanova, Ropali in Vercellenſi Comitatu conjacentes, atque Caxana, Bremita, Ticinenſæ, Zeutiano, Aſtelliano, Gomaroſo, Caltranaxo, Calvarengo & Fraſſinetu in Lomellenſi Comitatu, una cum Caſtellis, Villis, Capellis, Maſſaritiis, Campis, Inſulis, aquis, molendinis, piſcationibus, diſtris, penſionibus, Aldionibus & Aldiabus, ſervis & ancillis, omnibusque, quæ dici vel nominari poſſunt, ad prædictas Curtes & res pertinentibus in integrum. Propterea, ſi de prædictis rebus a Nobis conceſſis, & de prætaxatis a Nobis confirmatis, legales querimoniæ contra eum ortæ fuerint, aut de eorum terminis litigaverint, hac noſtra imperiali autoritate concedimus, & ut *per inquiſitionem & ſacramentum trium liberorum* hominum liceat eum affirmare, quod jure proprietario inde inveſtitus fuerit, & eas firmiter tenuerit, ac deinde habeat & teneat, firmiterque poſſideat ipſe, ſuique hæredes, habeantque poteſtatem tenendi, donandi, vendendi, commutandi, pro anima judicandi, & quidquid eorum decreverit animus faciendi, omnium contradictione remota. Si quis ergo contra hanc noſtri præcepti paginam interpretaverit, aut infringere præſumpſerit, ſciat ſe compoſiturum auri optimi libras centum, medietatem Cameræ noſtræ, & medietatem prædicto Comiti ſuisque hæredibus. Quod ut verius credatur, diligentiusque ab omnibus obſervetur, manu propria roborantes, annulo noſtro ſubter juſſimus inſigniri. Signum Domini OTTONIS, *Invictiſſimi Imperatoris Auguſti. Lutagerius* Cancellarius, *ad vicem* Guidonis Epiſcopi & *Archicancellarii* recognovi & ſubſcripſi. *Data 3. Idus Auguſti, anno Dominicæ Incarnationis nongenteſimo ſexageſimo tertio, Indict. ſexta, Imperii ſereniſſimi* OTTONIS *Imperatoris 27. actum* Papiæ.

LXXXIX.

LXXXIX.

Donatio Otthonis, Imperatoris Manfredo Marchioni.

Ex eodem Archivo Regio Taurinenſi.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.

966. OTTO, (a) divina favente clementia Rex. Si dignis noſtrorum fidelium petitionibus aſſenſum præbemus, promptiores eos in noſtro fore obſequio minime dubitamus; quocirca omnium Sanctæ Dei Eccleſiæ fidelium, noſtrorumque præſentium ſcilicet ac futurorum comperiat induſtria, qualiter interventu atque conſultu dilectiſſimæ Matris noſtræ THEOPHANIÆ, Imperatricis Auguſtæ, per hanc noſtri præcepti paginam, prout juſte & legaliter poſſumus, confirmamus & corroboramus MANFREDO, (b) filio quondam *Aymonis*, noſtroque dilecto fideli, corticulas quaſdam, quas præceptali dono *Sereniſſimi Avi noſtri*, OTTONIS MAGNI *Imperatoris*, Pater ipſius obtinere viſus eſt, in Comitatu Vercellenſi, quarum nomina iſta ſunt, videlicet Audurni, Molinaria, Gallanico, Mutiano, Ponderano, Aſidola, Canderio, Traverio, una cum Capellis, Villis, Maſſaritiis, rupibus, planiciebus, terris cultis & incultis, aquis, molendinis, piſcationibus, Aldionibus, & Aldiabus utriusque ſexus, familiis diſtrictis, publicisque vectigalibus, quæ dici vel nominari poſſunt, ad prædictas Curticulas in integrum pertinentibus, per hujus noſtri præcepti cautionem & authoritatem, in præfati Manfredi, noſtri dilecti fidelis, jus & dominium penitus transferimus, & confirmamus, & corroboramus. Inſuper pro hac noſtra præceptali firmitate confirmamus & corroboramus idem fideli noſtro omnes res & familias utriusque ſexus,

(a) *Otto*] tertius ſcilicet, qui imperare cœpit anno ſalutis 973.

(b) *Manfredo*] qui alibi *Hieronymus Manfredus* duplici nomine appellatur.

ſexus, juris ſui, videlicet Curtes, Alicæ, Cavaliaga, Caſanova, Ropoli in Vercellenſi Comitatu conjacentes, atque Canna, Bremito, Tignenſo, Zeutiano, Aſtelliano, Gomoroſca, Galdavazo, Calvarengo & Fraxeneto, in Lomellenſi Comitatu ſitas, una cum Caſtellis, Villis, Capellis, Maſſaritiis, vineis, campis, inſulis, aquis, molendinis, piſcationibus, diſtrictis, penſionibus, Aldionibus & Aldiabus, ſervis & ancillis, omnibusque, quæ dici vel nominari poſſunt, ad prædictas Curtes pertinentibus in integrum. Confirmamus etiam prænominato fideli noſtro, hac noſtra authoritate, Curtem de *Bragario*, cum ſervis & ancillis, & omnibus pertinentiis ejus; Curtem vero de *Vitigniano*, cum ſervis & ancillis, & omnibus pertinentiis ejus. Præterea, ſi de prædictis rebus a Nobis confirmatis legales querimoniæ coram eo exortæ fuerint, aut de eorum terminis litigaverint, hac noſtra regali authoritate concedimus, & ut per inquiſitionem & ſacramentum *trium liberorum hominum liceat ei aſſirmare, quod jure proprietario inde inveſtitus fuit, & eas firmiter tenuerit, ac deinde habeat & teneat firmiterque poſſideat,* ipſe, ſuique hæredes habeant poteſtatem tenendi, donandi, commutandi, pro anima judicandi, & quidquid eorum decreverit animus faciendi, omnium hujusmodi contradictione remota. Si quis ergo contra hanc noſtri præcepti paginam ire tentaverit, aut infringere præſumpſerit, ſciat ſe compoſiturum auri optimi libras centum, medietatem Cameræ noſtræ, & medietatem præfato *Manfredo*, ſuisque hæredibus. Quod ut verius credatur, diligentiusque ab omnibus obſervetur, hanc paginam manu propria roborantes, *annulo noſtro* ſubter juſſimus inſigniri. *Signum* Domini OTTONIS, *invictiſſimi Regis*. ADEBERTUS *Cancellarius*, ad vicem Petri *Epiſcopi & Archicancellarii* recognovi & ſubſcripſi. *Data XI. Cal. Novembris, anno Dominicæ Incarnationis nongenteſimo ſexageſimo ſexto, Indict. I. anno vero tertio Ottonis.*

XC.

Donatio ARDUINI *Regis*, *Eccleſiæ Vercellenſi.*

Ex Archivo S. Euſebii Vercellenſis.

In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.

1003. ARDOINUS, Dei gratia Rex, fidelium petitionibus aſſenſum præbemus - - - omnium fidelium noverit induſtria, & ſanctæ Eccleſiæ Epiſcoporum, tam præſentium quam futurorum, noverit ſolertia, qualiter interventu & petitione *Bertæ,* chariſſimæ *Conſortis,* regni noſtri participis, prout juſte & legaliter poſſumus, confirmando corroboramus atque largimur *Cuniberto,* Vercellenſis Eccleſiæ Præpoſito, atque *Cancellario noſtro, Curtem Decianam,* (a) ſibi jure proprietario pertinentem, cum Caſtro & Capella ibidem conſiſtente, una cum manſis, terris, vineis, pratisque. Signum Domini *Ardoini,* Sereniſſimi & invictiſſimi Regis. - - - *vice* Petri *Reverendiſſimi Epiſcopi & Archicancellarii* recognovi. Datum *anno Incarnat. Dominicæ* 1003.

XCI.

Bulla ADRIANI *Papæ Confirmatoria Privilegiorum & Jurium Monaſterii Agaunenſis.*

Ex ejusdem Eccleſiæ Cancellaria.

In nomine Domini Dei æterni, & Salvatoris noſtri JEſu Chriſti.

ADRIANUS, (*) humillimus omnium ſervorum Dei, & in *ſancta Sede Romana, totius orbis Magiſtra,* non meritis propriis, ſed interceſſione Beatiſſimi Apoſtolorum Principis Petri, ab omnipotente Deo in *Apoſtolatus* arce electus; quia

(a) *Curtem Decianam*] antiquum eſt *Titionæ* familiæ apud Inſubres Caſtrum, Comitatus titulo poſtea decoratum.

(*) *Adrianus*] II. ſcilicet, qui ſedere Romæ cœpit anno ſalutis 871. Hujus Bullæ meminerunt clariſſimi & eruditiſſimi SAMMARTHANI *fratres*, *Gall. Chriſt. tom. 4.*

quia Dominus oves proprias, quas ſub ſancto ac pretioſo ſanguine acquiſivit, Beato Petro paſcendas commiſit. Conſtat nimirum, cunctos Dei cultores ipſius ſubjici tuitioni, cujus Nos ubique non diffidimus protegi patrocinio. Quapropter ſatis convenienter omnes Chriſtianos oportet ad ſanctam Matrem Eccleſiam & Apoſtolicam ſedem præbere concurſum, taliter, ut & devotio conditoris convenienter ſortita eſſe videatur effectum, & piæ conſtructionis oraculi in privilegiis elargiendis minime deneget auxilium. Igitur quia poſtulavit a nobis KAROLUS, (b) *Excellentiſſimus Rex Francorum*, quatenus Monaſterium ſanctorum Agaunenſium, in *Regno Burgundiæ* ſitum, ſuper Rhodano fluvio, quod in honore Beati Mauritii, vel aliorum Martyrum SIGISMUNDUS, *bonæ memoriæ Rex*, conſtruxiſſe dignoſcitur, in quo *Alteus* Epiſcopus Abbas præeſſe videtur, privilegio cum Apoſtolicæ Sedis infulis decoretur, & ſub ſancta, cui Deo authore præſidemus, Eccleſia conſtitutum, præteritorum Regum ordine glorioſi, videlicet Regis *Sigismundi* ac cæterorum Regum ordine glorioſi videlicet, poſt ipſa ſtatuta & privilegia ejusdem Monaſterii noſtri, iterum Præſulatus honore conſentientes confirmemus, ut nullatenus ullo deinceps tempore irrumpantur, & conjacentes terras *in Francorum finibus*, ſcilicet *in Senonenſi Comitatu*, ſub privilegii authoritate colligamus Abbatiam *Monaſterioli*, ubi Sonna & Senna conveniunt, cum ſuis omnibus pertinentiis & adjacentiis, & *Talſmiacum* cum integris appenditiis, & ſaltuum redditionibus, in Comitatu *Pontico* ſupra *Quantia* flumen, omni cum ſua integritate ſeu appenditiis Vertunum ſtat, ubi Eccleſia in honore B. Michaëlis ubique Salmum producitur, & Noniono cum Eccleſia in honore Almi Mauritii, nemus cæteræque ad eandem terras ſubjacentes ac pertinentes, Curtem, & in Epiſcopatu Edunenſi ſive

(b) *Karolus*] III. qui poſtea Imperium obtinuit.

Auguſtodunenſi Caſtellum de Sine-muro, ſicut clauditur Armenzona flumine, cum ſuppoſita Eccleſia, in honore S. Mauritii dedicata, cum decimis & Parrochiis, cum villis, his nominibus: Ravaniaco, Sanciaco, Sarniaco cum molaribus, molendinis, aquis, aquarumque decurſibus, ſylvis, paſcuis & omnibus redditionibus, eidem Caſtello vel villis prædictis pertinentibus. Præterea piis deſideriis filii noſtri, Regis Francorum, aſſenſum accommodantes, Agaunenſis Monaſterii congregationis mandatis inhærentes, Sedisque Apoſtolicæ Regulam ſervantes, per hujus præceptionis noſtræ authoritatem, id quod expoſcimus, effectu mancipamus, & ideo nulli cujuslibet Eccleſiæ Sacerdoti in præfato Monaſterio quodlibet ſui Prioratus Pontificium, niſi fratrum invitatione, permittimus habendum. Nec etiam illi, qui Civitatem Valentiam nunc habere dignoſcitur, vel fuerit poſtea acquiſiturus, liceat quamlibet ditionem, niſi ſupradicta conditione, ſeu poteſtatem extendere, hac authoritate quidem præter ſedem Apoſtolicam prohibemus per hujus decreti paginam, interdicendo omnibus omnino cujuslibet Eccleſiæ Præſulibus, vel cujuscunque honoris dignitate præditis, ſub anathematis vinculo, ne in prænominato Monaſterio quodlibet exerceant dominium, nec ſacros ordines, nec ſacrarum Miſſarum ſolennia celebrent, ſine voluntate Abbatis, & fratrum, ibi Deo famulantium. Quicumque vero hujus ſeriem noſtræ inſtitutionis auſus fuerit evertere, vel ipſarum ſcripturarum ſanctiones, quæ a Regibus conſtitutæ ſunt, & præfato Monaſterio ſub privilegio, quolibet modo vel tempore tentaverit violare, anathematis dominationi ſubjaceat. Adrianus, Deo authore, in hac ſerie privilegii, ob amorem Dei & ſanctorum Martyrum honorem a me facta, relegens ſubſcripſi, ac Epiſcopos quosdam noſtri Præſulatus præſentes adnotare juſſi. *Maurus,* peccator juſſus a Domino Papa ſubſcripſi. *Aurelius,* peccator Epiſcopus, juſſus a Domino Papa ſubſcripſi. *Agnellus,* peccator Epiſcopus, juſſus

juſſus a Domino Papa ſubſcripſi. *Sabaudus* peccator Epiſcopus, juſſus a Domino Papa ſubſcripſi. *Harion* Epiſcopus peccator, juſſus a Domino Papa ſubſcripſi. *Leo* peccator Epiſcopus, juſſus a Domino Papa ſubſcripſi. *Anaſtaſius* peccator Epiſcopus, juſſus a Domino Papa ſubſcripſi. *Amatus* peccator Epiſcopus, juſſus a Domino Papa ſubſcripſi. Item *Benedictus* peccator Epiſcopus, juſſus a Domino Papa ſubſcripſi. Ego *Stephanus* Capuanus, *Cancellarius Romani Palatii,* juſſus a Domino Papa adnotavi.

XCII.

Privilegium, a Comite Foreſii Monaſterio Caſſaniæ conceſſum.

Ex vetuſto hujus Monaſterii Cartulario.

SCiant poſteri, quod GUYGO, *Forenſium Comes,* & GUYGO filius ejus, *Miles,* dederunt pro ſua & prædeceſſorum ſuorum ſalute, venerabili loco *Caſſaniæ* (a) leydas, padagia, eis vel hæredibus eorum quomodocumque debita; paſcua etiam per totam terram, ſine tamen eorum hominum gravi incommodo. Qui quidem *Guygo* pater & filius, delictorum ſuorum non immemores, dictæ donationi ſuperaddiderunt *uſus & conſuetudines,* quæ in portibus aquarum terræ eorum, a tranſeuntibus exiguntur. Præterea libere remiſerunt territorium de Fonte Vouderiæ, quod a Fratribus Hoſpitalis antea poſſidebatur. Item manſum de Doriorio, Terram de Maynis. *Teſtes* Petrus Solerii, Hugo de Marliaco, Bernardus de Meyſerieu.

Ss 3 XCIII.

(a) *Caſſaniæ*] vulgo *Chaſſagne*, Monaſterium Ordinis Ciſtercienſis apud Sebuſianos noſtros.

XCIII.

Verpitio Hugonis, Domini de Toria, Eccleſiæ Matisconenſi.

Ex Cartulario hujus Eccleſiæ.

OMnibus Sanctæ Dei Eccleſiæ filiis tam præſentibus quam futuris, notum fieri volumus, quomodo HUGO DE TORIA, (a) de placito, quod cum Sanctæ Dei Matisconenſis Eccleſiæ Canonicis anteceſſores ſui, & ipſe fecerant, diu, licet injuſte, calumniam intulit; quapropter Dominus & Venerabilis *Berardus, Matisceniſis Eccleſiæ Præſul,* atque *Canonici,* cum præfato *Hugone* in villa *Taxoniaci* (b) convenientiam habuerunt, ubi jam bis nominatus *Hugo* ſuam injuſtitiam, juſtitiamque Canonicorum recognoſcens, quidquid in poteſtate. - - - in terra *S. Andreæ*, & *S. Vincentii*, vel in Cimiterio, ſeu manſum, ſeu orationem, ſive quid aliud calumniaverat, quidquidve *Feodarii* ab eo in his locis habere dicebantur, uxore ſua laudante & confirmante, Deo & pretioſiſſimo Martyre Vincentio, omnimoda Verpitione finivit, & ut deinceps Canonici, Deo inibi ſervientes, libere poſſiderent, conceſſit; adjungens, quod ſi *Feodarii* aliquam moverent inquietudinem, ſe nullum inde eis præbere auxilium ſeu teſtimonium, nec per juſtitiam, quam prælibati Canonici ſuper eos exercerent, aliquo modo illis moleſtus fieret. Hoc fecit jam ſæpe nominatus *Hugo de Toria* & *uxor ſua*, per manum Domini *Berardi,* (c) Epiſcopi Matiscenſis, & *Gauceranni* Præcento-

(a) *Hugo de Thoria*] Gentis *Thoriana* & de Villariis, illuſtriſſimæ & Nobiliſſimæ apud Sebuſianos familiæ caput.

(b) *Taxoniaci*] vulgo *Teyſſonge*, juxta Sebuſianorum oppidum.

(c) *Berardi, Epiſcopi Matiscenſis*] cognomine de Caſtellione-Milonis, Domini Caſtellionis, ad oram Dombenſem filii, qui Matisconi ſedit anno 1046. Hujus cartæ meminimus in Hiſtoria noſtra Sebuſiana, in Genealog. Familiæ de Thoire.

centoris. *Teſtes* autem hujus rei ſunt: Stephanus de S. Cirico, Petrus de Beyviers, Gaucerannus de Meſpiliaco, Otgerius de S. Cirico, Leodegarius de Vallegrignoſa, Wido d'Arbent, Letholdus de Coyſiaco.

XCIV.

Carta fratrum de Thoria, Carthuſiæ Majorevi.

Ex antiquo hujus Eccleſiæ Cartulario.

NOverint tam præſentes quam futuri, quicumque hoc ſcriptum vel legerint, vel audierint, quod Dominus WILELMUS de THORIA, (a) & fratres ejus HUMBERTUS & GISSEBERTUS, Matre quoque eorum, & Uxore ipſius *Wilelmi,* laudantibus, dederunt in perpetuum, & vendiderunt fratribus *Majorevi,* quidquid infra terminos ipſorum fratrum juris & dominii habebant, ſed & ſi quid extra terminos ad terras concabiandes, acquirere voluerint, quod ad ipſos aliquo modo pertineat, totum ſimiliter conceſſerunt, nec non & paſcua per totam terram ſuam, & ad portum *Toriæ,* liberum tranſitum eodem pacto, quo ſupra dicta donaverunt, & quod majus eſt, fidelem amicitiam, & manutenentiam promiſerunt. Hoc autem factum eſt in Conventu omnium Monachorum *Majorevi, præſente* Domino Humberto Priore, & quatuor *fratribus Laicis,* Bonofilio, Girardo, Humberto, Wilelmo Chatboldi; *Sæculares* vero fuerunt hi: Hugo de la Balma, Stephanus de Mornaco, Wilelmus de Nath Milites, & Wilelmus Piſchardi. Pro hac vero donatione & venditione acceperunt a fratribus prædictis quatuor libras Gebennenſis monetæ. STEPHANUS (b) *Comes Burgundiæ,* fratribus Majorevi ſalutem & omne bonum; Dona-

(a) *Wilelmus de Toria*] Hugonis, de quo mox locuti ſumus, Nepos.

(b) *Stephanus Comes Burgundiæ*] e cujus feudo tunc temporis ea *Bugeſiæ* pars, quæ Terra *Montanea* vocabatur, dependebat, ut fuſius explicatum eſt in *Hiſtoria noſtra Sebuſiana.*

Donationem & venditionem Patres & Domini chariſſimi, quam fecerunt vobis *Domini de Toria*, quoniam de *noſtro feudo* eſt, dono & concedo vobis hilari & devoto animo, veſtriſque ſucceſſoribus in perpetuum, pro ſalute animæ meæ & anteceſſorum meorum, quod donum meum ideo donationi eorum ſuppoſui, ne quis poſterorum, vel meorum, vel ipſorum ſuper hoc inquietet vos. Factum eſt hoc anno Domini milleſimo centeſimo ſexageſimo quarto.

XCV.

Epiſtola H. Domini Baugiaci, quibusdam Abbatibus.

Ex Cartulario Cluniacenſi.

Viris venerabilibus, Abbatibus de *Fontaneto*, & de *Alba-Ripa*, & Priori de *Fontaneto*. (a) *H. Dominus Baugiaci*, (b) ſalutem & reverentiam. Si bene recolitis vos, quando Terram de Chanlita, authoritate Domini Papæ, ſicuti vobis placuit, abſolviſtis, A. Præpoſito de *Corveya*, in præſentia Domini Ducis, & de ejus mandato, quia illius cauſæ cognitio vobis eſt a Domino Papa commiſſa. Supplicamus igitur vobis, quod ipſi & nobis diem & locum aſſignetis, ubi coram vobis juri parituri comparere poſſimus. Volumus autem, quod quæcumque de domo Cluniaci ad vos, ex parte noſtra veniat, ipſum tanquam nos in jure noſtro petendo exaudiatis, quia liberam & generalem adminiſtrationem domui Cluniaci in cauſa iſta conceſſimus, & ipſam procurationem virem ſuam ſuper

(a) *Fontaneto*] vulgo de *Fontenoy*, & *d'Auberive*, & *Alba-Ripa*, Monaſteria Ordinis Ciſtercienſis, quorum primum eſt in Heduenſi, alterum in Lingonenſi Diœceſi.

(b) *H. Dominus Baugiaci*] id eſt, Hugo, ſed qualis fuerit, adhuc incertum eſt; cum tres hujus familiæ fuerint Baugiaci & Sebuſiæ Dynaſtæ.

Digitized by Google

ſuper tertia parte *dotalitii* filiæ noſtræ conſtituimus, ratum habituri, quidquid ipſa faceret, ſive in agendo, ſive in defendendo, ſive tranſigendo, ſive aliud pro alio mutando.

XCVI.

Venditio Domini Montislupelli, Abbati Inſulæ Barbaræ.

Ex Cartulario hujus Eccleſiæ.

UNiverſis præſentes literas inſpecturis. HUMBERTVS, 1235.
Dominus Montislupelli, ſalutem & notitiam rei geſtæ. Univerſitati univerſæ volumus fieri manifeſtum, quod Nos nulla fraude inductus, nulla doloſa machinatione circumventus, nullo etiam pacto alio, vel conventione interveniente, imo ex certa ſcientia, & ſpontanea voluntate vendidimus, ceſſimus, & in perpetuum reliquimus, venerabili *W.* Abbati, & *Eccleſiæ Inſulæ Barbaræ,* quidquid juris vel uſagii, ſive dominii habebamus, poſſidebamus, detinebamus, vel quaſi, vel alius nomine noſtro in Prioratu, villa & hominibus *de Rillieu,* (a) & in toto territorio, & in Parrochia ejusdem, & unum Piſcatorem in *Eſchais,* cum illa libertate & facultate piſcandi, quam noſtri habebant proprii piſcatores, pro videlicet centum *libris Turonenſibus* probatæ & legitimæ monetæ, & quam pecuniam confitemur, & recognoſcimus *numeratione, & reali ſolutione fuiſſe plenarie ſatisfactum.* Confitemur etiam, *dictam pecuniam in utilitatem noſtram, & commodum eſſe verſam;* Et ſi dictæ res plus dicto pretio valent, vel aliquando valerent, illud totum pure in eleemoſynam conceſſimus & donavimus Abbati & Eccleſiæ memoratæ. Promittentes Nos & *Petrus,* filius noſter, tactis corporaliter ſacroſanctis Evangeliis, per Nos & hæredes, ſive ſucceſſores noſtros, quod con-

(a) *Rillieu*] apud Sebuſianos meos in confinio Sebuſiani & Lugdunenſis territorii.

contra hanc venditionem, donationem, ſucceſſionem, nullo tempore, nulla ratione, ſeu occaſione in toto, vel in parte veniremus, nec aliquis arte noſtra, vel ingenio, vel ope, vel conſilio. Imo ſi quis dictam Eccleſiam, ſuper præfatis aliquando moleſtaret, Nos in jure & extra jus, pro Eccleſia opponeremus, & cauſam pro poſſe noſtro ſervaremus indeſinenter; promittentes nihilominus de evictione ſatisfacere, & inde obligavimus omnia bona noſtra, omnia vero pacta memorata, univerſa & ſingula promiſimus Nos, & *Petrus*, filius noſter, ſub præſtito juramento dicto Abbati, nomine Eccleſiæ ſuæ, & ſucceſſorum ſuorum hæc ſtipulanti, & recipienti per Nos & hæredes, ſive ſucceſſores noſtros ſemper inviolabiliter obſervare; inſuper ad majorem ſecuritatem dedimus *fidejuſſores*, & obſides juratos de pactis perpetuo obſervandis, videlicet Guygonem de Buyes, Hugonem de Chalamont, Berardum de Loyes, Falconem de Moiſon, Berlion de Montelier, G. de Satonay, Humbertum de Montelier, Guidonem Deſchas, Petrum de Loyes, Domicellum, Hugonem de Neuro, L. de Ruafolla, Aymonem de Ruafolla, Jo. de Porta, & Hugonem de Bayno, qui ad commonitionem Abbatis, vel ſui nuntii, debent tenere oſtagia *Lugduni*, nec inde ſe movere, donec ipſi Abbati & Eccleſiæ eſſet plenarie emendatum, quidquid foret contra pacta dicta ſuperius attentatum, & unusquisque ſupradictorum fidejuſſorum in ſolidum tenetur; renuntiantes tam Nos, quam fidejuſſores noſtri ex certa ſcientia *exceptioni minoris pretii, & exceptioni non numeratæ pecuniæ, & non habitæ, & privilegio fori, & exceptioni doli, & errori in factum, & omni auxilio Legum & Canonum, & omni juri ſcripto*, & *non ſcripto* promulgato, aut promulgando, & conſuetudinario, nobis & ipſis competenti, vel competituro, quo contra factum iſtud venire poſſemus. In cujus rei teſtimonium præſentes literas eidem Abbati dedimus Sigilli noſtri, & Sigilli Petri filii noſtri munimine roboratas. *Actum* anno Domini 1235. *M. Aprili.*

XCVII.

XCVII.

Immunitas Pedagii & Leydæ, a Domino de Villars, Monaſterio Caſſaniæ.

Ex Cartulario ejus Eccleſiæ.

GVICHARDUS, Dei gratia *Archiepiſcopus Lugdunenſis, Apoſtolicæ Sedis Legatus,* omnibus in perpetuum. Notum fieri volumus, tam præſentibus quam futuris, quod *Stephanus, Dominus de Villars,* (a) per manum noſtram dedit Deo, & fratribus de *Chaſſania* in perpetuum, terras, prata, nemora, paſcua, quæ ſunt in omni terra ſua, & tranſitum aquarum; dedit etiam, ut nusquam in omni dominio ejusdem domus *de Chaſſania,* ſolvat leydas, vel pedagia, vel aliud, quod ad jus mercati pertineat; hoc etiam addidit, ut ſi quid fratres de *Chaſſania* præſentes, vel poſteri, de feudis iſtius *Stephani* acquiſierit, vel aliquo modo acquirere potuerit, in liberum allodium eis cedat, ſuper iis prohibuit, ut nullus ſucceſſorum vel hæredum ejus, hæc ſuæ largitionis dona, aliquatenus temerarie mutare præſumat. Ut autem hæc & alia, quæ fratres de Chaſſania, prædicto, vel alio modo acquiſierint, vel acquirere potuerint, firma & inconcuſſa in perpetuum maneant, rogatu *Stephani,* Sigilli noſtri impreſſione muniri curavimus; & notandum, quod idem Stephanus, quando hoc *donum per manum noſtram fecit, nullum de uxore ſua infantem habebat.* Quando vero *ſigillari* curavit, interfuerunt Vitfredus, Abbas Chaſſaniæ, Berardus de Loyes, Petrus de Vaſſaliaco, Petrus de Palude, Stephanus de Quinciaco, Hugo de Caſſiaco milites.

(a) *Stephanus de Villars*] hujus familiæ ultimus, qui *Agnetam Dominam de Villars* unicam filiam reliquit, *Stephano Toriæ Regulo* nuptam.

XCVIII.

Litera Compromiſſi inter Priorem Nantuaci, & Stephanum, Dominum de Thoire & de Villars.

Ex Archivo Eccleſiæ Nantuaci.

1246. NOs *B.* (a) Dei gratia *Cantuarienſis Archiepiſcopus, totius Angliæ primas, Rector Prioratus Nantuaci, & Conventus Nantuaci* ex una parte, & Nos STEPHANUS, *Dominus de Thoire & de Villars* ex altera. Notum facimus univerſis præſentes literas inſpecturis, quod Nos compromiſimus, & compromittimus *alte* & *baſſe*, in venerabilem Patrem *Philippum, Dei gratia primæ Lugdunenſis Eccleſiæ* electum, ſupra diſſentione *de Brion*, & ſupra garda *Nantuaci*, & univerſis aliis querelis, quas usque in hodiernum diem habebamus, vel habere poteramus, ad invicem, præterea emendam *Treugæ*, quæ penitus eſt excepta. Conventum autem fuit in hoc Compromiſſo, quod *P. Prior* (b) *Conziaci*, ex parte domus *Nantuaci*, & *Dominus Guilelmus de Greyſiaco* ex parte altera, aſſocientur ſecum ut coarbitri nominati, & eſt dictum & expreſſum in forma dicti Compromiſſi, quod quidquid dictus Electus cum prædictis duobus *Coarbitris*, vel cum altero eorum, ſi eos contingeret diſcordare, vel neutro ſecum concordante, dicet, dictabit vel arbitrabitur, quomodocumque ſimul, vel ſeparatim Nos tenemur ſine contradictione, ſub pœna trecentarum marcharum ſtipulata, a Nobis perſolvenda, ad voluntatem ſuam plenarie faciendam, & ſub religione præfati juramenti, dictam ſuam pronunciationem vel arbitrium inviolabiliter obſervare. Pro his autem adimplendis *obligavimus & poſuimus* in manu ſua; *Nos* Archiepiſcopus Cantuarienſis, & Conventus Nantuaci, Caſtra Nantuaci, & S. Germani, & *Nos* Dominus de Villars, *Caſtra* de Loyes & de

(a) *Nos B.*] Bonifacius de Sabaudia.

(b) *Prior Conziaci*] vulgo *Conzieu*, prope Bellicium.

Google

de Mornay dicto Electo, cætera bona noſtra pro adimplendo dicto ſuo nihilominus obligantes. Si autem prædicti Coarbitri *non poſſent vel nollent intereſſe, loco deficientis poterit alius ſubrogari.* Subrogandus autem prius eſt Domino Electo, & parti alteri nominandus, ut perſona certiſſima ſubrogetur; poteſtas autem procedendi in principali & in acceſſorio, *data eſt ei a Nobis, ut ſolus, vel cum ipſis duobus, vel altero eorum, eo modo, quo voluerit, valeat procedere, ſecundum jus ſcriptum vel conſuetudinarium, ſecundum jus Baroniæ, vel ſine ipſo, prout melius ad adviſum ſuum extiterit procedendum;* habet etiam dictus *Electus* pleniſſimam facultatem *interpretandi* & *declarandi* in toto Compromiſſo ſemel vel pluries in dicto vel arbitrio, quotiescumque vel quodcumque dubium occurrerit, vel obſcurum; expreſſimus etiam in Compromiſſo, & ſine ſtrepitu ſive litigio *lite conteſtata, vel non conteſtata, die feriata, vel non feriata, Nobis præſentibus, vel abſentibus, vel altero noſtrum, vel utraque parte abſente,* ſine *omni ſubtilitate* & *negotio* procedat, & ſecundum quod ei melius viſum fuerit, *excepta treuga*, quæ dicitur quondam fracta, querelas terminet univerſas. Dominus autem Electus de conſenſu Arbitrorum ſuorum Nobis injunxit, ut ſub juramento præſtito procuremus, quod infra diem proximo aſſignandam *ſuperiorum noſtrorum literas de conſenſu ſuper compromiſſum* hujusmodi habeamus. *Nos* Prior Nantuaci literas Abbatis Cluniacenſis, *Nos* Dominus de Villars, literas Nobilis Viri, Domini Joannis, Comitis Burgundiæ, ad quos, *ut ad Superiorem, negotia videntur pertinere,* & de hac faciamus totaliter poſſe noſtrum. *Expenſas* autem, quas faciet Dominus Electus in *aſſeſſoribus Conſiliariis*, vel in Caſtris a Nobis ei traditis, perſolvemus ad mandatum ſuum, eundem indemnem ſuper hoc conſervantes, ad Caſtrorum etiam cuſtodiam opem ei conferemus & juvamen, impedimentum ſi quod evenerit ſuper hoc, prout partem alterutram contingeret, removendo; renuntiamus autem ultro citroque ſub præſtito

 jura-

juramento *exceptioni, doli in factum, beneficio reſtitutionis in integrum, privilegiis impetratis, vel impetrandis,* quæ ad compromiſſum & arbitri pronunciationem, vel pœnæ ſolutionem, nec poſſimus venire in aliquo contra arbitrium, vel etiam compromiſſum. *In cujus rei* teſtimonium Nos dicti Archiepiſcopus & Conventus Nantuacenſis ex una parte, & Nos Stephanus, Dominus de Villars, Sigilla noſtra, una cum Sigillo Domini Electi, præſentibus duximus apponenda. *Actum Kal. Martii* anno Domini 1246.

XCIX.

Carta Guilelmi Palatini Militis.

Ex Archivo Cameræ Computorum Delphinalium.

1285. NOs GUILELMUS, *Palatini* (a) *Miles,* notum facimus univerſis, præſentes literas inſpecturis, quod medietas *directi dominii* Montistiderii pertinet ad domum dictorum *Les Chambut,* & quod Nos olim tenebamur dictum caſtrum & villam *Montisdiderii* (b) facere villam francam, neque tamen *forum* facere ſine voluntate ipſorum *Les Chambut,* & quod ipſi participabant & capiebant medietatem in directo dominio, videlicet lationum, & venationum, & omnium ad jus directi dominii pertinentium. Item capiebant medietatem *de Blæria;* Item medietatem *carrucarum* de *Ceſſia;* in cujus rei teſtimonium præſentibus literis Sigillum noſtrum duximus apponendum. *Datum* anno Domini MCCLXXXXV.

C.

Litera Concordiæ inter Priorem Nantuaci, & Humbertum Dominum de Thoire & de Villariis.

Ex Archivo Eccleſiæ Nantuaci.

NOs, Frater JOANNES, (a) humilis Prior Nantuaci, & ejus-

(a) *Palatini*] familia olim Dombenſis Pagi nobiliſſima.

(b) *Montisdiderii*] vulgo *Montdidier,* Caſtrum antiquum apud Sebuſianos.

(a) *Frater Joannes*] Abbas S. Sequani in Burgundia, & Prior Nantuaci.

ejuſdem loci Conventus, & Nos *Humbertus*, Dominus de Thoire & de Villars, notum facimus univerſis, præſentes literas inſpecturis, quod cum diſcordia ſeu controverſia verteretur inter Nos prædictum *Humbertum* ex una parte, & Nos Dominos Priorem & Conventum ex altera, ſuper *garda Villæ & Prioratus Nantuaci*, & rerum & hominum ad dictum Prioratum pertinentium in *Montania*, quam gardam Nos dictus *Humbertus* dicebamus ad Nos pertinere, Nobis Priore & Conventu e contrario aſſerentibus. Tandem inter Nos partes prædictas, poſt tractatus varios interceſſit ſuper his & ſuper articulis infra ſcriptis amicabilis compoſitio in hunc modum, videlicet, quod villa & Prioratus *Nantuaci & Caſtrum S. Germani*, & generaliter omnes res & homines, ad dictum Prioratum & dictum Caſtrum pertinentes, a Caſtro *Caſtellaniæ de Michalia* usque ad aquam, quæ dicitur *Ens*, usque ad terras & territoria S. Eugendi Jurenſis, exceptis villis & rebus, ſi quæ erunt intra terminos ſupraſcriptos de aliena garda, ut de dominio alieno retroactis temporibus ab antiquo ſint & remaneant in perpetuum de bona garda noſtri *Humberti*, Domini de *Thoire* & de *Villars*, & ſucceſſorum Dominorum de Thoire, & de Montania, quam bonam & perpetuam gardam, Nos dicti Prior & Conventus, eidem *Humberto* & ſucceſſoribus ſuis damus & aſſignamus perpetuo habendam & retinendam in omnibus locis ſuperius expreſſis, cum conventionibus infra ſcriptis; Videlicet, quod idem Nobilis Vir Caſtrum prædictum *S. Germani*, & res & homines de *Caſtellania* dicti Caſtri, tenentur gardare & defendere bona fide, pro qua bona garda dicti Caſtri & Caſtellaniæ, Nos prædicti Prior & Conventus promittimus bona fide & ſtipulatione eidem *Humberto* pro ſe & hæredibus & ſucceſſoribus ſuis dare, reddere & ſolvere quolibet anno in feſto Beati Hilarii centum ſolidos Gebennenſes in Prioratu Nantuacenſi, ad valorem pecuniæ Gebennenſis nunc currentis; hanc autem bonam gar-

gardam dicti Caſtri *S. Germani* & *Caſtellaniæ*. Nos dictus *Humbertus* confitemur & recognoſcimus, Nos tenere in feudum a *Domino Yvone*, Abbate Cluniacenſi, nomine ſuo & ſucceſſorum Eccleſiæ Cluniacenſis, per hoc eidem homagium jam feciſſe promittentes, & obligantes Nos & ſucceſſores noſtros, qui dictam gardam tenebunt ad homagium faciendum, *in renovatione cujuslibet Abbatis* Cluniacenſis, & quicumque ſit novus *Dominus* de Thoire; idemque poſſeſſor dictæ gardæ tenetur facere homagium de prædicta garda Abbati Cluniacenſi, ſuo & Eccleſiæ Cluniacenſis nomine, ſicut ſuperius eſt expreſſum. *Item* idem *Nobilis* Vir debet gardare & defendere bona fide Prioratum & Villam de Nantua, & homines & res ad dictum Prioratum pertinentes in *Montania*, pro qua bona garda, & perpetua, excepto Caſtro & Caſtellania S. Germani, Nos Prior & Conventus prædicti, promittimus bona fide dicto *Humberto* pro ſe & hæredibus & ſucceſſoribus ſuis dare, reddere & ſolvere quolibet anno, in feſto B. Hilarii, in Prioratu Nantuaci, quindecim libras Gebennenſes, vel valorem pecuniæ Gebennenſis nunc currentis. *Volumus* etiam, & expreſſe concedimus, quod garda, quam idem Nobilis Vir habebat in villa *B. Martini, del Freſno*, & in villa de *Brenod*, in ſuo ſtatu remaneat, & nihil immutetur in garda ipſarum Villarum, per ea, quæ ſuperius latius ſunt expreſſa. *Novæ autem gardæ* de *Charis, d'Eſchalon* & de Condamine computantur & continentur in ſumma quindecim librarum ſuperius nominatarum. *Item* fuit actum inter Nos, partes prædictas, & in pactum deductum, quod ſi Dominus Abbas Cluniacenſis vel ejus ſucceſſores Abbates Cluniacenſes, qui pro tempore fuerint, vellent convenire coram ſe *Dominum de Thoire ratione feudi ſupradicti*, ſeu quacumque alia juſta ratione, idem Dominus Abbas *debet ſibi aſſignare locum citra Sagonam a parte orientali, a Civitate Matiſconenſi usque ad Civitatem Gebennenſem, ubi voluerit, in loco idoneo & honeſto; longius autem dictus Nobi-*

Nobilis, vel ejus hæredes, ad litigandum ire vel mittere nullatenus teneantur. Nos quidem dictus *Humbertus* confitemur & recognoſcimus pro Nobis, & hæredibus, & ſucceſſoribus noſtris, quod Nos in villa, Territorio & Caſtellania *Nantuaci*, Villa & Territorio *de Port*, Villa & Territorio *B. Martini du Fraiſne*, in Caſtro, Villa & Caſtellania *S. Germani*, in *Villa & Territorio de Brenod*, nec habuimus, nec habere debemus jurisdictionem, juſtitiam, merum vel mixtum imperium, correctionem, dominium vel diſtrictum, ſeu reſſortum, exceptis terris *de Lollio*, in quibus habeamus *dominium directum;* in aliis vero villis, hominibus, rebus & terris pertinentibus ad Prioratum *Nantuaci* in terra *Montanea* non habemus, nec habere debemus *jurisdictionem, merum vel mixtum imperium, correctionem, dominium, vel diſtrictum ſeu reſſortum,* niſi in locis, in quibus prædicta exercere conſuevimus, priſcis temporibus retroactis; inſuper cognitionem, exercitium ſeu executionem cauſarum ſeu quæſtionum, quibus quis alienæ jurisdictionis forum noſtrum jure communi ſortiri tenetur, Nos prædictus *Humbertus* Nobis & noſtris retinemus. Præterea Nos dictus *Humbertus* promittimus bona fide Priori Nantuaci, recipienti nomine ſuo, & Conventus, & Eccleſiæ ſeu Prioratus Nantuaci *gardare*, defendere, & manutenere Priorem, Monachos, Clericos, Prioratus & homines Eccleſiæ Nantuaci contra quaſcumque perſonas, *præterquam* contra Abbatem Cluniacenſem, Priorem & Monachos, Clericos dictæ Eccleſiæ ſeu Prioratus Nantuaci. *Actum* eſt etiam, & in pactum deductum ſpecialiter & expreſſe, quod Nos dictus *Humbertus* gardam ſeu gardas prædictas non poſſimus de manu noſtra removere, vel in alium transferre, niſi ad ipſum ſolum, qui erit *Dominus de Thoire,* & de *Montania*, Item concordatum eſt inter Nos partes prædictas, & in pactum deductum, quod quicumque, qui pro tempore erit novus Dominus de Thoire vel de Montania, & quicumque erit novus Prior Nantuaci, ſubibit

& faciet ſubire tenebitur *juramentum in magna Eccleſia Nantuaci ſuper magnum Altare, præſentibus ſupradictis* Domino de Thoiria, & Priore & Conventu Nantuaci, de prædictis omnibus attendendis & fideliter obſervandis. *Item* Nos dictus Humbertus promittimus, bona fide gardare & defendere a Nobis & noſtris *forum Villæ* Nantuaci, eundo & redeundo tanquam bonus gardator, nec prohibebimus, nec prohiberi faciemus, ſeu prohiberi ſuſtinebimus, quo minus quicumque volens venire ad dictum forum, poſſit venire, una cum rebus quibuscumque libere & ſolute. *Præterea* conventum eſt & concordatum, & per ſtipulationem ſolemnem inter Nos partes prædictas hinc & inde ad invicem firmatum, quod in molari de Partu neutra partium prædictarum poſſit Caſtrum, fortalitium, ſeu quodlibet aliud ædificium, furcarum plantationem, ſeu aliquam aliam culturam quocumque nomine cenſeatur facere, conſtruere ſeu baſtire; & ſi quis alius prædicta ſive prædictis ſimilia in dicto Molari faceret, ſeu facere attentaret, utraque pars, videlicet altera alteram ob altera requiſita tenetur defendere & juvare ad inhibitionem & impeditionem prædictorum. Hanc autem concordiam, pactionem, conventionem, ordinationem & pacem, promittimus Nos dictus *Humbertus*, & Nos dictus *Prior* per juramentum *ſupra ſancta Dei Evangelia* corporaliter præſtitum, & Nos dictus Conventus bona fide pro Nobis & noſtris ſucceſſoribus univerſis, attendere & ſervare, & generaliter adimplere omnia univerſa & ſingula prædicta; Committentes Nos partes prædictæ una alteri ad invicem ſub vinculo præſtiti juramenti & bona fide contra prædicta non venire, vel aliquid de prædictis facto vel verbo, in judicio vel extra, jure vel conſuetudine, præſcriptione, ſeu alia ratione, nec contra ire volenti quoquo modo aliquatenus conſentire. Nos ſiquidem dictus *Humbertus* pro ſupradictis omnibus & ſingulis attendendis *ſupponimus* Nos, & hæredes & ſucceſſores noſtros *Juriſdictio-*

Digitized by Google

dictioni Archiepiſcopi Lugdunenſis, Bellicenſis & Gebennenſis Epiſcoporum, & eorum officiariis & cuilibet eorundem, qui poſſint & debeant compellere Nos & hæredes, & ſucceſſores noſtros ad obſervationem compoſitionis prædictæ *per cenſuram Eccleſiaſticam & terram noſtram Eccleſiaſtico ſupponere interdicto.* Nos autem *Henricus de Villars* Canonicus Lugdunenſis, & *Beatrix Domina de Thoire* (b) & Mater dictorum Humberti & Henrici, prædictam pacem, ordinationem, pactionem, conventionem & concordiam laudamus, approbamus & ratificamus; & acceptam habemus; promittentes per juramentum corporaliter præſtitum pro Nobis & ſucceſſoribus noſtris contra prædicta non venire vel aliquid de prædictis. Nos ſiquidem frater *Yvo* miſeratione divina Cluniacenſis Eccleſiæ Miniſter humilis, conſiderata utilitate Prioratus noſtri Nantuaci, prædictam pacem, compoſitionem & ordinationem, prout ſuperius eſt expreſſum, laudamus, approbamus & confirmamus, & acceptam habemus; promittentes bona fide, &c. In quorum prædictorum teſtimonium & munimen Nos frater *Yvo*, Cluniacenſis Miniſter prædictus, & Nos frater Joannes, Prior, & Conventus Nantuaci prædicti; & Nos prædicti Humbertus, Dominus de Thoire & de Villars, Beatrix & Henricus Sigilla noſtra præſentibus literis duximus apponenda. *Actum anno Domini* 1270. *XI. Kal. Septembris.*

Uu 2 Corol-

(b) *Beatrix Domina de Thoire*] cognomine de *Fucigniaco*.

Corollarii vice

Sequentia notatu digna, quaſi per Indicem adjecimus, quæ ex antiquo Eccleſiæ Cluniacenſis Cartulario per otium Authori transſcribere non licuit &c.

I.

Litera *Compromiſſi* inter *P. Epiſcopum Matiscon. Capitulumque Eccleſiæ Matiscon.* ex una, & *Abbatem* & *Conventum Cluniac.* ex altera, ſuper Procurationibus, petitis a Domino Epiſcopo in Decanatibus S. Victoris, Arpayaci, Lordoni, S. Hypoliti, Meleti, Caſellarum, Beſorniaci, Berziæ Villæ & Eſcuceolarum, in manibus Domini Bernardi, Gebennenſis Epiſcopi, Ebredunenſis electi, & in Magiſtrum Columbum Archidiaconum Mauleonenſem, Domini Papæ Subdiaconum, *anno gratiæ* MCCXII. *Idibus April.*

II. Carta *Compoſitionis* inter easdem partes, ab Hugone Priore Siduiniacenſi, & Magiſtro Columbo, Domini Papæ Subdiacono, Arbitris electis, factæ, per quam adjudicaverunt Epiſcopo Matisconenſi centum marchas argenti, pro omni jure quod ei competere poterat in dictis Decanatibus *procurationis* nomine, *ſalvo jure Epiſcopali in Capellis dictorum* Decanatuum 1215. in Vigilia S. Bartholomei Apoſtoli.

III. Sententia a *Fr. W. Priore Liviniaci, & Magiſtro M. Archidiacono Flaviniacenſi,* Arbitris, a Duranno Cabilonenſi Epiſcopo, Abbate & Conventu Cluniaci electis, ſuper *procurationibus,* quas Dominus Epiſcopus aſſerebat ſibi deberi in Decanatibus S. Jangulphi, Bellimontis & Juliaci, in ſua Diœceſi conſtitutis; per quam ſententiam pronuntiatum fuit, ut Abbas Cluniacenſis Epiſcopo centum & ſexaginta ſolidos Divionenſis monetæ daret, pro dictis *procurationibus* MCCXIX. *menſe Majo.*

IV. Con-

IV. Confirmatio ejusdem ſententiæ,ab *Honorio*, Summo Pontifice, facta, per Bullam datam Laterani, Idibus Januarii, Pontificatus anno ſexto.

V. Litera *Venditionis* Stephano, Cluniac. Abbati, ad opus obedientiæ ſuæ de Berzi Villa, a Wilelmo de Marchant Milite, & Alalis ejus uxore, eorum omnium quæ habebant in Parrochiis de Berziaco, de Charnay & de Soligniaco, ſub Sigillo Curiæ Lugdun. anno Domini MCCXXXIII.

VI. Carta *venditionis* poſſeſſionum, quas habebat Seguinus Decanus Matisc. in Caſtellania Berziaci, Eccleſiæ Clun. cujus venditionis Jocerannus, Dominus Branciduni, fidejuſſor extitit. Actum in craſtino beati Urbani, anno Domini 1234.

VII. Literæ, quibus *Achardus* de Maciaco, Miles, vendit Eccleſiæ Clun. quidquid habebat apud Beſornay, & in Parrochia S. Vincentii, ſub Sigillo Aymonis, Epiſcopi Matisc. die Mercurii proxima poſt octavas Paſchæ, anno Domini 1236.

VIII. Literæ de concordia, facta inter Monachos Cluniac. & Bernardum de Mailly Thomæ filium ſuper Condamina de Coctaneis; cujus fidejuſſorem dedit Dominum Hugonem de Berzy, & Dominum Hugonem, primogenitum ejus filium, anno Verbi Incarnati 1188. regnante Domino Philippo, Francorum Rege.

IX. Confirmatio *Juris Altaris* & præſentationis Presbyteri in Eccleſia de Turre ſuper Matronam, Eccleſiæ Cluniaci pertinentiis, per *Wilhelmum* Rhemorum Archiepiſcopum ſanctæ Eccleſiæ, tunc ſanctæ Sabinæ, Cardinalem, Apoſtolicæ Sedis Legatum. Data per manum Alexandri, Cancellarii, anno ab Incarnat. Domini 1179. menſe Febr.

X. Teſtimonium *Sanſonis*, Rhemorum Archiepiſcopi, de dono partis molendini ſuper Maternam datæ Eccleſiæ S. Geneſii. Teſtes Hugo Abbas S. Remigii, Joannes Abbas S. Nicolai, Odo Abbas S. Dionyſii. Actum Rhemis, anno Incarn.

Verbi 1152. Ind. 14. regnante Ludovico, Francorum Rege, anno 15. Archiepiſcopatus Domini Sanſonis anno 12.

XI. Literæ *Rainaudi*, Rhemorum Archiepiſcopi, de donatione Altaris de Turre ſuper Maternam, ab eo a Dominis de Plaioſto, al. de Plagaioſt, vindicati. Sub ſignis Domini Rainaudi Archiepiſc. Domini Rogerii Catalauni Epiſcopi, Elinandi Laudunenſis Epiſc. & Raboldi Niomenſis Epiſc. Remis A. Inc. Verbi MXCI. Indict. 14. regnante glorioſo Francorum Rege Philippo, anno 32. Archiepiſcopatus autem Domini Renoldi anno 7. Godefridus Cancellarius recognovit, ſcripſit & ſubſcripſit.

XII. Privilegium *Alexandri* Papæ, Abbati & Conventui novi Monaſterii Pictav. quo confirmat omnes liberalitates eis factas a W. Comite Pictav. & plurimas alias res. Datum Later. per manum Sacræ Rom. Eccleſiæ Cancellarii 8. Kal. Junii.

XIII. Sententia diffinitiva, per Judices a Domino Papa *Gregorio* delegatos, ſuper querela inter Epiſcopum & Capitulum Pictavi ex una parte, & Abbates & Conventum Cluniac. & novi Monaſterii ex altera. Die Jovis poſt Nativit. Domini anno 1233.

XIV. Privilegium *Gregorii* Papæ, de novo Monaſterii Abbati Clun. datum, quo inter cætera Summus Pontifex conſtructionem & dotationem Monaſterii novi tribuit Wilelmo Comiti Pictav. quam laudat & approbat. Dat. Laterani 5. Idus Decembr. per manus Petri, S. R. E. Cardin. Presbyteri ac Bibliothecarii A. 4. Pontificatus Domini Gregorii Papæ 7.

XV. Carta de pace facta inter Eccleſiam Clun. ex una, Dalmatium de Luzy & Dominam de Vannuri ejus uxorem 1206. Non. Martii, quarta ſcilicet feria in Capite jejunii.

XVI. Verpitio cuſtodiæ molendini de Vernero, facta Eccleſiæ Clun. a Wilelmo & Guichardo de Varennis fratribus, ſub Sigillo P. Epiſcopi Matiscon. 1217.

XVII.

XVII. Venditio Decimæ de Marziaco Eccleſiæ Clun. per Dominam Beatricem de Laye, uxorem quondam Bartholomei de Cluſa Militis, & per Humbertum de Mingiaco ejus Nepotem, ſub Sigillo Aymonis, Epiſcop. Matiscon. 1236. m. Mart.

XVIII. Carta P. Dei patientia Matiscon. Epiſcopi, de facta pace ſuper querelis, quas Dominus Gaufredus de Buſſejo miles habebat erga Eccleſiam Cluniac. 1207. m. Aprili.

XIX. Carta donationis Eccleſiæ de Bertreis, facta Cluniac. Eccleſiæ per Walterum de Frudigneis, ſub Sigillo Adalberonis, Epiſcopi Leodienſis. Teſtes ex Nobilibus atque illuſtr. Viris Godefridus, Comes Namurcenſis, Gilbertus Comes de Duracio, & Lambertus Comes de Monteacuto. Actum Leodii, A. Dom. Incarnat. 1124. Ind. 2. regnante Henrico IV. anno Imperii ejus 25.

XX. Literæ ceſſionis & remiſſionis, factæ ab Abbate & Eccleſia Clun. *Roberto* Epiſcopo Beluacenſi, de Prioratu & domo de Buriaco, quam olim Abbas & Conventus S. Joannis Angeliacenſis Monaſt. Cluniac. conceſſerunt 1240. m. Auguſto.

XXI. Carta conceſſionis Monaſterii S. Albani, ſuper fluvium Rheni in ſuburbio *Civitatis* Baſileenſis Monaſterio Cluniaci, per Burchardum, Baſileenſis Eccleſiæ Epiſcopum. Acta apud Baſileam anno Dominicæ Incarnat. 1105. Indict. 13. feria 2. Paſchalis hebdomadæ, Luna 22. regnante Romanorum Imperatore Henrico III. & filio ejus, Rege Henrico V. anno autem ordinationis Burchardi Epiſcopi Baſileenſis, qui hanc cartam dedit 33. anno vero ordinationis Hugonis Abbatis Cluniac. cui data eſt, 57.

XXII. Litera diſcordiæ inter Abbatem S. Joannis de Valentianis, & Priorem S. Salvii, ſub Sigillo Nicolai Cameracenſium Epiſcopi, ſine data.

XXIII. Commiſſio Domini *Lucii* Papæ, S. Remenſi Archiepiſcopo, de diſcordia, quæ vertitur inter Abbatem S. Joannis de Valentianis, & Priorem S. Salvii, qui Remenſis Archi-

Archiepiſcop. viſa ſententia inter easdem partes, pridem lata a Nicolao Cameracenſi Epiſcopo, eam approbavit. Remis, anno Incarn. Verbi 1145. Indict. 7. regnante glorioſiſſimo Francorum Rege Ludovico, anno 8. Archiepiſcopatus Domini Sanſonis anno 6. ſub ſignis Goſſeni Sueſſonenſ. Epiſcopi & aliorum.

XXIV. Carta *Ludovici*, Francorum Regis, data apud Vicennas, anno Domini 1235. menſe Sept. per quam ait ſe miſſurum probos viros, qui inquirerent de querelis, quas Abbas & Conventus Cluniac. & J. Comes Matisc. habebant invicem ſuper quadam domo, ſita inter Domenge & Igy.

XXV. Carta Wilelmi, Comitis Viennæ & Matiscon. qua fidejubet pro pace ſervanda Monaſterio Cluniac. de Hugone de Mailly; quam etiam juravit Wilelmus de Germola, & uxor ejus Hugueta de Mailly, ſine data.

XXVI. Confirmatio *Henrici* Regis, doni quod Heſſo quidam nomine fecit Monaſterio Cluniac. Eccleſiæ cujusdam, nomine Rimeſtrigo, & omnis Patrimonii ſui. Data Wormaciæ 6. Kal. Auguſti, anno Dominicæ Inc. 10/2. Indict. 2. anno autem Domini Henrici IV. Regis ſeptimo decimo.

XXVII. Carta *Joceranni*, Domini Branceduni, per quam laudat donationem & eleemoſynam quam Bernardus de Taiſiaco Canonicus Matisc. fecit Eccleſiæ Cluniac. de rebus ſeu poſſeſſionibus, quas apud Taiſiacum habebat, 12. Kal. Sept. 1231.

XXVIII. Carta *Joceranni*, Domini Branceduni, per quam titulo pignoris obligat Eccleſiæ Cluniac. quidquid juris habebat in villa de Perciaco; quam Dominus Guichardus de Calvomonte donaverat dictæ Eccleſiæ. In qua quidem carta dictus Jocerannus nominat Stephanum Abbatem Cluniac. kariſſimum conſanguineum ſuum, & pollicetur facere laudare cartam ſuam per venerabilem fratrem ſuum Bartholomeum, quinque Eccleſiarum Epiſcopum. Actum 21. Kal. Septembr. anno Domini 1231.

XXIX.

XXIX. Carta *Joceranni* Groſſi, qua promittit dare Eccleſiæ Clun. literas Domini Lugdun. Archiepiſcopi, & Domini Ducis Burgundiæ ſuper pace, inter eum & dictam Eccleſiam facta, de S. Hypolito, cujus promiſſionis obſides dedit Dominum Regnallum de Montbelet, & Henricum fratrem dicti Joceranni, Simonem de Ver, Joannem Merulum, Guigonem de Lugnié, & Hugonem de S. Alban, qui omnes tenentur tenere oſtagium apud Cluniacum 1215. menſe Auguſto.

XXX. Carta *Aſſociationis* pro *Humberto* Domino Bellijoci, per Stephanum Abbatem Clun. in villa de Taſſiaco, alias de Toſſey, & Decanatu de Alpajaco XI. Kal. Maji an. Domini 1233.

XXXI. Litera, continens conventiones, factas inter *Hugonem* Abbatem Cluniac. & Humbertum Dominum Bellijoci, ſuper explicatione aſſociationis villæ de Taſſiaco, & Decanatus de Alpaiaco, M CC XXXIX. menſe Julii.

XXXII. Donatio *Radulfi* Regis Burgundiæ, Monaſterio Clun. de quadam villa, ſita in pago Matisconenſi, & de tertia parte piſcinæ cujusdam, quæ vocatur Oſaſcum. Actum Enſa villa ſine data, ibi facit mentionem de Emma, ejus uxore.

XXXIII. Litera *H. Regis* Angliæ, Ducis Normaniæ & Aquitaniæ, & Comitis Andegavenſis, qua dicit ſe dediſſe Monaſterio Clun. pro ſalute Regis H. Avi ſui Manerium de Ledelecumba, quod Rex Stephanus eidem Monaſterio aſſignaverat pro C. marchis. Teſtes F. Epiſcopus Sagienſ. R. Epiſcopus Nannetenſis. Regnallus de Curtenay, Gilbertus Malet. Et C. apud Chinon, ſine data.

XXXIV. Confirmatio *Henrici*, Dei gratia Regis Angliæ, Domini Hiberniæ, Ducis Normaniæ, Aquitaniæ, & Comitis Andegavenſis, ſupra dictæ Literæ H. Regis Angliæ, Avi ſui. Data apud Weſtrin 22. die Jan. anno regni ſui 22.

XXXV. Donatio terræ & Eccleſiæ S. Pancratii, Monaſterio Clun. facta per Wilelmum de Varannia, & Gondrellam ejus uxorem; aſſenſu Domini Regis Anglorum Wilelmi,

ſub ſignis *Wilelmi* Regis M. Reginæ Anglorum, Wilelmi Comitis filii Regis, Roberti de Bellomonte, Henrici de Bellomonte, Rogerii de Mortuomari, Gotredi de Calvomonte, Radulfi Dapiferi, Wilelmi de Varanna, Mauricii Cancellarii & Gondrellæ Uxoris, Wilelmi de Varanna.

XXXVI. Donatio, Monaſterio Clun. facta de Manerio quodam, quod Celtona vocatur, per Rogerium Comitem, & Adeleydem Uxorem ejus, de conſenſu *Wilelmi*, Regis Anglorum, & Ducis Normannorum, & Vuilelmi Regis, ejus filii, in Regno ſucceſſoris, ſine data.

XXXVII. Donatio Eccleſiæ *S. Agathæ*, Monaſterio Clun. facta *ab H.* Dei gratia Hiſpaniarum Rege, ſine data.

XXXVIII. Compromiſſum inter Eccleſias Calaguritanam & Naitenſem, in Hiſpania 1222. 8. Idus Octobr.

XXXIX. Donatio Monaſterii S. Petri de Cardina, & Villæ Abellæ, in Burgenſi Territorio ſitæ, Monaſterio Clun. facta ab Adefonſo *Hiſpaniæ Imperatore*, & Uxore ejus Berengaria Era 1180. 4. Cal. Auguſti, prædicto *Imperatore* Adefonſo, imperante in Toleto, Legione, Cæſar Auguſta, Najara, Caſtella, Gallecia, ab eo ſubſcripta eſt carta, & ab Imperatrice Berengaria, Sancia, ſorore Imperatoris Infantiſſa, Comite Roderico, Comite Ferrando, Raimundo Toletano Archiepiſcopo, Petro Secobienſi Epiſcopo &c.

XL. Donatio quorundam Altarium & Eccleſiarum, Monaſterio Clun. facta per Bernardum de Barollio Militem ſtrenuum, Uxorem ejus Mateldim, & filios ejus Ingerrandum, M. Uvidonem, Euſtachium & Bernardum, & Altuidim filiam 1138. Indict. 2. ſub Sigillo Guarini, Ambianenſis Epiſcopi.

XLI. Carta *Bernardi* Xantonenſis Epiſcopi, ſuper diſcordia, quæ vertebatur inter Petrum Archipresbyterum de Rochella, & Priorem Ayenſem X. Kal. Octobr. anno 1149. Romano Pontifice Eugenio, regnante in Francia Rege Ludovico, eodem Duce in Aquitania. Teſtes Arnaudus, Abbas

gratia

gratia Dei, Jordanus Prior de Aveſio, Aymericus Prior de Boët.

XLII. Confirmatio ſupradictæ Cartæ, & omnium Eccleſiarum, quas Eccleſia Cluniac. poſſidebat in Diœceſi Xantonenſi, & earum rerum, quas Dominus Iſanbardus de Caſtro-Aillione, Eccleſiæ Ayenſi dederat, per Bernardum, Xantonenſem Epiſcopum, apud Xanton. 14. Kal. Julii anno 1182. Romano Pontifice Lucio III. regnante in Francia Rege Philippo. Henrico Rege Anglorum, gubernante Ducatum Aquitaniæ per Ricardum filium ſuum. Teſtes Bernardus, Abbas Nantonii, Helias de Proncat, Prior de Ays &c.

XLIII. Bulla C. miſeratione divina Portuenſis, & ſanctæ Rufinæ Epiſcopi, Apoſtol. Sedis legati, qua ex mandato Domini Honorii Papæ, Eccleſiam, Prioratum & Canonicos Rochæ de Solutrejo Diœceſ. Matiscon. ſub Regula B. Auguſtini, propter eorum diſſolutiones, & tepiditatem obſervantiæ diſciplinalis, ſubmittit Eccleſiæ, & Monaſterio Cluniacenſi. Data Ciſter. anno Domini 1222. Kal. 4. Octobr.

XLIV. Bulla Domini *Paſcalis* Papæ, Hugoni, Abbati Clun. ſuper exemptione pedagiorum, pro tota Terra Cluniaci. Data Cabilone, 4. Non. Februarii, Indict. 15. anno 1106.

XLV. Litera *Ludovici*, Francorum Regis, de aſſociatione ſibi facta a Monachis Clun. de S. Gengulpho. Actum publice Pariſiis, anno Verbi Incarnati 1166. regni noſtri 29. Philippi filii noſtri natalis anno 1. aſtantibus in Palatio noſtro S. Comitis Theobaldi, Dapiferi Regis, S. Guidonis Buticularii, S. Mathæi Camerarii, S. Radulfi Conſtabularii.

XLVI. Sententia *Petri*, Dei gratia *Albanenſis* Epiſcopi, ex Cardinalibus Romanæ Eccleſiæ in partibus *Burgundiæ*, ex præcepto Domini Gregorii Papæ Legati, qua confirmat Monaſterium Cluniaci infra terminos ſuos, inhibet Dominis de Branciduno, Berziaco, Bruxeria, Seduno, Sagiaco & Oſcella, ne aliquid in damnum Eccleſiæ Clun. agant, & Epiſcopo Matiſc.

tiſc. Landrico, & Gebuino Archiep. Lugdun. intimat ſe ex parte Domini Papæ, eos excommunicaturos, niſi a moleſtiis, quas Clun. Monachis inferunt, abſtineant. Actum Auſæ apud S. Bernardum, 8. Idus Febr. 1078. Ind. 2. In ea ſententia fit mentio Vuarmundi Archiepiſcopi Vienneuſis, qui ante dictum Cardinalem pro Cluniac. perorabat.

XLVII. Carta *Joannis* Comitis Cabilon. qua ſe conſtituit defenſorem & protectorem eleemoſynæ, quam Bernarda de Brechié fecit Ecclef Clun. de iis quæ habebat apud Curdis, Buſieres, & Bargeſerens. Laudantibus Thomæ filio dictæ Bernardæ, Hugone de ſancto Priato ſororio Thomæ, & Beatrice filia dictæ Bernardæ. Præſentibus Pontio Decano de Maſſiliis, & Guichardo Priore de Charolles. Actum anno gratiæ 1218 menſe Martio.

XLVIII. Carta B. Comitiſſæ Cabilonenſis de pace, facta inter Clun. Eccleſiam & Radulfum de Buſſy, ſine dato.

XLIX. Litera Bartholomei de Branciduno Epiſcopi Quinque Eccleſienſis, qua ordinat de ſepultura corporis ſui apud Clun. Actum Anno Domini 1234.

L. Bulla Domini *Innocentii* Papæ, Abbati & Conventui Clun. qua confirmat donum Grangiæ de Mercurii Curte, quam nobilis Vir T. Comes Trecenſis Eccleſiæ Cluniac. dederat caritative. Dato Romæ apud S. Petrum, 4. Non. Maji, Pontificatus anno I.

LI. Litera *Joannis* Domini Arduini 1209. menſ. Auguſt. per quam de conſenſu Domini Abbatis Clun. donat Molendinum & duos Campos juxta Eccleſiam S. Margaretæ.

LII. Literæ confirmatoriæ Altaris de Turre, ſuper Maternam Rainaldi Romanorum Archiepiſc. pro Eccleſia Clun. Actum Remis, anno incarn. Verbi 1125. Ind. 3. regnante Ludovico Rege Francorum an. 18. Archiepiſcopatus autem Domini Rainaldi anno I.

LIII. Literæ Poponis, Metenſis Epiſcopi, de confirmatione

tione donationis Eccleſiæ de Thiecurth, factæ Eccleſiæ Clun. a Gerardo de Thiecurth. Actum Metis, anno ab Incarn. Domini MXCIII. Indict. 1. regnante Rege Henrico Duce, Theoderico in Lotharingia Comite Folmaro, ſubnotata eſt hæc carta per manum Andreæ Cancellarii.

LIV. Compoſitio, facta inter Priorem de Mortua-Aqua & homines ad illam Eccleſiam pertinentes 1188.

LV. Notitia permutationis, factæ inter Hugonem Clun. Abbatem, & Joſſerannum Groſſum Branciduni Dominum, qui remiſit Eccleſiæ Cluniac. Caſtrum ſuum de Botavant, & Villam de Brey, & de Contuberto, de ſuo libero allodio pro mille & quingentis marchis argenti, & quadraginta libris Divionenſ. pro Druelleriis, & Dominus Abbas ultra dictas ſummas ceſſit ei Domum ſuam de Bellemonte Cabilon. Diœceſis, & Grangiam ſuam S. Deſiderii. Cujus permutationis laudatores fuerunt Domina de Brancione, Uxor dicti Joſſeranni, & Henricus eorum filius, ſub Sigillis Aymonis Matiscon. Epiſcopi, & Vuilelmi Cabilonenſis Epiſcopi, Acta menſe Martio 1236.

LVI. Carta de pactione inter Eccleſiam Clun. & Hugonem Diſcalciatum, ſuper conſtructione Caſtri cujusdam in Monte Avoto, contra Eccleſiam Cluniac. & munitione Caſtri Clarummane, Clermatin, facta a Monachis, per quam pactionem tempore Petri Abbatis Clun. munitiones illæ ex utraque parte everſæ ſunt, mediante Seniore Hugone de Berziaco, pactiones priſtinæ iteratæ ſunt, & additum, quod Monachi poſſint claudere muris, & munitionibus Domum & Burgum de Maſſiliis, & querimoniam facere de pedagio, quod dictus Hugo Diſcalciatus conſtituit in Terra Cluniaci 1173. regnante Ludovico Rege Francorum 1. electionis Domini Rodulfi Abbatis.

LVII. Literæ de obligatione, quam fecit Renaudus Dominus de Buſſeria, Eccleſiæ Clun. de bonis, quæ habebat in

 Valle

Valle d'Ardre. Fidejuſſores debiti, Guillelmus Dominus de Digonia, & Hugo frater ejus. Robertus Dalmatii & Gaufridus Viridis Milites, ſub Sigillo Guillelmi Domini de Digonia 1243. menſe Febr.

LVIII. Diffinitiva ſententia, lata a Geraldo, Engelismenſis Eccleſiæ Epiſcopo, & S. R. E. Legato ſuper Eccleſiis de Morlano, inter Guidonem Laſcurrenſem Epiſcopum, & Monachos Clunienſes, ex præcepto Domini Papæ Paſchalis MCLXXVII. Indict. X. ... Ludovico Rege Francorum ----

LIX. Carta Gaufridi, Petragoricenſis Epiſcopi, continens confirmationem donationis Eccleſiæ S. Joannis de Rochenac, Eccleſiæ Cluniac. factæ per Rainaldum, Epiſcopum Petragoricenſem, ejus prædeceſſorem, 8. Kal. Novembr. anno vero ab Incarnat. Domini IIII. III. Epacta 3. concurrente 4. Indict. 6. præſidente in Sede Romana Domino Innocentio Papa, Ludovico Rege in Francia regnante, atque Aquitanorum Duce exiſtente.

LX. Epiſtola Patris Fr. F. Abbatis Novi Mon. Pictavienſis, P. Rothomagenſi Archiepiſcopo 1238. per quam Eccleſiam Clun Matrem ſuam appellat.

LXI. Bulla Domini *Innocentii* Papæ confirmatoria concordiæ, factæ inter Abbates Cluniac. & Novi Monaſterii Pictavienſ. ex una, & Epiſcopum & Capitulum Pictav. ex altera, ſuper exemptione Novi Monaſterii, data Lateran 6. Kal. Martii, Pontificatus anno 15.

LXII. Litera Concordiæ inter Abbatem & Conventum Novi Monaſterii Pictav. & Abbatem & Conventum Cluniac. ſub Sigillo Hulrici, Abbatis Novi Monaſterii, anno 1211.

LXIII. Teſtificatio Hulrici Abbatis, & Conventus Novi Monaſterii Pictav. ad J.... Papam de ſubjectione & obedientia, quam debent Eccleſiæ Clun. ſine data.

LXIV. Carta, per quam Dalmatius Li Hongres invadiavit decimam ſuam de Cortambley S. Abbati Cluniac. ſub Sigillo H. Matiscon. Epiſcopi 1234. Menſe. Jan.

LXV.

LXV. Homagium Renaudi de Buſſeria Militis, Hugoni Clun. factum 1243. menſe Januario, ſub Sigillo S.Matiſcon.Epiſcopi.

LXVI. Homagium Dalmatii dicti Ungarus, Militis, Abbati & Eccleſiæ Cluniac. de eo, quod habebat in Eccleſia & Parrochia S.Hypoliti, & ultra Guiam, 1244. menſe Jul. ſub Sigillo S. Matiſcon. Epiſcopi.

LXVII. Carta de feodo Joceranni de S. Alban, de rebus iis, quas habebat in Parrochiis de Triviaco, & de Curtilibus, laudante Beatrice ejus Uxore, ſub Sigillis G. Epiſcopi Eduenſis, & H Epiſcopi Matiſc. 1234. menſe Maj.

LXVIII. Carta Monachorum Moiſſiacenſium, per quam petunt a Domino Guillermo, Abbate Clun. poſt mortem R. eorum Abbatis, ut eis eligat Abbatem. Datum apud Moiſſiacum anno Domini 1245.

LXIX. Carta R. Abbatis Moiſſiacenſis H. Abbati Clun. de obedientia ab eo debita Eccleſiæ Cluniac. Datum Cluniaci 1243.

LXX. Confirmatio, facta a Guillermo Abbate Cluniac. electionis fratris Aldemari, Monachi Cellarii Aureliacenſis, in Abbatem Figiacenſem, a Decano Infirmario Figiacenſi, & Priore Garderiaci factæ, ſub Sigillo Hugonis Epiſcopi Clarmontenſis 1244. menſe Jan. præſentibus Jacobo, Priore Marcigniaci, & aliis.

LXXI. Litera Fulconis, Monaſterii Novi Pictav. Abbatis, ad Wilermum Cluniac. Abbatem, ut dictum Monaſterium novum protegat ab oppreſſionibus inimicorum. Data die Veneris ante Lætare, Jeruſalem, anno Domini 1245.

LXXII. Litera Bertrandi Abbatis Aureliacenſis, ad Abbatem Cluniac. qua ei commendat Aldemarum Cellerarium Aureliacenſem, quem Monachi Figiacenſes ſibi in Abbatem elegerant. Data Aureliaci, 3. feria poſt Epiphaniam, anno Domini 1245.

LXXIII.

LXXIII. Carta compoſitionis, factæ inter Cluniacenſem & Balmenſem Eccleſias, Theobaldo Balmenſi Abbate, ſine data.

LXXIV. Carta de compoſitione & pace inter Hugonem Abbatem Cluniac. & Oddonem Abbatem Balmenſem 1239. in craſtino Pentecoſtes.

LXXV. Compoſitio, facta inter Nariodum, Epiſcopum Eduenſem ex una, & Eccleſiam Cluniac. ex altera, mediantibus R. Albanenſi Epiſcopo & W. Nivernenſi Comite, anno Incarnat. 1109 ſub Domino Paſchali Papa 2. regnante Ludovico Francorum Rege, in præſentia Pontii Abbatis Clun.

LXXVI. Carta compoſitionis inter Dominum Simonem de Luziaco, & Eccleſiam de Mæbria, ſub Sigillo Hugonis Eduenſis Epiſcopi, ſine data.

LXXVII. Litera Stephani, Epiſcopi Eduenſis, qua promittit Eccleſiam Cluniac. & res omnes ad eam pertinentes, ab iniquorum infeſtatione defendere, ſine data.

LXXVIII. Donatio Wilanci, Sedunenſis Eccleſiæ Epiſcopi, Eccleſiæ B. Petri de Altapetra, de rebus dictæ Eccleſiæ, quas in proprio tenebat, ſub ſigillo Widonis Archiepiſcopi Viennenſis, Apoſtolica authoritate Biſuntinæ Sedis Vicarii. Acta hoc anno 1107. Incarn. Domini, Ind. XV.

LXXIX. Litera Boſonis, Epiſcopi Cathalaunenſis, de diſcordia, quæ erat inter Eccleſ. de Tribus-fontibus, & Eccleſ. de Bando Villari, ſine data.

LXXX. Vadimonium Barnerii de Drée, Militis, de iis omnibus quæ habebat apud Giureium. Teſtis Guido Dominus de Verge, ſine data.

LXXXI. Litera *R. Arelatenſ.* Archiepiſc. Conventui Cluniac. ſcripta ſuper recuperatione Prioratus S. Gervaſii in Diœceſi Arelatenſi ſiti, qui ad Eccleſiam Cluniac. ſpectabat, ſine data.

LXXXII. Carta Wilermi, Comitis Forcalcherii, de donatione, quam fecit Eccleſiæ B. Mariæ, de Podio de Ganegobre, anno. 1206. ante Feſtum S. Joannis Baptiſtæ.

LXXXIII.

LXXXIII. Carta Amelii, Epiſcopi Tholoſani, per quam reſtituit Eccleſiæ Clun. in manu Domini Pontii, Abbatis Eccleſ. S. Columbæ in territorio Tholoſano, laudantibus Canonicis Tholoſanis, Vice-Comite Anton. Bernardo, Petro Remundo, & Uxore ejus Adela, quæ prædicti Abbatis ſoror erat. Præſentibus Raymundo, Auſciorum Archiepiſcopo, & aliis. Actum apud S. Eulaliam prope Carcaſſonam, anno ab incarn. Domini 1110. ſub Domino Paſcali Papa ſecundo, regnante Ludovico, Rege Francorum.

LXXXIV. Litera Humberti, Valentinenſis Epiſcopi, per quam Priori S. Marcelli in Provincia dat decimas S. Privati, ſine data.

LXXXV. Carta de ſocietate mutua inter Archiepiſcopum & Capitulum Eccleſ. Lugdunenſ. & Abbatem & Conventum Clun. ſub Sigillis Joannis, Archiepiſcopi Lugdun. & Hugonis, Abbatis Clun. ſine data.

LXXXVI. Carta Ferrandi, Dei gratia Regis Caſtellæ & Toleti, & Berengariæ Reginæ, ejus Matris, per quam trecentos aureos annuos donant Mon. Clun. ſuper Salinis de Attentia, ſine dat.

LXXXVII. Litera *Wilelmi*, Burdigal. Archiepiſcopi, per quam confirmat Eccleſ. Clun. ea omnia, quæ Prædeceſſores ſui Archiepiſcopi Burdigalenſ. ei dederant. Datum apud S. Joannem Angeriacenſ. 7. Kal Jul. 1182. Rom. Pont. Lucio III. exiſtente. Philippo Rege in Francia regnante. Henrico, Rege Anglorum, Ducat. Aquit. gubernante per Ricardum filium ſuum.

LXXXVIII. Carta *Adefonſi*, Imperatoris Hiſp. & Berengariæ ejus Uxoris, per quam Eccleſ. & Convent. Cluniac. donat Eccleſ. S. Vincent. de Salamantica, in manu Domini Guigonis, Rom. Eccleſ. Cardinalis & Legati, laudante Sancio, Imperatoris majori filio; præſentibus Toletano, Archiep. Petro Compoſtellano Archiep. Petro Secobienſi Epiſcopo, Petro Palentino Epiſc Berengario Salmanticenſi Epiſcopo, Roderico Comite, Pontio de Cabreria, Comite &c.

LXXXIX. Carta *Stephani*, Anglorum Regis, per quam ma-

Digitized by Google

nerium ſuum de Ledegba, de proprio dominio ſuo, dat Eccleſ. & Mon. Clun. pro centum marchis argenti, quas Rex Henricus Avunculus & Anteceſſor ejus, pro anima Patris ſui, Avi dicti Stephani Regis dicto Monaſt. donarat, anno Incarnat. Dominicæ. 1136. regni ſui 1. S. Stephani Regis, S. Mataldis Reginæ. S. Euſtachii filii Regis, S. Henrici de Suilly &c.

XC. Confirmatio *Henrici*, Regis Anglorum, pro remedio animæ ſuæ Uxoris, Matildis, & pro ſalute filii ſui Wilelmi, & filiæ Matildis, donationis Eccl. S. Trinitatis, quæ eſt in Lautona a Wilelmo Penerollo, ejusd. Eccl. fundatore factæ, ſine data.

XCI. Conceſſio Eccleſ. Clun. ab Hugone, Ulmi & Caſtricani Domino, facta; per quam promittit Eccl. S. Chriſtophori de Caſtrocanino, quod nullus deinceps haberet furnos & molendina infra Plaſtrearia Caſtricanini. Actum 1222. menſe Febr.

XCII. Carta Theobaldi, Comitis Trecenſis Palatini, qua donat Eccl. S. Magaretæ, quæ eſt cella Eccl. Clun. Grangiam, quæ dicitur Merelicultis pro ſalute Patris, & Matris, & fratris ſui. Actum anno Verbi Incarn. 1198. data per manum Galterii Cancellarii.

XCIII. Carta donationis Eccl. de Borbona, de lintis, & de lintellis Eccl. Clun. per Atonem, Eccl. Trecenſ. Epiſc. ſine data.

XCIV. Carta Alaidis, Matris Duc. Burg. de domo de Troant, quæ redire debet ad Cluniacum poſt deceſſum dictæ Alaidis 1235. menſe Junio.

XCV. Carta *Hugonis*, Domini Vergiaci, per quam dat Eccleſiæ & fratribus Cluniacenſibus homines ſuos, quos habebat apud villam Giuriacum, quam occaſione Ducis guerræ, homines ejus combuſſerant, anno 1187. regnante Philippo Rege Franciæ, Hugone Duce Burgundiæ, & Stephano Eduenſi Epiſcopo. Teſtes Dominus Hugo & Uxor ejus. Domina Gilia & Simon frater ejus.

XCVI. Literæ *Hugonis*, Ducis Burgundiæ, per quas pollicetur Stephano Abbati Cluniacenſi, ſe redditurum bona fide Eccleſ.

Eccleſ. Clun. Domum de Troant immunem ab omnibus debitis, poſt deceſſum Alaidæ Matris ſuæ, cui ad vitam ejus conceſſa fuerat dicta Domus. Actum eſt anno Domini 1235. menſe Junio, ſub Sigillo R. Lingonenſis Epiſcopi.

XCVII. Carta *Artaudi*, Albi Vice-Comitis, de quittatione earum omnium rerum, quas habebat, vel habere poterat in toto honore de Amberta, usque ad aquam de Changiaco, quæ dicitur Teſſora, & in tota villa de Torziaco. Actum apud Ambertam, in præſentia Domini Theobaldi Clun. Abbatis, cui quittatio illa facta fuit anno ab Incarn. Domini 1180. 1. die menſis Sept. regnante Francorum Rege Philippo, anno 1. & Domini Theobaldi, Venerabilis Clun. Abbatis primo promotionis anno. Teſtes Hugo Sacriſta Clun. Artaudus Prior Cariloc. Durannus Prior S. Victoris. Jomarus de Varennes, Petrus Decanus de Torziaco. Pontius de Caſtello. Petrus de Carnant. Radulphus de Spinatia, & Dalmatius frater ejus. Dalmatius de S. Albondo.

XCVII. Carta diviſionis Parrochiæ de Rue, a Ricardo Ambianenſi Epiſcopo facta 1207. menſe Majo.

XCVIII. Carta de pace inter Eccleſiam de Cluniaco & Monaſterium S. Egidii, continens donationem odedientiæ de Limant, facta Monaſterio Cluniac. a Petro Abbate S. Egidii. Actum MCXXXII. tempore Domini Innocentii Papæ 2. anno quoque ſecundo, regnante Ludovico Francorum Rege, ipſo quoque Domino Papa Innocentio præſente, Epiſcopis, Albanenſ. M. Joanne Cremenſi, H. Epiſcopo Antiſiodorenſi, Aymerio Cancellario, Gregorio Diacono Cardinali Romano. Romano Cardinali Diacono. Hujus rei teſtes ſunt Raymundus, Abbas S. Privati &c.

XCIX. Carta donationis Abbatiæ S. Pontii, Eccleſ. Clun. facta a Rainbaldo quodam, laudantibus filiis & Nepotibus ſuis, in manibus Domini Hugonis Abbatis Clun. ſub ſignis dicti Ranibaldi Epiſc. de Avinion. Wilelmi Gardilon. Ponci & Aicardi, qui omnes dictam donationem firmaverunt, ſine data.

C. Carta *Richerini* Epiſcopi *Tullenſis*, per quam confirmat

Eccleſ. Clun. donationem Cellæ Fondonenſis, alias Frundenſis, quam olim dictæ Eccleſiæ fecerat Vir illuſtris Odoinus; quæ confirmatio facta fuit Pontio, Abbati Clun. Tulli, in Synodo generali in majori Eccleſia S. Protomartyris Stephani 1109. Ordinationis vero dicti Richerini 4. Indict. 4. Epacta 9. concurrente 6. imperante Henrico IV. regnante Domino JEſu Chriſto feliciter. Amen. S. Richerini Epiſcopi. S. Theomari, Abbatis S. Manſueti. S. Udrici, Abb. S. Apri. S. Theoderici de S. Hylario. S. Theoderici de Calvomonte. S. Galterii & Theoderici fratris ejus de Vireres.

CI. Judicium Guichardi Prioris S. Elenci, Petri Præcentoris, & Humberti Pœnitentiarii Lugdun. ab Innocentio Papa delegatorum, ſuper querelis, quæ inter Priorem & Domum Marciniacenſem, & Simondum Dominum Sinemuro vertebantur. Actum apud Abraellam die Mercurii poſt octavas Pentecoſtes 1218.

CII. Carta facti pro Eccleſia Clun. contra Menatenſes per Archiepiſcop. Lugdun. Actum Lugduni, in domo Archiep. A. Dominicæ Incarn. 1208. menſe Octobr. præſentibus iſtis P. Matiſconenſi & B. Bellicenſi Epiſcop. P. de Balma, Abbate Ambroniaci. J. de Vaures. S. de Sandrens. P. de Boteon.

CIII. Carta judicii, lati per Magiſtrum Gaufridum, Priorem Podiolenii, Monach. Ordin. Clun. & Magiſtr. Petr. de Caſtris, Priorem de Suira, Arbitros electos ſuper querelis, quæ inter Eccleſiam Clun. & Priorem S. Egidii vertebantur. A. N. C. 1245. Pontificatus Domini Innocentii Papæ 4. anno 3. Indict. 3. menſis Julii die 8. ſub Sigillo Benedicti Epiſc. Maſſil.

CIV. Litera obedientiæ ab Henrico Priore S. Majoli Papinienſis, Domini Abbatis Clun. in Lombardia Camerarii, ad Abbatem Clun. ſcripta. Actum Lugduni, A. Inc. D. 1245. menſe Julio.

CV. Litera, a R. Archiep. Lugdun. & S. ejuſdem Eccleſiæ Decano, ad Dominum Innocentium Papam ſcripta, qua teſtatur ſe pronuntiaſſe in favorem Eccleſ. Clun. contra Menaten-

natenſem Abbatem pro obedientia & ſubjectione, quam debebat dictæ Clun. Eccleſiæ.

CVI. Carta Joſſeranni Groſſi, Domini Branceduni, qua, exceptis aliis rebus, quas antiquitus acceperat ab Eccleſia Clun. in feudum, ſcilicet, prata de Nocerois, fatetur ſe recepiſſe a Domino Stephano Abbate Clun. in feodum, quidquid habebat apud Flagiciacum, & in tota valle de Sirons, & in valle de Maciaco Nemus de Sorplate, & Nemus de Monte Audon, & locum qui dicitur Dens Turgi, & Nemus de Iſpanin. Actum anno gratiæ 1234. menſe Januario.

CVII. Notitia Joceranni Groſſi, Domini Branceduni, de rebus, quas Jocerannus de Nanton Miles ab Eccleſia Clun. tenebat in feodum. Actum A. D. 1234. menſe Auguſto.

CVIII. Carta Quittationis decimæ de Moſſenes, facta Eccleſiæ Clun. per Joſſerann. le Merle, ſub Sigillo Joſſeranni, Domini Branceduni, 1234. menſe Febr.

CIX. Carta donationis decimæ de Aynart, Eccleſiæ Clun. facta ab Hugolino de Petra-Campi Domicello, ſub Sigillo Guillermi, Cabilonenſ. Epiſcopi, 1234. menſe Mart.

CX. Notitia Joſſeranni Groſſi, Domini de Branceduno, de rebus, quas Guillermus de Loſiaco Miles, tenebat in feodum ab Eccleſia Clun. videlicet Caſamentum Domini Guillermi de Sauſ. Domini Gaufridi de Cros. Domini Girardi de Viliaco, Præpoſiti de Seſſonay. Joſſeranni Lou-Roſt, Præpoſiti d'Uxelles, & Domini de Viriſeto. Item laudam illorum de Digonia, decimam de Curtis, Corveias de S. Etadio, de Vallibus & de Montania. Item Montem de Montenay, & quidquid juris idem Guillermus habebat, vel habere poterat, a Gradona uſque ad Guiam, excepto feodo Domini Sarriaci. Actum feſto B. Urbani A. D. 1234.

CXI. Carta Joſſeranni Groſſi, Domini de Branceduno, qua teſtatur, Achardum de Majaco, hominem & fidelem ſuum vendidiſſe Eccleſiæ Cluniaci, quidquid habebat de Beſornay & S. Vincentii de Pratis, laudantibus Domeiona, ejus uxore,

Aicardo & Guirardo filiis ejus, & de conſenſu dicti Domini Branceduni; de cujus feodo & caſamento ea omnia erant. Datum in Cœna Domini A. D. 1236.

CXII. Carta de invadiatione Domini Joſſeranni de Nanton circa Jangulphum, & in territorio Garciaci, Eccleſiæ Clun. facta, in manibus Stephani, Abbatis Cluniac. ſub Sigillo Joceranni Domini de Branceduno. Actum A. D. 1236. m. Julio.

CXIII. Homagium Domini de Serciaco, Stephano de Berziaco, Abbati Clun. factum, de omni quod poſſidebat a Barta Sarciaci, usque ad portas Villæ Clun. Actum Clun. feria quarta intra octavas Aſcenſionis Domini, A. D. 1232. menſe Majo, ſub Sigillo Joceranni Groſſi, Domini Branceduni, & Caſtellani Domini Reginaldi in Burgundia.

CXIV. Homagium Acardi Militis de Maciaco, de rebus, quas in feudum tenebat ab Eccleſia Clun. ſub Sigillo Joceranni Groſſi, qui Acardum fratrem & fidelem ſuum vocat. Actum A. D. 1232. menſe Junii.

CXV. Carta ſuper quarta parte decimæ, de Froges & Domnæ Petræ, quam in feodum accepit ab Eccleſia Clun. Joannes de Chainiaco Miles, ſub Sigillo Aymonis, Epiſcopi Matisc. Actum A. D. 1236. m. Martio.

CXVI. Donatio Eccleſiæ Altæ - Petrenſis, Monaſterio Clun. facta a Guillelmo Biſuntinenſi Archiepiſc. ad preces Walcherii Prioris Gigniacenſ. ſine data.

CXVII. Carta Humberti, Archiepiſc. Biſuntini, qua guerpit Eccleſiam de Domino Martino Eccleſiæ de Alta-Petra, quam Landricus Archi-Diaconus de Varax occupabat & detinebat. Actum A. D. Inc. 1143. Teſtes Aurelius Archidiacon. de Salins. W. de Arguel. Stephanus de Foucheres, Canonicus, & multi alii.

CXVIII. Donatio Eccleſiæ S. Joannis Evangeliſtæ, de Veana, Lamberto Priori de Alta-Petra ab Humberto Archiepiſcopo Biſunt. facta. Teſtes ſunt Petrus Abbas S. Vincentii. Guichardus Prior S. Pauli &c.

CXIX.

CXIX. Donatio, quam Robertus, Lingonenſis Epiſcop. fecit Cluniac. fratribus de Eccleſia de Arcu. Acta ſunt hæc Gregorio Papa exiſtente, Philippo regnante, Roberto Lingonenſi epiſcopante, Stephano Cancellario dictante, ſine data.

CXX. Compoſitio, facta inter Hilduinum Lingonenſem Epiſcop.& Eccleſ Clun. ſuper decimis de Jeureio. Act. A D. 1200.

CXXI. Carta de compoſitione, facta inter Gualterum Epiſcop Cabilonenſem & Eccleſiam Clun. ſuper Eccleſia Caſtri-Capellæ. Teſtes Gualterius Epiſcopus Cabilonenſis. Albertus Prior Clun. Wigo Cantor Matiscon. Hugo de Viliaco Can. Gualterius de Loſiaco Can. Petrus de Burniaco. Ardwinus de Lordano. Actum eſt hoc A. ab Inc. D. 1142.

CXXI. Carta Payni de Pierreclou ſuper morte filii ſui, ſub Sigillo officialis Matiscon. Actum A. D. 1237. m. Decembri.

CXXII. Judicium Stephani Prioris Silviniaci, tenentis Caſtrum Berniaci, ſuper querela, quam Paganus de Petra-clauſa, Guido ejus filius, & Petrus de S. Laurentio, ejus gener, verſus Eccleſiam Clun. moverant, occaſione occiſionis filii dicti Pagani; cujus judicii fidejuſſores fuerunt ex parte Eccleſiæ Clun. Joſſerannus de Marziaco Miles. Durannus Præpoſitus de Blavaſco, Gaufridus ejus frater. Ex parte Pagani de Petra-clauſa & ſuorum, Dominus Majolus de Vinzelles, Dominus Guygo de Brueria, Dominus Hugo de Chaintrié Miles, & Guygo de Vinzelles Domicellus. Actum A. Domini 1229. menſe Auguſti.

CXXIII. Venditio, Hugoni Clun. Abbati facta per Andream de Vers, Domicellum, Helizabeth uxorem ſuam, & Beatricem Matrem ſuam, de Manſo ſuo, qui dicitur Martelon, ſitum juxta villam de Brey, 1238. menſe Majo.

CXXIV. Literæ Sacramenti Hominum de Charitate, de non inferendo damno, aliquo tempore Eccleſiæ Clun. præſtiti in civitate Nivernis, in præſentia Domini Comitis Wilelmi, & Domini Hugonis Epiſcopi Altiſiod. & Domini Fremundi Epiſcopi Nivernenſis, & Domini Anthonis Epiſc. Trecenſis, & Gervaſii Abbatis S. Germani.

CXXV.

CXXV. Carta Guillelmi, Cabilonenſis Epiſcopi, ad Nobilem Virum, Petrum d'Eſcrille, qua ei ſignificat, Nobiles Viros, Wilelmum Dominum de Digonia, Anſellum de Peureria, & Gualterium de Salviangiis Milites, teſtimonio veritatis confeſſos fuiſſe, quod Wilelmus de Rosſillon, Domicellus frater dicti Epiſcopi, dediſſet Eccleſiæ Cluniaci decem ſolidos Cluniac. ſub Sigillo dicti Epiſcopi 1233. menſe Decembri.

CXXVI. Werpitio Wilelmi de Chivinon, Matris ſuæ & fratrum ſuorum, Deo & Eccleſiæ Clun. de omni jure, quod habebant in præpoſito de Barchaſere, & in omni progenie ejus, ſub Sigillo Wilelmi Comitis Cabilonenſis, ſine data.

CXXVII. Carta Aymerici, Alvernorum Epiſcopi, ſuper compoſitione pacis, nuper inter ipſum & Eccleſiam Clun. & Canonicos Claromontenſes initæ, ſuper quibusdam Eccleſiis, 1131. Anno I. Pontific. Domini Papæ Innocentii II. regnante Rege Francorum Ludovico in die feſtivitatis S. Matthæi Apoſtoli. Teſtes Rogerius Abbas S. Geneſii, Hubertus Prior Celſiniac. Stephanus Prior S. Flori, Hildinus Prior de Volta, Euſtachius Prior de Rivis, Petrus Prior de Amberta, Petrus Prior de Bort. Hugo Prior de Nigroſtabulo.

CXXVIII. Carta Petri Diaconi Cardinal. ſuper querela, quæ vertebatur inter Eccleſiam Clun. & Capitul. Claromont. aſſidentibus Archiepiſcopo Bituric. & Epiſc. Antiſſiodor. & Nivern. ſine data.

CXXIX. Notitia Hugonis, Domini Brecarum, de rebus, quas Domus de Moſteret habebat in Caſtro ſuo, d'Arcy 1177.

CXXX. Carta Controverſiæ inter Simonem Priorem de Marmeſſa, & Ricardum Capellan. de Caſtro-Villano. Actum in præſentia Walteri Lingonenſ. Epiſcopi, A. V. Incarn. 1173. regnante Ludovico Rege, Odone Duce Burgundiæ, Hugone Brecarum Caſtrum Villanum viriliter regente.

CXXXI. Judicium Roberti, Cabilonenſ. Epiſcopi, & Gualterii, Abbatis S. Petri, ſuper querela ſupradicta A. D. 1180.

CXXXII. Confirmatio Abbatiæ S. Stephani de Braunia, Eccleſiæ Clun. facta, a Petro Sanctonenſi Epiſcopo MCX. apud S. Eutropium, in præſentia Domini Petri Abbatis, Anno I. ordinationis Domini Petri Epiſcopi.

PARI-

PARIDIS CRASSI

BONONIENSIS

APOSTOLCARUM SUB LEONE PAPA X.

CÆREMONIARUM MAGISTRI AC EPISCOPI

PISAURENSIS

DIARIUM CURIÆ ROMANÆ,

CUM

DISSERTATIONE

DE

AUTORE DIARII, EJUSVE VITA

NEC NON

DIARIIS ET LIBRIS CÆREMONIARUM

CURIÆ ROMANÆ

PRIMA VICE EX MANUSCRIPTO

EDITUM.

Digitized by Google

SUMMARIA
DISSERTATIONIS PRÆLIMINARIS.

UTilitas ſcriptorum, quæ ſub titulo *Diarii Curiæ Romanæ* prodierunt §. I. Recenſio diverſorum ſcriptorum hujus generis, inprimis BURCHARDI §. II. & III. De PARIDE CRASSO, ejusque ſcriptis §. IV. V. De ejus diario curiæ romanæ, §. VI. Refellitur eorum traditio, qui Paridem Craſſum librum Cæremoniarum Romanarum edidiſſe ferunt, §. VII. Recenſetur vera hiſtoria hujus libri. De AUGUSTINO PATRICIO PICOLOMINEO vero libri Autore, §. VIII. Quando liber ille editus: privilegia Pontificis & reipublicæ Venetæ, quibus munitus prodiit, §. IX. Verus annus primæ editionis: de CHRISTOPHORO MARCELLO, lites ejus cum *Paride Craſſo* ob libelli promulgationem, §. X. Cauſæ, quas Paris contra Marcellum allegavit: Ejusque Proceſſus contra *Marcellum* inſtitutus, §. XI. Libri editiones variæ recenſentur, §. XII. Rationes, cur editio hujus libri non utilis fuerit curiæ Romanæ. Scriptores, qui excerpta ex hoc libro dederunt, WENCESLAUS LINCK, PAULUS VERGERIUS, §. XIII. De Taxa Cancellariæ Romanæ pene eodem tempore publicata, §. XIV. Differentia antiquarum & novarum Cæremoniarum curiæ romanæ. De LIBRO DIURNO, Ordinibus Romanis aliisque libris Cæremoniarum, §. XV. Cura Romanæ curiæ circa cæremonias, §. XVI. Finis diſſertationis, §. XVII.

Digitized by Google

Dissertatio Præliminaris
DE
AUTORE HUJUS DIARII ET LIBRIS CÆREMONIARUM CURIÆ ROMANÆ.

TAm celebre nomen inter Scriptores, qui de curia Romana egerunt, nactus eſt PARIS CRASSUS, *Bononienſis, Apoſtolicarum Cæremoniarum Magiſter, ac Epiſcopus Piſaurenſis,* ut rem forte non ingratam me facturum eſſe, confidam, typis exſcribendum committens fragmentum DIARII CURIÆ ROMANÆ, a memorato Autore compilati, multorum votis hactenus expetitum, cujus copia mihi perhumaniter facta eſt a Viro de re litteraria immortaliter merito, MATURINO VEYSSIERE LA CROZE, *Bibliothecario & Antiquario Regio,* quem hic publice nominare grati animi officium exigit. Quantum autem ſcripta illa, quæ facta & obſervata in Pontificum curiis recenſuerunt, in cognoſcendis aulæ Romanæ moribus, dijudicandis Paparum Procerumque ejus ingeniis, inprimis autem in acquirenda penitiore notitia tam ſacrarum quam profanarum cæremoniarum, quarum olim Roma videbatur ſola eſſe Magiſtra, præbeant uſum, omnes facile intelligunt, qui ſcripta illa, quorum nonnulla in lucem protracta fuerunt, vel curſorio oculo inſpexerunt. Non enim condita ſunt illa diaria ab hominibus privatam agentibus vitam, qui plerumque ex vulgi rumoribus, aut aliis incertis & dubiis traditionibus ſua hauſerunt, ſed a Viris in ampliſſimis muneribus curiæ

Romanæ conſtitutis, rerum ipſarum, quas conſignarunt & Spectatoribus & quandoque Moderatoribus, quorum teſtimonio ut fidem habeamus, graviſſimæ movent rationes, literis mandata ſunt, non quidem eo animo, ut divulgarentur, ſed ut arcanorum inſtar, in futurorum caſuum præjudicium aſſervarentur.

§. II. Primam edendis ſcriptis hujus generis impendit operam Vir nunquam ſine elogio nominandus, LEIBNITIUS, qui anno M DC XCVI. emiſit *Specimen hiſtoriæ arcanæ de Vita* ALEXANDRI VI. *Papæ, ex Diario* JOH. BURCHARDI, *Ceremoniarum Magiſtri.* Continet autem hæc editio tantummodo excerpta, quæ ad manus *Leibnitii* pervenerant. Integrum vero diarium in *Codice Berolinenſi* ſibi viſus eſt reperiſſe VIR CELEB. JO. GEORG. ECCARDUS, illudque *Tomo ſecundo Corporis Hiſtorici Medii ævi* inſeruit. Aſt non ſine ratione ſuſpicamur, id quod in publicum produxit opus Vir CL. minime integrum exhibere Diarium a Burchardo collectum, cum jam obeunte SIXTO IV. officio Ceremoniarum Magiſtri functus fuerit, ad quod pertinuiſſe videtur geſta in romana curia conſignare: Hinc vix veroſimile eſt, *Burchardum* a temporibus Alexandri demum diario conſcribendo initium feciſſe. Nam, quæ ſub titulo Diarii Burchardiani proſtant, ultra Pontificatum Alexandri non aſſurgunt, & deſinunt ad annum M D V. qui penultimus vitæ fuit Burchardi. Erat autem BURCHARDUS patria Argentinenſis, Magiſter Ceremoniarum in aula Romana & Eccleſiæ Hortanæ a *Julio II.* Papa præfectus. Ab eodem Autore habemus *Ceremoniale antiquum Sedis Romanæ vacantis a morte Sixti IV. usque ad ingreſſum novi Pontificis in eccleſiam Lateranenſem,* quod iterum debemus illuſtri LEIBNITIO, qui illud mantiſſæ *Codicis juris gentium diplomatici* adjecit, quod tamen, ni fallor, pro fragmento quodam ipſius diarii, ab hoc Autore conſcripti, haberi poterit. Cæterum eidem Burchardo adſcribendus eſt tractatus, qui

qui *Romæ anno* 1509. prodiit ſub titulo: *Ordo Miſſæ pro informatione Sacerdotum,* recuſus Venetiis anno 1572. Meminit etiam *Diarii Ceremoniarum curiæ romanæ* a Burchardo conſcripti ODORICUS RAYNALDUS ad annum 1484. §.28. & ad annum 1485. §.42. De quo tamen, cum inter arcana Vaticani Archivi prematur, nihil certi proferre poſſumus, exceptis, quæ §. VIII. ex veroſimilibus adducuntur conjecturis.

§. III. Ante Burchardum non defuerunt, qui pari ſinceritate æque ac libertate hiſtoriam urbis curiæque Pontificiæ poſteritati ſcriptis tradidere. Hicque rurſus nominandus eſt Celeberrimus ECCARDUS, qui Tomo II. collectionis ſuæ Scriptorum medii ævi numero XVII. ex Codice Berolinenſi & Hanoverano *Diarium urbis Romæ* recenſuit, quod ab anno MCCXCIV. incipit, & ad annum M CD XCIV. progreditur. Opus, quod diverſos Autores expertum eſt, inſcriptum quidem STEPHANO INFESSURÆ, quem Codices manuſcripti *Scribam Senatus Populi Romani* appellant, ſed ſine omni dubio diverſorum Autorum ſtudio compilatum, prout evincit teſtimonium ab illuſtri ECCARDO ex *Honorati* NICQVETII *Avenionenſis S.J.* libello de *cruce* adductum, quo loco Autores hujus diarii LÆLIUS PETRONIUS, PAULUS DE MAGISTRIS & STEPHANUS INFESSURA nominantur. Imo latent in Bibliothecis atque Archivis plura hujus generis ſcripta, cum ad tempora antiquiora, tum ad recentiora reſpicientia, ex quibus, ut quæ mihi innotuerunt, referam, nominanda ſunt, Diaria urbis & aulæ romanæ ab *anno* M CCC XXVII ad annum MCD. Autore LUDOVICO MONALDESCO DE ORVIETO, & ab anno MCCCLV. autore FRANCISCO VARONCELLI, Cive Romano & Tribuno Patriæ ſuæ, ab anno M CD XXXI. ad annum MCDLXXXIV. autore BENEDICTO di COZA, qui ſe appellat *Maeſtro dello Rione di Ponte,* & ab anno MDXXI. usque ad annum MDLXII. autore COLA CALLEINE

Romano: ut ſilentio præteream illos, qui ſingularium factorum recenſionem ſub titulo diariorum inſtituerunt, inter quos memorari meretur ſcriptum, cui titulus: *Diario d'alcune attioni più notabili nel Pontificato di Paolo IV. l'anno MD. LXXXV. ſino alla ſua morte:* aut qui, ſub ANNALIUM titulo, idem tentarunt, ex quibus nominandi mihi videntur *Annales* MATTHEI di GIOVENAZZO, ab anno MCCXLVIII. ad annum MCDLVII. & ANTONII de AFELTRO, ab anno MCDXXXIV. usque ad annum MCDXCVI. Quamvis autem hi ſcriptores minime æquali ſtudio ac fide in conſignandis rebus verſati, potius non raro partium, quibus favebant, amore abrepti videantur: nullum tamen eſt dubium, quin illa ſcripta ſæpius arcanos receſſus curiæ Romanæ, quæ illo ævo totius pene Chriſtiani Orbis negotia moderari ambiebat, recludant, omnibusque illis inſervire poſſint, qui ad intimiorem cognitionem cum ſecularium, tum Eccleſiaſticarum rerum iſtorum temporum adſpirant. Nam non vulgaria & trita in illis leguntur, quæ omnium in ore verſabantur, ſed anecdota pleraque, & ſine ſimulandi vel diſſimulandi ſtudio obſervata, quibus quantam habere queamus fidem, illi judicent, qui verum diſcrimen inter hiſtoriarum ſcriptores quodam ſtipendio conductos, aut ad ſuſcipiendum opus aliis allectos argumentis, & quos nulla ambitio vel extranea cauſa ad conſervandam rerum geſtarum memoriam fideli conſignatione actorum irritavit, facere noverunt.

§. IV. Sed progredimur ad PARIDEM CRASSUM, Diarii illius autorem, cujus inſigne fragmentum jam in lucem producimus, quodve ab ipſius Autoris celebritate commendatur. PARIS CRASSUS, aliis PARIS de CRASSIS vel GRASSIS, dictus, minime autem, prout a quibusdam allegatur, *Graſſis von Paris* appellandus, *Bononienſis*, in aula Romana ſplendidiſſimum munus Magiſtri Ceremoniarum ſubiit: quod circa annum MD. ſuſcepiſſe videtur, prout ex epiſtola ipſius

ipſius Paridis patet, quam anno MDXVII. Pontifici LEONI X. inſcripſit, & quam MABILLONIUS Tom. II. Muſei Italici *pagina 588.* imprimi curavit. Profitetur in ea, quod inter ſacras ſolemnesque Romanæ Eccleſiæ ceremonias a ſua juventute verſatus, illis, LEONIS ac ejus Prædeceſſorum beneficio, jam per XVI. prope annos præfectus fuerit. Promeruit ſtudio, diligentia & alacritate, quibus Ceremoniarum Antiſtitis officio defunctus, ut Anno MDXIII. die 4. menſis Aprilis a Pontifice *Epiſcopus Piſaurenſis* declaratus fuerit, referente UGHELLI tomo ſecundo *Italiæ ſacræ pag. 863.* qui addit, eum inauguratum fuiſſe in Eccleſia S. Laurentii in Lucina ab ACHILLE fratre de GRASSIS, aſſiſtentibus Epiſcopis Treviſiano, Romæ Gubernatore, Dyrrachienſique Sacriſta Pontificis, ſexta die Maji, altero die poſt Pentecoſten, & ſolenni demum ritu pompaque poſſeſſionem Epiſcopatus iniiſſe die 18. Januarii MDXV. Diem ſupremum obiit Romæ Anno MDXXVIII. die 10. Junii, cum ſe antea munere ſuo Magiſtri Ceremoniarum abdicaſſet. Sepultus apud S. Petrum, memoriæ ejus ſequens inſcriptio poſita:

Paris de Graſſis Epiſcopus Piſaur.
Apoſtolicæ Sedis
Ceremoniarum Magiſter
Colleg. hujus capellæ
A. B. M.

Cæterum pauca ſunt, quæ de vita Paridis Craſſi reperire potui, quamvis ejus mentionem fecerint JAC. A. S. CAROLO *in Bibliotheca Pontificia*, ALIDOSIUS *de viris illuſtribus Bononienſibus*, aliique. Singulare tamen & lepidum eſt, quod ex MABILLONII *itinere italico pag. 174.* retulit BAYLIUS in dictionario ſub voce GRASSIS, acerba admodum cenſura contra Paridem uſus, quem inter eruditos impoſtores referre non dubitat, quamvis Paridis factum, prout obſervavit Mabillonius, magis

magis ad jocum accedat, quam ut decipiendi aliisque imponendi animum referat. Res ita narratur: Confinxerat Paris de Craſſis epitaphium mulæ inſcriptum, quod ſic incipiebat: DIS PEDIBUS SAXUM &c. ſculptum illud ex marmore in quadam ejus vinea ſepultum fuit: poſtea fingens ſe velle quasdam arbores plantare, juſſit foveam & ſcrobem eo in loco fieri, ubi marmor abditum erat. Cum vero fodiendo illud eſſet inventum, id de ſua mula prædictum fuiſſe dixit. Addit *Mabillonius*, marmor illud multos annos ut derelictum ibidem reſtitiſſe, cum res per jocum acta fuiſſet: deinde autem antiquitatis ſpecie multos decepiſſe, opinantes, id eſſe antiquum marmor, & a P. Craſſo mulæ ſuæ inſcriptum: THOMAM PORCACCHIUM inter alios hoc epitaphium pro genuino & antiquo habuiſſe in libro funeralium: immo ALEXANDRUM VII. in adverſariis ſuis notaſſe, id repertum fuiſſe prope S. Petrum. Quæ tamen omnia citra mentem & votum Paridis de Graſſis accidere potuerunt.

V. Hæc de Autore Diarii: jam quædam de ejus ſcriptis dicenda ſunt. Proſtant ejus *libri duo de Cæremoniis Cardinalium & Epiſcoporum in eorum diæceſibus*, opus quod multis poſt obitum Autoris annis emiſit FRANCISCUS MUCANTIUS, JCtus Romanus, illudque OTHONI TRUCHSESSIO *S. R. E. Cardinali Auguſtano*, *Epiſcopo Albanenſi* dedicavit. Ad manus eſt editio Romana *apud Bernardinum Donangelum in campo Floræ. Anno 1587.* in forma 8. excuſa, quæ ſecuta eſt Venetiis anno 1582. in 4to procuratam editionem. Antiquiorem non vidi, neque ab aliis obſervatam deprehendi. Quam enim nonnulli citant editionem, Romæ autoritate PII IV. anno 1546. procuratam, nemo viderit & errorem & falſitatem relationis produnt, quod PIUM IV. anno demum quinquageſimo nono in Pontificem electum fuiſſe, conſtet. Opus hoc, referente *Mucantio*, ſcripſerat PARIS de CRASSIS in gratiam *Joh. Stephani Ferrerii*, Cardinalis Eccleſiæ Bononienſis

ſis perpetui tunc adminiſtratoris, ad ipſius Bononienſis Eccleſiæ uſum inprimis accommodatum, deſumta pleraque ex uſu capellæ Papalis. Delituerat libellus in *Joannis Baptiſtæ Oſii*, Epiſcopi Reatini, ſcriniis, quem olim ab ipſo *Paride* acceperat editoris avus maternus, *Blaſius Baronius Ceſennas*, Apoſtolicarum ceremoniarum magiſter. Commendaverat jam opuſculum PAULUS III. & demum PIUS IV. omnium Cardinalium aſſenſu confirmaverat. Cæterum ille libellus omnia minutatim recenſet atque diſponit, quæcunque per Cardinales & Epiſcopos in ſuis diœceſibus morantes, circa divinum cultum obſervari debent. Diverſum ab hoc opere eſt libellus, quem ex MS. Codice *Petri Mercardi Civis Turonenſis*, edidit Celeberr. EDMUNDUS MARTENE, atque Tomo ſecundo præſtantiſſimi operis *de antiquis Monachorum ritibus pagina 595.* ſub titulo ORDINIS ROMANI *auctore* PARIDE CRASSO *ſacrarum ceremoniarum Præfecto*, communicavit. Confecerat illum in uſum *Guilielmi* Epiſcopi Albanenſis, Cardinalis. Inſtitutum referunt ſequentia præfationis, ad dictum Cardinalem directa verba: *quam ſtrictiſſime*, *licuit*, inquit, *ſub compendio rerum ſacrarum celebritates omnes Pontificias, numerosque ac vices & loca, quæ, qualiterve, ac ubi & per quos intra totum annum ſolemniter agantur. Cultus quoque cum ſacris paratibus: quibus tam Pontifex Maximus, quam Patres ampliſſimi ad rei divinæ celebrationem proficiſcentes, eidemque præſentes, tuo juſſu, Pater Reverendiſſime, collegi.*

VI. Tertium, quod ab illuſtri hoc Prælato habemus monumentum, eſt DIARIUM CURIAE ROMANAE, cujus partem jam in publicum producimus. Non enim integrum eſſe opus, docent fragmenta hujus diarii ab aliis allegata. FRANCISCUS SESTINI in libro *Moderno Maeſtro di Camera*, citat quædam acta ad Annum MDXIII. ex hoc diario: In rariſſimo opere, quod P. PETRO MONOD *Soc. JEſu* tribuitur, & cui titulus: *trattato del titolo Regio dovuto alla ſereniſſi-*

ma caſa di Savoia, impreſſo Taurini Anno 1633. in folio, pag. 57. & 67. nonnulla excerpta ex hoc diario ad annum MDXV. leguntur, quæ ſub acrem cenſuram vocantur a GRASWINCKELIO *in diſſertatione, de jure præcedentiæ inter Sereniſſimam Venetam Rempublicam, & Sereniſſimum Ducem Sabaudiæ Cap. XXXI.* & *XXXVIII.* MABILLONIUS *Tomo ſecundo muſei Italici pag. 587.* aliud fragmentum, quod ad annum MDXVII. referendum edidit, in quo recenſetur actio a Paride contra MARCELLUM, Electum Corcyrenſem, inſtituta. Quæ ſane teſtimonia abunde evincunt, diarium Paridis Craſſi non paucis quibusdam foliis abſolutum fuiſſe, acta potius plurium annorum complexum eſſe. Operæ tamen pretium fuit, & illa fragmenta publicæ exponere luci, partim cum vix aliqua ſpes ſuperſit, fore ut integrum diarium typis excudi poſſit, partim cum vel hæ rariſſimi operis reliquiæ in unum collectæ non ſua deſtituantur utilitate æque ac jucunditate, de quibus in ſubſequentibus plura dicemus. Autor ſumma libertate uſus non pauca memoratu digna prodidit, adeo ut hujus diarii quoque uſus aliquando inſignis in illuſtribus de ceremoniis atque inprimis Principum inter ſe de præcedentia controverſiis agnitus fuerit.

VII. Plura ac certiora de PARIDIS CRASSI ſcriptis invenire haud potuimus. Sed gravior reſtat inquiſitio. Communis & a multis magna cum fiducia tradita eſt fabula: Paridem Craſſum LIBRUM quendam CEREMONIARUM in publicum emiſiſſe. Nominatur annus impreſſionis, nempe Seculi XVI. quartus: nominatur locus impreſſionis, *Roma*, imo nonnulla ex eo recitantur. GABRIEL NAUDÆUS in *bibliographia politica §. 26.* inter ſcripta, quæ de cæremoniis publici juris facta ſunt, refert PARIDIS de GRASSIS CAEREMONIALE, cujus autoritatem ſecutus eſt BAELIUS in dictionario *ſub voce* GRASSIS, qui non tantum impreſſum eſſe hunc libellum, verum etiam æſtimari, aſſeverat. Admodum

dum fallitur PLACCIUS de *Scriptoribus anonymis num. 671. & 1071.* cum MASTRICHTIO, quando pro Autore libri Ceremoniarum habet *Paridem Craſſum*, eumque Cardinalem dicit. ZACHARIAS ZWANZIG in Theatro præcedentiæ frequenter ad *Paridis de Craſſis* ceremoniale de anno 1504. provocat, ejusque autoritate nititur. Sileo alios ſcriptores, qui eundem errorem erraverunt. Ego certe omnem in quærendo hoc opere fruſtra collocavi operam, eoque adductus ſum, ut talem librum a Paride Craſſo editum fuiſſe, mihi non perſuadere poſſim, imo plane dubitarem, tale opus unquam ab hoc Autore compoſitum eſſe, niſi ſcrupulum moveret MABILLONIUS, qui in commentario ſuo in *Ordinem Romanum pag. V. & VI.* Ceremoniale Paridis ab ejus Diario diſtinguit, quamvis Mabillonii verba ita ſint comparata, ut non ſufficienter differentia utriusque operis ex iis pateat. Id interim pro certiſſimo habeo, *Ceremoniarum librum ab hoc Autore conſcriptum nunquam* prodiiſſe.

§. VIII. Facile erit aſſerti veritatem ſufficientibus demonſtrare argumentis, quæ inprimis vera hiſtoria LIBRI CEREMONIARUM ſuppeditat, quam cum a multis minus recte traditam animadverterim, paucis exponam, quo vulgares traditiones de hoc libro evidentius explodantur. Primus CEREMONIARVM LIBRI, qui ſub hoc titulo circumfertur, Autor fuit AVGVSTINVS PATRICIVS PICOLOMINEVS Epiſcopus Pientinus, Ceremoniarum ſub Pontificatu INNOCENTII VIII. Magiſter, annis ſupra viginti in capella Pontificia verſatus, non confundendus cum AVGVSTINO PATRICIO FRANCISCI PICCOLOMINEI Cardinalis Senenſis, in conventu Ratiſponenſi Secretario, qui acta ejusdem conventus literis mandavit, prout refert MABILLONIVS in muſeo italico *Tom. I. p. 2. pag. 255.* cui etiam ſequentia de AVGVSTINO PATRICIO Pientino Epiſcopo debemus. Memorat enim AVGVSTINVM PATRICIVM antea PICCO-

LOMINEUM appellatum per adoptionem, ex magiſtro cæremoniarum Innocentii VIII. renuntiatum fuiſſe Pientis Epiſcopum anno MCCCCLXXXIII. & obiiſſe anno MCCCCXCVI. Ad conficiendum opus de Cæremoniis Romanæ Eccleſiæ AUGUSTINUM PATRICIUM excitavit Innocentius VIII. cujus juſſu emendationem LIBRI PONTIFICALIS ſuſceperat: Teſtatur illud ipſe AUGUSTINUS in epiſtola, qua ad finem perducto cæremoniarum libro illam INNOCENTIO VIII. prævia cenſura Senatus Apoſtolicæ Sedis obtulit. Adjutorem habuit JOHANNEM BURCHARDUM, de quo ſuperius §. II. dictum fuit, cujus opera inprimis in condendo ſecundo libro uſum ſe fuiſſe, fatetur. Conſtant hæc ex Epiſtola allegata, quam laudatus MABILLONIUS *Tomo ſecundo Muſæi Italici pag. 584.* integram recenſuit, & quam huc tranſcribere, cum Cæremoniarum in aula Romana conditionem, qua illo tempore erant, luculenter deſcripſerit, non piget.

AUGUSTINI PATRICII PICOLOMINEI,
Epiſcopi Pientini, epiſtola ad Innocentium VIII. in librum ſacrarum Cæremoniarum, quibus Romani Pontifices uti conſueverunt.

SAnctiſſimo Domino noſtro INNOCENTIO VIII. univerſalis eccleſiæ ſummo pontifici, Auguſtinus Patricius Picolomineus, indignus Epiſcopus Pientinus, felicitatem. Abſoluta nuper ſatis feliciter divino munere emendatione libri Pontificalis, explicationem ordinationemque ſacrarum cæremoniarum, quibus Romani Pontifices uti conſueverunt, tuo juſſu, tuisque auſpiciis, beatiſſime Pater, aggredior. Certamen profecto priori laborioſius, longeque difficilius, cum propter incertam ejus rei diſciplinam, lateque per multa capita vagantem, tum etiam ob frequentem cæremoniarum additionem, diminutionem, variationem, ac pro tempore multiplicem mutationem. Cogitavit ſane circumſpectiſſima beatitudo tua, & recte quidem, plurimum ad divinam clementiam nobis propitiandam pertinere, ſi puris, caſtis, congruisque cæremoniis illa colatur:

latur: Nec minus ſpectare ad Majeſtatem Apoſtolicam, ſacrique ſenatus auctoritatem venerationemque præſervandam atque augendam, ſi ſuo ordine, rituque decenti omnia peragantur; ſi rerum, temporum, perſonarum ratio habeatur; ſi cuique reddantur debitus honor, & propria reverentia: quæ quidem omnia hac una diſciplina continentur, ſuggeruntur adminiſtranturque. Quanta fuerit apud omnes gentes, apud omnes populos, apud omnes nationes ſacrorum cura, nimis longum eſſet enarrare. Prætermittam Eleuſinæ Cereris vana atque abdita ſacra, furioſa, pudendaque Dionyſii orgia; Ægyptiorum irridenda, & portentuoſa mimica, & Romanorum ſuperſtitioſam religionem: apud quos nulli magiſtratus legitimi putabantur, nullæ expeditiones, ſive mari, ſive terra ſuſcipiebantur, nihil a ſenatu populove ſtatuebant, niſi prius juſtis cærimoniis, ſuperum voluntas explorata eſſet. Sacra certe Pentateuci hiſtoria tota fere in tradendis divinis ritibus verſatur; ita ut nihil magis Moyſen, imo ipſum Deum curaſſe conſtet, quam ut ſtatutis congruiſque cærimoniis divina majeſtas ab hominibus coleretur: ubi eodem tenore ſervari mandantur præcepta, cærimoniæ atque judicia.

Majores vero noſtri, Duces & Doctores Chriſtiani populi, ab initio naſcentis eccleſiæ, ſacros ritus divino afflati numine nobis tradiderunt; quos deinde creſcente fidelium multitudine, illorum ſucceſſores Romani pontifices, ſalva rerum ſubſtantia, auxerunt, atque mirum in modum ampliaverunt, adduntque indies: mutantur & variantur permulta, quæ non tam priſcis inſtitutionibus adverſa ſunt, quam tempori, & rebus quæ aguntur, accommoda, atque decora. Quo fit, ut cum propter rei vetuſtatem, pauca admodum ex priorum obſervantiis reperiantur, & quæ deinde a poſteris litteris mandata exſtent, tum propter Romanæ curiæ crebras apud exteras gentes peregrinationes, tum etiam propter varias confuſaſque ſcribentium ſententias, parum uſui & utilitati noſtris temporibus eſſe videantur; cærimoniis non tam ſcriptis, quam jam pridem conſuetis hactenus magna ex parte uſi fuimus. Hinc variæ aliquando inter patres de peragendis ſacris opiniones, hinc contentiones indecentes interdum, inter miniſtros cærimoniarum: cum memoria hominum labilis ſit & fluxa, ſæpeque aliæ pro aliis ſuccurrant: & quid certi tenendum ſit, fixa regula oſtendi non poſſit. Hæc igitur, ut reor, provide conſiderans Sanctitas tua, beatiſſime Pater, cupienſque, ut in omnibus rebus, tam divinis, quam humanis, decus & ordo debite ſervetur; utque ſine tumultu, quiete, tranquille cum gravitate, & digni-

gnitate omnia peragantur: injunxit mihi, ut tam ex libris majorum, quos ex archiviis Romanæ ecclesiæ complures deprompſi; quam ex quotidiano uſu capellæ apoſtolicæ, in quo annis ſupra viginti, non ſine labore aſſiduo verſatus ſum; cærimonias omnes, quibus noſtro tempore uti conſueverunt Romani pontifices, prætermiſſis ſuperfluis, & antiquatis, in ordinem redigerem. Devitaſſem recuſaſſemque hoc munus perlibenter, & ſarcinam humeris meis omnino imparem excuſſiſſem, ſi licuiſſet Pontifici maximo non obtemperare. Sed ſciens obedientiam victimis præſtantiorem eſſe, & reum eſſe mortis, qui ſummo Pontifici non paret: malui rudis ac ignarus judicari, quam protervus ac inobediens. Erexit, & mirum in modum confirmavit mihi labentem animum, in primis ſumma tuæ pietatis in omnes benignitas atque clementia, quæ non tam ineptitudinem meam, quam optimam mentem, & parendi promptitudinem metietur, tum illorum reverendiſſimorum patrum, quos hujus noſtræ lucubrationis recognitores reviſoreſque conſtituiſti, prudentia, diligentia, acerrimum integrumque judicum, & omnium rerum divinarum, atque humanarum ſumma doctrina: qui profecto nihil admittent, quod gravitati ac dignitati Apoſtolicæ Sedis, & tanti Senatus non conveniat. Quorum exactiſſimæ cenſuræ hos libros, per multos dies libentiſſime ſubmiſi, ratus, ut ſi a tantis viris approbarentur, fore ut a nemine merito poſſent damnari.

Totum opus in tres libros diviſimus. Primus & major ea continebit, quæ ad ſummum Pontificem, & ſacrum ſenatum pertinent, extra ordinem divini officii, ut puta electionem, & conſecrationem Romani Pontificis, Cæſaris coronationem, canonizationes Sanctorum, creationes Cardinalium, & cætera hujuſmodi. Secundus ordinem & ritum celebrandi ſacras ſolennitates, per totum anni circulum complectetur; & quæ ad divinum officium ſpectant, tam in Veſperis, quam in Miſſis, & aliis horis. Et in hoc quidem libro ſecundo, quoniam minutiora multa inſunt, quibus ſine continua exercitatione nemo facile meminiſſe poſſet, adhibuimus nobis adjutorem Johannem Burcardum Argentinenſem, Præpoſitum Haſelatenſem, & ſacrarum cærimoniarum miniſtrum: cujus ſolerti opera etiam uſi ſumus in emendatione libri Pontificalis, qui omnia quam diligentiſſime collegit, & accuratiſſime annotavit, ut parvo labore in digerendo libro opus fuerit. Tertium librum addidimus generalia quædam, normas, atque cujuſque officii ſummarias inſtructiones continentem, præpoſuimuſque cuique libro capita rerum,

quæ

quæ in eo continentur: ut facilius quid quiſque deſiderat, invenire queat. Admirabuntur fortaſſe complures diſerti & latinæ linguæ cenſores, quod vim proprietatemque verborum latinorum non usquequaque ſervaverimus: quodque plura admiſcuerimus nova vocabula, quæ latinius dici potuiſſent. Quibus ingenue fatebimur ignorantiam noſtram, & tamen multa ibi eſſe affirmabimus, quæ ſi aliter dicerentur, non facile ab omnibus intelligerentur. Secuti ſumus in his terminos, a ſuperioribus harum rerum ſcriptoribus uſurpatos, & qui hodie etiam ſunt in uſu apud ſacrorum miniſtros: arbitrati Sanctitatem tuam, &c. ſacrum ſenatum non tam verborum lenocinia, quam rerum ordinem, & explicationem a nobis exacturos. Quibus ſi ſatisfecerimus, Deo O. M. bonorum omnium largitori, qui unde ſatisfacere poſſemus, clementiſſime tribuit, gratias agimus immortales: ſin minus ut imbecillitati ruditatique noſtræ ignoſcas, & obtemperandi ſtudium benigne ſuſcipias etiam atque etiam ſupplices exoramus. Vale Romæ, Kal. Mart. anno ſalutis MCCCCLXXXVIII.

Compilavit hoc opus Epiſcopus Pientinus, in ſeceſſu Senenſi, ad quem vocatione a magiſtratu Cæremoniarum impetrata, ab Innocentio VIII. dimiſſus erat, libroque conficiendo triennium impendit; quem tandem perfectum, Pontifex in palatii ſacrarium ac interiorem bibliothecam reponere juſſit. Ab eodem AUGUSTINO PATRICIO habemus vitam FABIANI BENCII *Politianenſis*, ſacrorum canonum Profeſſoris, quam ex manuſcriptis eruit laudatus MABILLONIUS, *in Muſeo Italico tomo I. p. 2 pag. 251.* qui etiam *deſcriptionem adventus* FRIDERICI III. *Imperatoris ad* PAULUM *Papam II.* AUGUSTINO PATRICIO Autore, eodem libro pagina 256. exhibuit: opuſculum lectu digniſſimum, cum ipſe *Auguſtinus Patricius* enarratis ſolennitatibus interfuerit.

§. IX. Anno MDXVI. Venetiis prodiit Opus, ſub titulo: SACRARUM CEREMONIARUM, S. S. ROMANAE ECCLESIAE LIBRI TRES NON ANTE IMPRESSI in folio. Subſcriptio habet: GREGORII de GREGORIIS *excuſere Leonardo Lauretano, Principe optimo: Venetiis*

Digitized by Google

netiis MDXVI. Menſis Novembris. Inſtituti rationem refert præfamen, operi præmiſſum, quod cum non in omnibus ſubſecutis editionibus legatur, hic referre placet. *Habes,* inquit Editor, *optime Lector, rituum eccleſiaſticorum, ſive ſacrarum Cæremoniarum S. S. Romanæ Eccleſiæ, libros tres. Opus cum non ante formis excuſum, tum vero argumento ſuo, & jucundum tibi & utile. Nam quæ ratio creandi Pontificis, quæ reliquorum Antiſtitum, qui modus admittendi Imperatoris, cum urbem inviſit, quæ Divorum noſtrorum Apotheoſes; exin qui pietatis ordo, dum divinis Pontifex operatur a Kal. Januarii ad anni finem, poſtremo veluti coronis ac faſtigium operis; ſumma quædam ad inſtitutam rem pertinens explicatio perſonarum ac officiorum, quæ operanti Pontifici adſunt, his libris continentur. Eſt & in fronte operis Reverendiſſimi & Doctiſſimi Corcyrenſis Archiepiſcopi* CHRISTOPHORI MARCELLI, *ad Sanctiſſimum D. N.* LEONEM X. *Epiſtola cum Indice. Divis Pontificiis interdictum, ne non prædictum dicas manceps librarie; ne quis infra quinquennium præter nos excudat. Quare caveas, ne lucri cupiditas transverſum te actum, & graviori pœna viventem afficiat, & mortuum barathro æternum addicat.* Munita hæc eſt editio privilegiis LEONIS X. nec non Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ, quæ in recentioribus editionibus omiſſa, hoc loco repetenda nobis viſa ſunt, cum ad operis hujus hiſtoriam non parum faciant.

PRIVILEGIUM PAPÆ LEONIS X.

LEO PAPA X.

Univerſis & ſingulis, ad quos hæ noſtræ litteræ pervenerint, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cum dilecti filii Antonius & Sylvanus Capelli, cives Veneti, Librum Rituum Eccleſiaſticorum edere in manus hominum ſtatuerint, ac propterea in eo imprimendo non parvos ſumptus fecerint, & labores ſubierint, vereanturque, ne qui fructus ex illo percipi poſſint, & intercipiantur ab aliis, qui nihil impenderint ea in re laboris; nos adducti eorum precibus

bus inhibemus mandamusque omnibus & ſingulis, ne per ſpatium quinque annorum, jam nunc incipiendorum, librum ipſum imprimere, aut imprimi facere, impreſſumve venumdari aut vendendum tradere, ullis in locis audeant, Antonio & Sylvano non permittentibus. Qui contra inhibitionem mandatumque hoc noſtrum fecerit, admiſerit, cujuscunque nationis & dignitatis, is univerſæ Dei eccleſiæ expers excommunicatusque eſto. Datum Romæ apud Sanctum Petrum. Sub annulo Piſcatoris. Die XVII. Decembr. MDXVI. *Pont. noſtri anno* IIII.

Tenor privilegii Veneti ſequens eſt:

BEMBUS.

Exemplum Senatus Conſulti Veneti, quo cavetur, ne quis infra decennium opus hoc imprimat, impreſſumque alibi huc importet, ſub mulctis ut in eo.

Die VII. Junii MDXVI. *In Rogatis vadit pars, quod cum Nobiles Viri Antonius & Sylvanus Capelli a Bancho imprimi intendunt quoddam opus Cæremoniarum Eccleſiaſticarum, cautum auctoritate hujus Senatus, & ſtatutum ſit, quod per decennium nemo ipſum opus imprimi facere poſſit, tam in hac civitate noſtra Venetiarum, quam in alio aliquo loco, dominio noſtro ſubjecto, aut alibi impreſſum vendere, tam latino, quam materno ſermone, præterquam impreſſum cura & impenſis ipſorum nobilium Antonii & Sylvani Capellorum, ſub pœna amittendi ipſa volumina, & aureorum decem, pro quolibet volumine, qui reperirentur, cujus pœnæ tertia pars ſit eorum judicum ſeu officialium, quibus primum denuntiatum fuerit, alia tertia pars detur Hoſpitali pietatis, & alia ſit Accuratoris, ſeu inventoris*

Laurentius Quartus.

§. X. Ex his documentis diſcimus, opus hoc demum prodiiſſe anno MDXVI. proinde eos falli, qui ad annum quartum, aut ſextum iſtius ſeculi editionem libri referunt, v. *Actes & Memoires des negotiations de la paix de Nime-*

gue Tomo I. pag. 423. Docent porro adducta privilegia, opus publica Pontificis & Senatus Veneti approbatione editum. Editorem prodit epiſtola ad LEONEM X. directa, & in fronte libri poſita. Fuit ille CHRISTOPHORUS MARCELLUS, *Archiepiſcopus Corcyrenſis,* qui etiam aliis ſcriptis polemicis *de jure & autoritate Pontificis,* favorem curiæ Romanæ aucupari voluit, referente DUPINIO in *Bibliotheca Eccleſiaſtica Tomo XIII. pag. 131.* Sed vix prelum exierat liber, cum Romam perlatus graviſſimam indignationem Magiſtri Cæremoniarum PARIDIS de GRASSIS, in ſe concitatam ſentiret. Ægre ferebat opus hoc publicis litteris exſcriptum: querelas primum Cardinalibus exponebat, a quibus ad ipſum Pontificem delatæ. Acta retulit ipſe PARIS in ſuo diario: ſuppeditavit ea MABILLONIUS *in Muſeo Italico Tom. II. pag. 587.* Ex eo ad finem fragmenti hujus diarii jam editi illa retulimus. Factum etiam in *cæremoniali* ſuo ſequentibus narravit PARIS de GRASSIS verbis: *Reverendus,* inquit, *electus Corcyrenſis hoc anno, cum librum cæremonialem imprimendum Venetiis tradidiſſet,* vel potius, ut ita dicam, in *vulgus proſtituiſſet, forte (quod pace ſua dictum ſit) quia rituum eccleſiaſticorum admodum ignarus eſt, quippe qui per paucul os ante dies clericali profeſſione ex mercatore Veneto addictus fuerat, nec dum forte talium dogmatum capax: eosque libros ſic impreſſos ad diverſos Italiæ locos & extra eam, ut mos eſt mercatorum, etiam ad urbem vendendos transmiſiſſet: ego ubi id intellexi, ilico ad Pontificem accedens condolui, ſupplicavique, ut pro juſtitia tanto ſacrilegio occurrere dignaretur, ne ſuæ ſacroſanctæ Sedis Apoſtolicæ cærimonias, quæ ſemper in ſecretiori bibliotheca palatina cuſtoditæ fuerunt, nunc ſuo ſub pontificatu contaminari, per illarum divulgationem pateretur. Cumque Sanctitas ſua juſte benigneque annuiſſet; forte nonnulli ipſius Corcyrenſis compatriotæ tum præſentes, quia in mercaturæ damnum cederet, e contra intercedere auſi, petierunt, quas ob cauſas etiam cærimonialia*

ſacra

ſacra non poſſent ſicut Miſſalia & Pontificalia publicari, quibus, quia tunc in paucis non licuit, tandem in hunc, qui ſequitur modum prolixiorem tam ſcilicet præfatæ rationi, quam illorum petitioni ſatisfeciſſe puto. Sed & ipſe quoque mihi ſatisfecit, pro honore collegæ, imo magiſtri mei Epiſcopi Pientini (i. e. Auguſtini Patricii Piccolominei) veri ipſius libri ceremonialis auctoris, cujus abraſo nomine & titulo, iſte Corcyrenſis falſi ſibi titulum & nomen auctoris vindicare non erubuit. Hactenus PARIS in ſuo ceremoniali, reliqua ex Diario ejus ſuplevit MABILLONIUS, in quo legitur prolixa PARIDIS epiſtola ad LEONEM Papam, qua graviſſime MARCELLUM accuſat.

§. XI. Tria autem ſunt accuſationis capita, quæ contra Archiepiſcopum Corcyrenſem movit. *Primo* plagii arguit editorem, qui ſuppreſſo vero autoris nomine, opus hoc quaſi a ſe confectum in publicum protruſit. *Secundo* corruptiones allegat, quæ manu Marcelli in hoc opere alieni Autoris facta fuere, quarumque numerum ad mille & ſupra adſcendere conqueritur. *Tertio* taxat imprudentiam in divulgandis his ceremoniis commiſſam, quarum arcana ſanctius cuſtodienda fuiſſent. Ad primum quod attinet, oſtendit PARIS de GRASSIS opus hoc, quod aſtute ſibi adſcripſerat *Marcellus*, cum illud in epiſtola ad Leonem præfixa, lucubrationem ſuam appellaſſet, eſſe librum quem AUGUSTINUS PATRICIUS PICCOLOMINEUS, *Epiſcopus Pientinus*, juſſu INNOCENTII VIII. conſcripſerat, quem igitur ex ſacris penetralibus furto ſurreptum, ſuſpicatur. Abunde veritatem hujus gravaminis probavit PARIS DE GRASSIS. Immemorem plagii ſui aliquoties deprehendit Marcellum. Miranda eſt Editoris oſcitantia, quando verba, ex quibus verus operis Autor cognoſci poteſt, non delevit. Sui oblitus eſt, quando prætervidit verba, *ceremonias in coronandis Regibus ſervandas in* LIBRO PONTIFICALI, QUEM NUPER EMENDAVIMUS, *plene conſcripſimus.* Conferenda hic ſunt, quæ ſuperius §. VIII prolata ſunt.

ta ſunt. Produnt plagiarium verba, quæ tempus ſcripti opuſculi indicant, ſequentem in modum: *Hoc juramentum Fridericus III. Imperator,* qui adhuc regnat, *dum ſenis eſſet, præſtitit.* Ita extra controverſiam eſſe credimus, librum hunc minime fœtum Marcelli, verum opus ab *Auguſtino Patricio*, Magiſtro olim Ceremoniarum productum eſſe: in quorum tamen numerum, neſcio qua fide, referre nonnulli voluerunt MARCELLUM, quem Paris ab omnibus ceremoniis alienum imo vix ante pauculos dies clericali profeſſioni ex mercatore Veneto addictum fuiſſe memorat. Proinde etiam opus hoc a recentioribus Scriptoribus genuino ac vero Autori vindicatur & *Patricio* adſcribitur, prout nuper idem egit DOMENICUS GEORGI in tractatu Romæ anno MDCCXXIV. excuſo: *gli Abiti Sacri del Sommo Pontefice Paonazzi e Neri. vid. pag. 19.* Alterum accuſationis membrum, quod jejunas & ineptas corruptiones concernit, quas MARCELLUS eum in finem commiſit, ut impudentius pro operis Autore jactere ſe potuerit: non paucis neque obſcuris exemplis actionem ſuam probavit PARIS DE CRASSIS, ita ut nullum reliquiſſe videatur dubium, quin MARCELLUS tantæ impoſturæ reus declaretur: quæ luculentius ex ipſa epiſtola patent, ad quam nos remittimus, contenti illo ſpecimine falſitatis, quam ſequentibus narravit PARISIUS verbis: *Exſequias,* inquit, *juſte emendavit, albam, album; genuflexum, ſupplicandum; officiales, magiſtratus; pileum, galerum concinnavit. Pro lignis tignis ſuppoſuit; pro cuſino pulvino; pro bacili, vaſe; pro perfectis, peracta; pro platea, aream; pro armis, inſignia; pro rubeo purpureum inſeruit.* Reſtat *ultima* contra Marcellum prolata querela, quæ Paridi de Graſſis quam maxme cordi fuiſſe videtur. Nihil enim gravius tulit, quam quod ceremoniæ ſacræ & myſteria divulgata fuerint. Prolixus eſt in proferendis argumentis, quibus Marcelli facinus execrabile reddere voluit. Provocat ad experientiam, quæ docet ſacras ceremonias evulgatas

gatas ad profanas manus in ſacerdotii contemptum, & ad alienas ſectas in ſuæ religionis irriſionem devenire. Petiit, ut liber ceremoniarum cum ipſo autore comburatur, aut ille corrigatur & caſtigetur. Neque negandum hanc Paridis petitionem inſignem habuiſſe ſpeciem. Hinc refert: Papam prima facie turbatum fuiſſe, ex quo hæc actio ad eum delata: *Cardinalem* tamen *ſanctæ crucis,* quem cauſam fuiſſe ſuſpicatur, ut liber imprimeretur, pro Marcello peroraſſe: rem vero primo commiſſam fuiſſe fratri Paridis de Craſſis, Cardinali ACHILLI DE CRASSIS Protectori officii cæremoniarum, ut ſimul cum auditore Cameræ provideret, ne amplius aliquod volumen venderetur usque ad diem conſiſtorii, poſtea autem in ipſo conſiſtorio tribus cardinalibus D. ANTONIO DE MONTE, *tit. S. Praxedis,* D. PETRO DE ACCOLTIS, *S. Euſebii Anconitano* & D. ACHILLI de GRASSIS, *S. Sixti Cardinali* demandatum, ut petitiones Paridis de Graſſis intelligerent, & eum, prout juris fuerit, ac ipſis videretur, tam ſuper libro comburendo, quam auctore caſtigando expedirent.

§. XII. Hæc quamvis a PARIDE de GRASSIS magna cum animi contentione facta fuerint, eventus tamen ejus votis minime reſpondiſſe videtur. Non enim legimus, vel contra librum vel libri Editorem decretum aliquid fuiſſe: teſtantur potius frequentiores libri editiones, tanti non habitas eſſe Paridis querelas, ut opus ſupprimeretur. Forte deerat etiam opportunum conſilium, cum non facile damnari potuerit libri editio, quæ cum ampliſſimo Pontificis privilegio in publicum emiſſa erat. Sane, quæ a nonnullis de raritate libri prolata ſunt, vel ſuo deſtituuntur fundamento, vel accipienda forte ſunt de prima operis editione, quam rariorem factam non miramur, cum jam duo effluxerint ſecula, ex quo typographiam exiit. Plures vidimus & oculis uſurpavimus editiones, quas referre operæ pretium erit.

Nam præter primam illam Venetam, aliam paulo poſt excuſam in BIBLIOTHECA PAULINA inter pretioſos antiquitatis librariæ theſauros, qui illo loco deprehenduntur, obſervavimus. Excidit tamen memoria annus & locus, quo illa editio in publicum emiſſa. Tertia ad manus eſt, eaque nitidiſſima multisque figuris æneis ornata. Prodiit Venetiis apud Juntas in 4. Maj. anno M D LXXXII. Titulus eſt: *Sacrarum Ceremoniarum ſive rituum Eccleſiaſticorum S. Rom. Eccleſiæ libri tres: hac poſtrema editione magno ſtudio ac vigilantia recogniti, aucti & locupletati. Univerſis Eccleſiaſticis non tam jucundi, quam utiles & neceſſarii.* Præſtat hæc editio reliquis ſplendore ac typorum elegantia, cui etiam nonnulla acceſſerunt, quæ in aliis editionibus fruſtra quæruntur: inter alia enim libro ſecundo recenſentur, *preces decantatæ & ceremoniæ obſervatæ aperiendo portas ſanctas quatuor eccleſiarum urbis Romæ, pro anno Jubilei* M D LXXV. Prima in Germania editio *Coloniæ Aprippinæ apud Hæredes Arnoldi Birckmanni, Anno* MDLVII. emiſſa, quam ab iisdem procurata anno MDLXXII. in *octavo* ſecuta eſt. Aliam memorat Vir illuſtris de LUDEWIG *tomo ſexto reliquiarum medii ævi pag. 368.* multo ære a ſe redemtam, quæ *Romæ anno 1560.* typis *Valerii Dorici* exſcripta. Forte plures operis erunt editiones. Cogitavit etiam de opere recudendo MABILLONIUS, ſed conſilium mutavit, prout in *Commentario in ordinem romanum* pagina X. narrat. *Omnino vero locum*, inquit, *in his ritualibus libris merebatur* CEREMONIALE ROMANUM AUGUSTINI PATRICII *ad* INNOCENTIUM VIII. *Verum quia jam ab electo Corcyrenſi epiſcopo,* PAUCIS MUTATIS *editum eſt,* SÆPIUSQUE *recuſum, aliis novæ hujus editionis curam permittimus.*

§. XIII. Cæterum non vanus fuit PARIDIS de GRASSIS timor promulgationem hujus operis exiguam utilitatem polliceri curiæ Romanæ, potius metuendum, ne in ejus detrimentum cedat. Cum enim libellus ille omnium oculis exponat,

ponat, quæ principia aula romana foveat ratione cultus Pontifici & Cardinalibus exhibendi, & quo honorum temperamento ipſi Imperatores, Reges & Principes ſint excipiendi, facile prævidere poterat, ea vel indignationem vel cenſuram eorum excitatura, qui forte de hoc in decernendo ceremoniarum imperio & arbitrio a romana curia affectato non plene perſuaſi eſſent. Id enim vix negari poterit, ſi omne partium ſtudium exuamus, duriſſima nonnulla in Principum Secularium jura & honores ſtatuta eſſe, quibus excuſandis vix ſufficiunt artificioſa & ingenioſa argumenta, quibus vitium nimiæ ambitionis diſſimulare ſolent rerum harum defenſores. Vix enim cum apoſtolica illa non dicam humilitate, ſed tantum humanitate, qua ipſe Salvator præivit, conciliari poſſunt, quæ *Libro tertio, ſectione prima, capite ſecundo* leguntur: *Romanus Pontifex nemini omnino mortalium reverentiam facit aſſurgendo manifeſte, aut caput inclinando ſeu detegendo. Romanorum vero Imperatori, poſtquam illum ſedens ad oſculum pedis & manus ſuſcepit, aliquantulum aſſurgit ad oris oſculum, mutuo charitatis amplexu illum benigne recipiens: idem aliquando facit & magnis regibus. Cæteros omnes tam principes, quam prælatos, cujuscunque dignitatis ſint, cum ad oris oſculum eos recipit, non aſſurgit, ſed ſedens recipit. Conſueverunt tamen Pontifices Cardinalibus & maximis Principibus privatim adventantibus & reverentiam facientibus, cum non ſint in Pontificalibus, aliquantulum caput inclinare, tanquam reverentiam reddentes. Et hoc non ex officio ſed ex laudabili humanitate.* Quid dicendum de ceremoniis, quæ in convivio ſolenni Pontificis cum Cardinalibus & Prælatis obſervanda recenſentur *libro primo, ſectione tertia.* Ita enim ſentit Ceremoniale de ordine Regum & Principum inter Cardinales. *Stabunt,* inquit, *ante menſas lavantes eo ordine, quo ſedere debent in menſa, prior Epiſcoporum in capite ad dextram, ſi aderit* REX *aliquis; erit in ſecundo loco: ſi plures Reges mixti, erunt cum primis Cardinalibus*

nalibus

nalibus, primo Cardinalis, deindè Rex ſucceſſive, ſi erunt mixtim Principes aut filii vel fratres Regum, debent ſedere inter Diaconos Cardinales, vel poſt eos, pro eorum dignitate & conditione; primogenitus autem Regis, quia Rex futurus putatur, poſt primum Presbyterum Cardinalem erit. Sed nullo modo inter Epiſcopos. Singularia prorſus ſunt, quæ eodem capite de ferculis ad menſam Papalem portandis referuntur. *Primum ferculum portabit Nobilior Princeps, ſive Imperator, ſive Rex ſit. Secundum alius dignior poſt eum, & ſic ſucceſſive: & ſi erunt ex illis, qui debeant ſedere in menſa, portato ferculo ſedeant in loco ſuo. Et notandum, quod Imperator, Rex, ſeu Maximus Princeps capit ferculum, quod portare debet ad Pontificem extra portam aulæ convivii, ab aliquo familiari Pontificis illuc apportatum. Alii inferiores pro ferculo ad coquinam vadunt &c.* Quæ ſpecimina abunde de ſtylo atque contentis libri Ceremoniarum teſtantur, & ita comparata ſunt, ut applauſum ſubſecutorum temporum vix mereri potuerint. Ea quidem olim fuere tempora, in quibus honor Principum Secularium, dignitas & exiſtimatio a beneficio & nutu Curiæ Romanæ dependere ſolebant. Sed multo abhinc tempore Principes, pro ea quæ ipſis competit, Majeſtate jura ſua & prærogativas non ex traditionibus curiæ Romanæ neque Ceremoniarum diſciplina Romæ efficta æſtimari voluerunt. Hinc jam Seculo XVI. ortis de præcedentia litibus inter Legatos Franciæ & Hiſpaniæ, Venetiis commorantibus, cum Hiſpani ad deciſionem ex Ceremoniali Romano petendam provocarent, Gallicus Legatus reſpondit: *ſe parum de eo ſollicitum eſſe, quod in Ceremoniali Romano definitum fuerit, ſibi ſufficere poſſeſſionem.* WICQVETORIS in Tractatu *de l'Ambaſſadeur Lib. 1. Sect. 24.* Ex his patere poterit, an prorſus inanis fuerit PARIDIS de GRASSIS ſollicitudo. Præbuit liber ille occaſionem faſtum Curiæ Romanæ depingendi & invincibili teſtimonio oppugnandi. Primus, qui his armis uſus eſt, WENCESLAVS LINCK Theologus refor-

reformatis ſacris addictus fuit. Primus Altenburgenſis emendatæ religionis Paſtor, poſtea Norimbergam evocatus, ubi anno MDXLVII. diem ſupremum obiit. Edidit Anno MDXXXIX. libellum Germanico idiomate conſcriptum, ſub titulo: Bapſts Gepreng aus dem *Cerimonien*-Buch: excerpta ſunt ex hoc Cæremoniarum libro, quædam ex Pontificali Romano deſumta. Inſcriptus eſt libellus SIBYLLÆ, Electoris Saxoniæ JOHANNIS FRIDERICI *Magnanimi* uxori. Pari conſilio fragmenta quædam ex dicto libro *Tubingæ Anno MDLVI.* evulgavit PAVLVS VERGERIVS, ſub titulo: *Ordo eligendi Pontificis, & ratio de ordinatione & conſecratione ejusdem, de Proceſſione ad Eccleſiam Lateranenſem, de ſolenni convivio, quo Cardinales, Epiſcopos atque alios excipit, tum de pallio de corpore Beati Petri ſumpto, in quo eſt plenitudo Pontificalis officii.* Notus ſatis eſt Editor opuſculi, qui primis vitæ ſuæ temporibus aulæ Romanæ fuit addictiſſimus, & pro ea ampliſſimas obiit legationes, nempe anno MDXXX. iterumque anno MDXXXVI. in Germaniam miſſus, ut graviſſimum negotium componendi diſſidii religionis perficeret. Proximus ſummis a Pontificatu honoribus in aula Romana fuit, factus enim primo Epiſcopus Juſtinopolitanus, aditum ſibi ad cardinalitiam paraverat dignitatem, qua tamen ſpe vel ſua vel malevolorum culpa excidit; tandem inter maximos apparatus, quibus proteſtantium dogmata impugnare minabatur, ut ſe a ſuſpicione proteſtantiſmi liberaret, ad ipſa proteſtantium caſtra tranſiit, poſteaque multis ſcriptis odium in Romanam curiam prodidit. Minutiora ſunt pleraque hujus Autoris ſcripta, quorum nonnulla conjunctim Anno 1563. Tubingæ prodierunt, quo loco ultimam vitæ ſuæ periodum abſolvit. BAELIVS in dictionario, ſub voce VERGERIVS citat ejus editionem *libri Ceremoniarum Romanæ Eccleſiæ, cum præfatione & ſcholiis*, quam tamen prodiiſſe vix credo. Non ignoro VERGERIVM hujus editionis ſpem feciſſe. Nam in illo libello, cujus titulum ſuperius recenſuimus, in fronte ipſius tituli hæc

leguntur: *omnia excerpta verbum verbo ex libro, cui titulus: S. Rom. Eccleſiæ Cerimoniarum libri ſex, qui in vaticana ſecretiore Bibliotheca magna religione & reverentia conſervatur.* Addit: *reliqua etiam, quæ illic in hoc genere latebunt, brevi evulgabuntur.* Idem promiſit ab initio capitis quinti, quo de pallio agit. *Similes,* inquit, *ſtultitias aut incantationes videbis plurimas, quum integrum Ceremoniarum Papalium librum emittemus.* Hoc conſilium executioni datum, nullibi legimus. Prodiit interim hoc fragmentum, quod priora libri primi capita ex LIBRO CEREMONIARVM exhibet, quæ de electione, ordinatione, conſecratione & coronatione, nec non convivio Summi Pontificis agunt, quibus adjecta ſunt, quæ eodem libro primo capite vel ſectione decima, *de pallio & quomodo tradatur*, referuntur. Cæterum quo animo hæc Vergerii cura fuerit recuſa, docet opuſculi dedicatio ad ALBERTVM *Marchionem, Ducem Pruſſiæ* directa. Inter alia enim, hunc in modum diſſerit: *Pateſeci ego,* inquit, *hactenus libris editis, quam plurima ex illis tam horrenda, quam ſtulta: atque operæ me pretium facturum puto, ſi in hoc inſtituto, ut cœpi, perrexero, ac reliqua, quæ ſunt generis ejusdem, per omnem Europam ac cæteras (ſi poſſim) orbis partes veluti circumduxero, in hoc ut rideantur atque exſibilentur, ut luto ac lotio aſpergantur, tum omni ludibriorum genere, quibus digna ſunt, excipiantur.* Porro de Ceremoniarum libro ſequentia refert: *cum in Papatu inter innumeras alias, hæ quoque ſint ſentinæ putidiſſimæ* PONTIFICALE *nimirum*, & CEREMONIALE (*libros ſic vocant*) *multique quid poſterius ſit, pauciſſimi, quid in priore contineatur, norint, vix enim alibi quam Romæ hoc ipſum reperias: quin Romæ quoque pauci ſunt, qui norint, quod nimirum ejus pudeat, ac proinde celare quantum poſſint, conentur.* Interea miramur, quod VERGERIVS hujus operis libros ſex numeraverit: quem numerum quoque tenuit in præfatione libelli, hac inſcriptione inſigniti: *cur & quomodo Chriſtianum Concilium debeat eſſe comparatum*, referente CL. SCHELHORNIO *in amœnitatibus lite-*

literariis, tomo quinto pag. 243. Meminit quoque illo loco Venetæ editionis anno MDXXVI. a prædivite ex Capellorum familia, avaritiæ cauſa mercatore, cui nomen fuiſſet Sylvano, procuratæ: addit CLEMENTEM Papam VII. id valde inique animo tuliſſe atque ſupprimenda ea exemplaria, ac ne deinceps excuderentur, ſeveriſſime imperaſſe. Aſt qua fide hæc relata fuerint, ex adductis dijudicari facile poſſunt.

§. XIV. Dubium igitur manet, an MARCELLVS de Romana Curia editione LIBRI CEREMONIARVM multum fuerit meritus. Nam eum non prorſus liberant, quæ pro ipſo allegavit MABILLONIVS *commentario in ordinem Romanum, pagina VIII.* Neque conſilium PARIDIS DE GRASSIS, ſi nimiam acerbitatem excipias, a prudentia fuit alienum. Interim tanta illo ævo Romanæ Curiæ de ſua fortuna ac eminentia erat perſuaſio, ut neſciam, quo imminentis periculi & decrementi indicio ſibi omnia licere crederet. Res jam eo devenerant, ut neque avaritia neque ambitio ulterius diſſimulanda crederetur. Teſtantur illud duo ſcripta, quæ pene eodem tempore in lucem prodibant, quorum alterum avaritiæ inſatiabilis, alterum ambitionis immenſæ ſignum evidentiſſimum præbebat: cujus poſterioris teſtimonia prodit liber ille Ceremoniarum, de quo hactenus egimus. Paulo ante Romæ *Cancellariæ Taxa* excuſa fuit. Operis titulus erat: REGVLAE, CONSTITVTIONES, RESERVATIONES, CANCELLARIAE SERENISSIMI DOMINI NOSTRI LEONIS PAPAE X. NOVITER EDITAE ET PVBLICATAE. Pagina 67. legebantur ſequentia: *Taxæ Cancellariæ per* MARCELLVM SILBER, alias FRANCK. *Romæ in Campo Floræ anno* MDXIV. *die* XVIII. *Novembris impreſſæ, finiunt feliciter!* En duos Marcellos, duorum operum celebritate claros, & pari ratione de Romana curia promeritos. Et quidem, quod ad TAXAM CANCELLARIAE attinet, habuerunt certe multas rationes Romanæ curiæ Patroni, ut librum illum nunquam typis exſcriptum eſſe, aut ejus jam

Digitized by Google

deleri poſſe memoriam, optent. Hiſtoriam libri, præter LAVRENTIVM BANCKIVM, JCtum Franeckeranum, cujus cura *Franeckeræ* anno MDCLI. recuſus, multa cum diligentia conquiſitam dedit BAELIVS *in dictionario Tom. I.* ſub nomine *Laurentio Banck;* nec non Autor præfationis, quæ editioni noviſſimæ *Sylvæ Ducis anno* MDCCVI. *apud Stephanum Dumont*, prout fert inſcriptio, præmiſſa. Quantum enim hujus ſcripti Romanam curiam pudeat, docent Indices Romani expurgatorii, qui hoc opuſculum expungendum quoque cenſuerunt, quæſito colore in addita clauſula: *ab hæreticis depravata.* v. DAN. FRANCVM *in diſquiſitione Academica de Papiſtarum indicibus librorum prohibitorum & expurgandorum, pag. 114. ſeq.*

§. XV. Hæc, ni fallor, ſufficere poſſunt ad omnem convellendam veroſimilitudinem, a PARIDE CRASSO unquam CEREMONIARVM ROMANARVM librum publicæ luci expoſitum fuiſſe, cum tanta cum ſollicitudine & vehementia contra Marcelli imprudentiam egerit. Omni certe tempore ceremoniarum diſciplina inter arcana inſigni cum religione fuit relata, quod etiam ratione non deſtituitur. Præterquam enim, quod ritus & Ceremoniæ in vulgi notitiam prolapſæ ſenſim evileſcant: accedit etiam illud, quod ita invidiæ, cenſuræ, ac indignationi eorum exponantur, quorum privatæ rationes vel leviter tactæ eſſe videntur. Et hæc erat aliquando Romanæ aulæ autoritas, ut ab ejus Ceremoniarum Magiſterio, quaſi ex infallibili oraculo omnes ritus, omniumque honorum ipſis Principibus exhibendorum regula peteretur. Sed quantum hac hominum facilitate & cæca obedientia Romani fuerint abuſi, hiſtoria infinitis exemplis probat, & ipſa inconſtantia docet, qua in mutandis rebus illis verſati fuerunt, quæ clariſſime conſpicitur in collatione antiquorum Ceremoniarum librorum, aliorumque monumentorum, cum recentiori rituum diſciplina. Ex antiquis hodie adhuc ſupereſt LIBER DIVRNVS, forte ita appellatus,

latus, quod eorum formulas contineret, quæ in uſu fere quotidiano apud Romanam Eccleſiam erant, epiſtolarum a Pontificibus ad Principes atque ad Epiſcopos ſcribendarum, & cum his ritus ordinandi Summi Pontificis, Epiſcopi cum omnibus earum ordinationum adjunctis ætates, profesſiones fidei, privilegia, præcepta, conceſſiones, aliaque hujusmodi non pauca, prout libri contenta recenſet DOVJATIVS *prænotionum Canonicarum Lib. II. Cap. LXVIII. pagina 386.* Prodiit tandem, ſuperatis inſidiis, quibus premebatur Lutetiis, anno MDCLXXX. cura JOANNIS GARNERII. Fata libri recenſuit STEPHANVS BALVZIVS in notis ad PETRI DE MARCA librum *de Concordia ſacerdotii & Imperii, Lib. I. Cap. IX.* quæ cum multum faciant ad declaranda ac confirmanda hactenus dicta, non piget hic referre; LIBER DIVRNVS, inquit, Pontificum Romanorum diu latuit, quamvis olim multus cognitus & frequenti in uſu fuerit. Illum vir recolendæ memoriæ, LVCAS HOLSTENIVS, edere voluerat, & jam typis Romanis mandaverat, (nempe anno MDCLX.) paulo ante quam ex vita decederet, non ex Bibliotheca Vaticana, ubi compertum eſt illum non extare, ſed ex veteri eoque optimo Codice, quem ei ſubminiſtraverat HILARIO RANCATVS, monachus Ciſtercienſis. Ego teſtari poſſum, illam Diurni editionem factam eſſe. Etenim cum MARCA ad HOLSTENIVM ſcripſiſſet Kal. Jan. anni MDCLX. cogitare ſe de ſcribendo tractatu ſpeciali de exemptionibus monachorum, ille ad eum reſcribens ſequentibus Kal. Martii ſimul miſit duo priora folia, itemque poſtremum libri Diurni, quod in illis extarent antiquæ formulæ privilegiorum monaſteriis conceſſorum a Pontificibus Rom. Hæc tria folia, ſeu potius octerniones, ſi novo vocabulo uti licet, ego communicavi cum R. P. PHILIPPO LABBEO, qui ea per ſatis longum temporis ſpatium retinuit. Interim e vivis exceſſit HOLSTENIUS initio anni ſequentis. Et mox COELIUS PICCO-

LOMINEUS, apoſtolicæ tum Sedis Nuncius in Gallia, occultans haud dubie conſilium ſuum, uti poſtea patuit, ea folia recuperavit e manibus illuſtriſſimi Archiepiſcopi, neque illa unquam ei reſtituit. Poſt mortem itaque HOLSTENII, cum recuperata eſſent folia illa, cum certum jam eſſet, nihil ex illa editione extravagari, vel alibi extare, quam Romæ, libri Diurni editio omnino ſuppreſſa eſt, PRUDENTI CONSILIO, ut ait FRANCISCUS MARCHESIUS, juxta cujus verba explicandus eſt Vir clariſſimus JOANNES MABILLONIUS, ſcribens in itinere ſuo Italico *Diurni impreſſionem prohibitam fuiſſe.* Impreſſio ſiquidem facta fuit & perfecta; ſed non emiſſa, quia ſuppreſſa. Tandem anno MDCLXXX. R. P. JOANNES GARNERIUS, *librum Diurnum* heic Lutetiæ edidit, ſuis commentariis illuſtratum. Nos vero, ſi Deus nobis vitam otiumque conceſſerit, novam illius editionem daturi ſumus, & integriorem & meliorem, emendatam videlicet, ſecundum fidem vetuſtiſſimorum exemplarium. Hactenus BALUZIUS, qui plura de codicibus hujus libri memorat in notis ad ANT. AVGVSTINI tractatum *de emendatione Gratiani*, ad pag. 335. Crediderat Antonius Auguſtinus, hunc librum non amplius extare: refert autem BALVZIVS, etiamnum hodie ſupereſſe exemplar Romæ in bibliotheca Vaticana, alterum Lutetiæ in bibliotheca Collegii Claromontani Societatis Jeſu: & alium Codicem etiam vidiſſe JOH. LAVNOJVM, in CAROLI MONTCHALLI, Toloſatis Archiepiſcopi, bibliotheca. Interim BALVZIVS promiſſa non explevit. Plura præſtitit MABILLONIVS, qui magno ſtudio, & primo quidem fruſtraneo conatu exemplar hujus libri quæſivit, tandem illud ipſum nactus, quo uſus eſt LVCAS HOLSTENIVS in adornanda editione, quodque annorum octingentorum æſtimavit. Idem collationem inſtituit exemplaris ſui cum GARNERIANA editione, ex qua nonnulla ſupplevit capita in hac editione omiſſa, eaque parte ſecunda tomi primi Muſei italici pag. 32. imprimi curavit. Pervetuſtus ille liber majorem ſim-

ſimplicitatem, modeſtiam ac humilitatem Curiæ Romanæ ſpirat, ac quidem in libro Cæremoniarum deprehenditur: ſtylusque prorſus diverſus eſt ab illo, qui ſequiori ævo invaluit. Exemplo eſſe poterit relativo, de electione Pontificis ad Principem, ſive Imperatorem Conſtantinopolitanum, quæ capite ſecundo, titulo tertio legitur, in qua præceptum Principis de ordinando electo his verbis ſubmiſſe ſollicitant: *ideoque lacrymabiliter cuncti famuli ſupplicamus, ut dominorum pietas ſervorum ſuorum obſecrationes dignanter exaudiat, & conceſſa pietatis ſuæ juſſione petentium deſideria, pro mercede imperii ſui ad effectum de ordinatione ipſius præcipiat pervenire.* Idem jam obſervavit BALVZIVS *in notis ad Anton. Auguſt.* quando ſuppreſſæ editionis rationes hariolatur: *Fortaſſis,* inquit, *quia in initio nimium multa circa electionem Romani Pontificis tribuuntur Imperatori, & Exarchæ apud Ravennam commoranti.* Et ante eum LAVNOJVS in variis epiſtolarum locis, quæ TENZELIVS in *ſchediaſmate de natalitiis Epiſcoporum,* exercitationibus ejus ſelectis inſerto, repetiit, de incarcerata Romana hujus libri editione conqueſtus eſt. Cæterum hoc eſt antiquiſſimum Cæremoniarum Romanarum monumentum, cujus ætatem, graviſſimis rationibus ſuffultus, ad ſeculum octavum, & veroſimiliter ad annum DCCXIV. retulit eruditus editor, uſus inprimis illo argumento, quod in Codice fiat mentio literarum ad Exarchum, quos conſtat anno DLXVII. inſtitutos, & anno DCCLII. pulſos, ita ut neceſſe ſit fateri, collectum eſſe eo temporis intervallo, quod ab anno DLXVII. ad annum DCCLII. effluxit. Neque huic conjecturæ obſtat, quod in profeſſione fidei ex hoc libro deſumpta apud IVONEM CARNOTENSEM, Pontifices cum ſuperioribus œcumenicis conciliis, etiam *octavum, nono ſeculo* habitum, ſervare promittant: hæc enim facile addi potuerunt, pro more librariis exſcribentibus talia communi & ſolenni. Præter hunc librum diurnum, memorandi quoque ſunt ORDINES ROMANI, qui de divinis eccleſiæ officiis & miniſteriis, per totius anni circulum agunt, atque

Digitized by Google

atque de Proceſſionibus, celebratione miſſæ, ejusque officii, ac librorum, qui in Romana Eccleſia leguntur, orationibus, ſive precibus cujusque feſti, ritibus ac cæremoniis, cuique miniſterio aptis, denunciationibus quatuor temporum, dedicandæ eccleſiæ, conſecrandi Epiſcopos, benedicendi Imperatorem, Abbatem, & aliis hujus generis tractant. Diverſi a diverſis autoribus, diverſis quoque temporibus prolati. GEORGIVS CASSANDER primus typis excudi curavit ORDINEM ROMANVM, Coloniæ, anno MDLXI. Idem prodiit cum variis de *divinis catholicæ eccleſiæ officiis ac miniſteriis*, cura MELCHIORIS HIDDORPII, *Coloniæ apud Gerwinum Calenium, & hæredes Johannis Quentel*, anno MDLXVIII. Recentior & locupletior eſt editio GEORGII FERRARII, anno MDXCI. Romæ excuſa, ac GREGORIO XIV. dicata. Omnium tamen in his ſcriptis edendis ſtudium ſuperavit MABILLONIVS, qui tomo ſecundo Muſei Italici, antiquos libros rituales, plerosque nondum editos complexus eſt, quos beneficio illuſtriſſimorum Virorum TELLERII, CASANATAE, COLLOREDI, JOHANNIS CIAMPINI, JOSEPHI MARIAE THOMASII impetraverat. Huic editioni commentarium multifariæ eruditionis, atque antiquitatis eccleſiaſticæ plenum præmiſit, inſperſis etiam operi doctiſſimis notis ac obſervationibus. De aliis rituum libris nihil addimus, cum ad præſens noſtrum inſtitutum ii tantum faciant, qui cæremonias ſimul deſcripſerunt, ad ſtatum & dignitatem Principum inprimis & Laicorum pertinentes. Reliquorum enim vix numerus iniri poteſt, otiumque nobis fecerunt Viri doctiſſimi, in illis recenſendis occupati, quos nominaſſe ſufficiat. Ita enim de libris eccleſiaſticis Græcorum duas ſcripſit diſſertationes LEO ALLATIVS, quas cum notis, ſupplemento & indice edidit Vir de re literaria meritiſſimus Jo. ALBERTVS FABRICIVS, Volumine quinto Bibliothecæ græcæ, quibus addenda ſunt, quæ Vir celeberrimus in *Bibliographia antiquaria pag. 117.* attulit. GVILIELMVS CAVE diſſertationem de

Digitized by Google

de *libris & officiis eccleſiaſticis Græcorum*, Hiſtoriæ literariæ ſcriptorum eccleſiaſticorum numero ſecundo ſubjunxit. De libris LATINORUM eccleſiaſticis elegans ſchediaſma Vitembergæ anno MDCCVI. edidit NICOL. PETRUS SIBBERN, in quo ingens copia Agendorum, Antiphonariorum, Breviariorum, Calendariorum, Ceremonialium, Gradualium, Hymnariorum, Lectionariorum, Liturgiarum, Manualium, Micrologorum, Miſſalium, Officiorum, Ordinalium, Pœnitentialium, Pontificalium, Ritualium, ſimiliumque ſcriptorum recenſetur. Noviſſime Theologus Tubingenſis celeberrimus, CHTIST. MATTH. PFAFFIUS in Diſſertatione Academica de *Liturgiis Miſſalibus, Agendis & libris Eccleſiaſticis Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis veteris & modernæ*, Tubingæ M DCC XVIII. pretioſum horum Scriptorum theſaurum exhibuit. In Gallia inter plures inſigniter de hoc literarum genere meritus eſt Reverendus D. EDMUNDUS MARTENE, qui editione inſignium monumentorum præſens & futurum ſeculum ſibi multis obſtrinxit nominibus. Viro huic doctiſſimo debemus vaſta de antiquis Eccleſiæ, nec non Monachorum ritibus, elegantiſſimo ordine diſpoſita opera, quæ laudibus noſtris minime indigent.

§. XVI. Tantus eſt diſciplinæ de CEREMONIIS Eccleſiaſticis ambitus. Romana igitur Curia, quæ illarum magiſterium ſibi a pluribus ſeculis vindicare tentavit, ab experientia didicit, cautius in illis formandis atque ſecretius in tradendis verſari. Quantam hujus rei curam agat, non ſolum ex eo patet, quod in illa Curia diverſi CEREMONIARUM MAGISTRI in magnifico ceremoniarum miniſterio conſtituti ſint, quorum ordinarie quatuor in Pontificis aula hoc munere defungi retulit LUNADORO in *relatione de Curia Romana* Italice ſcripta, ac Romæ anno MDCXCVIII. publicata: verum etiam docet celebris CONGREGATIO RITUUM, a SIXTO Papa V. inſtituta, cujus officia refert CONSTITUTIO LXXIV. dicti Pontificis,

quæ legitur in BULLARIO ROMANO, Tomo ſecundo *pag. 669.* Inter illa vero non ultima ſunt, ut libros de ſacris ritibus & ceremoniis, in primis PONTIFICALE, RITUALE, CEREMONIALE, prout opus fuerit, reforment & emendent, ut Reges & Principes eorumque Oratores, aliæque perſonæ, etiam Eccleſiaſticæ, ad urbem, curiamque Romanam venientes pro Sedis Apoſtolicæ dignitate honorifice excipiantur, cogitationem ſuſcipiant ſeduloque provideant: controverſias de præcedentia in proceſſionibus aut alibi, cæterasque in hujusmodi ſacris ritibus & ceremoniis incidentes difficultates cognoſcant. Aſt quicquid Roma moliatur, præterierunt illa ſecula, quibus ſupremi terrarum Principes honorum ſuorum menſuram ex loco, qui illis in Pontificis capella aſſignabatur, judicare volebant. Hinc non ſine voluptate libros illos ceremoniarum, nec non Diaria curiæ Romanæ legimus, quæ principia atque regulas illo ævo obſervatas, multis docent exemplis.

§. XVII. Talia, ni fallimur, ſuppeditabunt illa fragmenta DIARII, a PARIDE de GRASSIS conſcripti, quæ jam publicæ luci committimus, quo rem iis non ingratam a nobis factam eſſe confidimus, qui ſtudio ac cognitione Ceremoniarum & rituum Curiæ Romanæ delectantur. Quamvis autem illarum autoritati ratione publicorum inter Principes ſolennium multum derogatum, neque facile quis crediderit ad officium Romanæ curiæ pertinere, ut ab ea honores & dignitates Principum liberarumque gentium diſpenſentur: non tamen prorſus omni utilitate caret, hanc ceremoniarum diſciplinam in antiquo ſuo habitu contemplari, indeque non paucas eruere obſervationes, quæ originem multarum rerum noſtra ætate adhuc obtinentium declarent. Facile eſſet ex illis libris integrum Ceremoniarum Syſtema delineare, & quam ſententiam amplexa ſit Romana curia in controverſiis præcedentiarum ſimilibusque, quæ inter Chriſtianos Principes ſæpius agitatæ, enarrare: Sed hæc ad præſens inſtitutum minime faciunt, & forte alio tempore & loco commodius fieri poterunt, inprimis cum novam LIBRI DIURNI nec non CEREMONIARUM libri editionem meditemur, variisque obſervationibus multo ſtudio collectis illuſtrare, facta etiam diverſorum exemplarium inter ſe collatione, eam brevi, cum jam omnia prelo parata ſint, exhibere nobis ſit conſtitutum.

EX-

EXCERPTA
EX
PARIDIS DE GRASSIS,
EPISCOPI PISAURIENSIS ET MAGISTRI CEREMONIARUM
SUB
LEONE X. S. P.
DIARIO CURIÆ ROMANÆ,
AB ANNO MDXVIII. USQUE AD MDXXII.
QUO SE HOC MUNERE ABDICAVIT
OPUS
QUOD PLERUMQUE SUB TITULO
CEREMONIALIS ROMANI
CITATUR
NUNC PRIMUM EX MANUSCRIPTO
EDITUM.

Digitized by Google

CONTENTA
DIARII PARIDIS DE GRASSIS.

Ad Annum M D XVIII.

1. Rixa Paridis cum Oratore Hiſpano Epiſcopo.
2. Creatio quatuor Legatorum.
3. Miſſa in anniverſario coronationis LEONIS X. pro anno VI.
   De prærogativa Conſervatorum. An Duces & Principes Romanos præcedant?
4. Miſſa Dominicæ de Paſſione.
   Lites de præcedentia inter Oratorem Rhodianum & Ferrarienſem.
5. In die Palmarum. Receſſus Legati conducti a collegio.
6. Mors & funeralia *Cardinalis de Saulis.*
7. Sabbato in albis.
   Accedente Legato, ſuſcepturo legationem, ceſſat rota.
8. Receſſus trium Legatorum.
9. Mandatur procedi ad privationem Cardinalis Adriani.
   Proceſſus contra Cardinalem Adriani.
10. Creatio alterius Legati ad Germaniam, loco Cardinalis Farneſii infirmi.
11. Conſecratus fuit Cardinalis in Epiſcopum.
12. An novus ſpecialis Legatus in unam Provinciam, in qua eſt alius generalis antiquus Legatus, cedere debeat antiquo, vel non, & qualiter?
   Competunt de præcedentia Cardinalis de Lucemburgh & Cardinalis S. Mariæ.
13. Receſſus reverendiſſimi Domini Legati, Cardinalis Sancti Sixti, ad Imperatorem.
14. An Rota ceſſet in diſceſſu Legati & qualiter.

Digitized by Google

15. In vigilia & feſto Corporis Chriſti, Papa præſente.
16. Renovatio capellæ papalis in die S. Joannis Baptiſtæ.
17. In Vigilia & feſto S. S. Petri & Pauli.
An Subditi Pontificis poſſint Legatos agere in aula pontificia?
18. Privatio Cardinalis Adriani.
19. Baptizatus eſt filius Diſpoti, præſentibus multis Cardinalibus, & quare.
Locus Diſpoti inter Cardinales diſputatur. Cur Pontifex compater eſſe nequeat.
20. Matutinæ in nocte nativitatis, abſente Papa.
21. Miſſa in die Natalis.
Reconciliatio Pontificis cum Cardinale S. Georgii.

Ad Annum M D XIX.

1. Redintegratio Cardinalis S. Georgii ad votum integraliter & conſiſtorialiter.
2. Pro Maximiliano Imperatore electo mortuo Miſſa exequialis in capella Papæ.
An oratio funebris haberi poſſit in capella Pontificia? An Miſſa a Cardinali haberi debeat? An coronatio Imperatoris neceſſario Romæ fieri debeat?
3. Electio novi Regis Romanorum & Imperatoris.
An Imperator teneatur Pontifici notam facere electionem ſuam?
4. De oſtentatione lætitiæ, per Papam & romanam curiam facta in creatione novi.
5. Reditus Cardinalis de Campeggio ex legatione ſua Anglicana, & conſiſtorium publicum.
6. Mors ſororis Papæ, videlicet Dominæ Magdalenæ, matris Cardinalis *Cibo*.
7. Miſſa in vigilia nativitatis celebrata.
8. Qui Barones procedente Papa ad capellam inter Papam & Collegium ire debeant, aut ubi.
Locus Principum præſentium.
9. In nocte natalitia matutinæ abſente Papa, & non celebrante in craſtino, & in quo habitu veniat ad eos & quid ageret.

10. In

10. In die Natalis miſſa major, præſente Papa non celebrante.
Conſecratio & donatio ſpathæ benedictæ.

11. In vigilia circumciſionis & mandante Papa, quod nullus tanquam Baro ad gradus ſolii accedat aut ſtet.

Ad Annum MDXX.

1. Miſſa habita die novi anni.
2. In vigilia Epiphaniæ.
3. In die Epiphaniæ.
4. Baptizatur orator infidelis Regis Numidarum.
5. Conſiſtorium publicum pro Cardinale S. Mariæ in Porticu Legato ex Francia reverſo.
Receptio Legati ex Gallia redeuntis.
6. In die purificationis.
Diſtributio candelarum a Pontifice facta. Prærogativa generalis humiliatorum.
7. *In Dominica de Paſſione; feſtum annunciationis & profectio Papæ ad Minervam.*
8. In die Paſchatis VIII. Aprilis.
9. Veſperæ in Vigilia Aſcenſionis & miſſæ in die 1520.
Dux Albaniæ vult ſedere apud Cardinales. Utrum miſſa ab Epiſcopo Cardinali, an Presbytero celebranda.
10. De Proceſſione in die corporis Chriſti.
Lites de prærogativa inter officiales curiæ Romanæ.
11. Conſiſtorium publicum pro obedientia Regis Scotiæ.
Dux Albaniæ, tutor Regis Scotiæ, præſtat ſedi pontificiæ obedientiam: an cum Cardinalibus ſedere debeat.
12. An Papa in Conſiſtoriis & congregationibus reſpondere debeat per ſe ipſum Oratoribus proponentibus, ſicut usque modo: an vero per interpretem ſicut mos eſt aliorum Principum Chriſtianorum.
13. De Miſſa S. Johannis Baptiſtæ.
14. De dignitate, officio & juriſdictione præfecti urbis, & qualiter & ubi inveſtiri debeat.
15. Miſſa in die omnium defunctorum.
Lites inter Legatum Ducis Sabaudiæ & Legatum Ducis Venetiarum.
16. Mors Cardinalis S. Mariæ in porticu.

17. In-

17. Ingreſſus Excellentiſſimæ Duciſſæ, olim Mediolanenſis, nunc Barrenſis.
An Cardinales Duciſſæ obviam ire debeant? An Legatis Cæſareis? An Duciſſa intrare poſſit capellam papalem?

Ad Annum MDXXI.

1. In die annunciatæ, quæ venit intra hebdomadam ſanctam.
Controverſia inter cubicularios & Equites S. Petri.
2. In feſto Aſcenſionis.
An Gubernator in mantello roſato comparere poſſit.
3. In feſto Pentecoſtes.
Ritus ex alto dimittendi columbam, abrogatur.
4. Reformatus ordo proceſſionis corporis Chriſti.
5. Ordo Proceſſionis.
6. Mors Cardinalis S. Georgii, Decani Collegii, Camerarii & Epiſcopi Oſtienſis.
7. Sex Epiſcopi jurare tenentur ratione ſuarum Eccleſiarum.
An Cardinales Epiſcopi jurare teneantur.
8. Camerarius novus deputatus & acceptatus.
Inveſtitura Camerarii.
9. Jurarunt reverendiſſimi Cardinales Oſtienſis & Sabinenſis Epiſcopi pro Eccleſiis ſuis.
10. Miſſa ſolennis in die aſſumptionis habita, propter fœdus initum inter Presbyterum Joannem Egypti atque Indiæ Regem ex una parte, & Portugalliæ Rege ex altera, contra Turcam.
11. De infirmitate Papæ Leonis X. & ſubita ejus convaleſcentia.
12. Captura Mediolani & lætitia facta per Papam in curia.
13. In die S. Andreæ miſſa in prima Dominica de Adventu.
14. Mors inopinata Leonis X. ejusque exequiæ.

EXCERPTA ex Diario PARIDIS de GRASSIS *ad annum MDXVII.* apud MABILLON. *in Muſeo Italico Tom. II. p. 587.*

DIA-

Digitized by Google

DIARIVM *PARIDIS GRASSI* PISAVRIENSIS TEMPORE PONTIFICATVS LEONIS X.

Anno 1518. Menſe Februarii.

I. *Rixa mea cum Oratore Hiſpano Epiſcopo ſuper nonnullis abuſionibus ejus.*

Diebus præteritis cum vidiſſem *R. Patrem Dominum* PETRVM, *Epiſcopum Sinacuſanum*, natione *Catalonum*, Oratorem *Regis Hiſpaniæ*, per urbem equitantem ſine capello Epiſcopali, & cum mantello brevi totaliter ante pectus aperto, ſine etiam capuccio lato humerali, ac quod plus eſt, ducentem ſecum duos Epiſcopos poſt ſe, tanquam duos capellanos, & quod multo majus eſt, quando cum Cardinalibus duobus in via eſſet, pedeſter vel equeſter volebat ire tertius, junctus cum duobus illis Cardinalibus, quod non decet, & aliqui Cardinales de hoc mecum conqueſti fuiſſent, dixi primo placide, quod non rite id faceret, præter ea, quæ ſupra dixi; ſed omnino admonuiſſem, cum non curavit. Ac cum eum iterum in via inveniſſem, firmavi me ante conſpectum Cardinalium duorum, cum quibus ipſe erat tertius in læva junctus duobus Cardinalibus, ut ſic non procederent, ſed junior ex eis eſſet in ſiniſtra ſenioris: orator vero, qui non erat in gradu par eisdem, ſequeretur eos poſt terga, ſicut alii Oratores Prælati. Ille autem Orator elevata ſuperbia non voluit ſequi, ſed ivit ad dexteram Cardinalis ſenioris; quod videntes omnes riſerunt, & irriſerunt ipſum. Ego autem, cum eſſem in Caſtello cum Papa, & multis Cardinalibus ibi præſentibus, conqueſtus ſum de hoc Oratore tam ſuperbo, ut ambiret, par eſſe Cardinalibus in via. Ipſe autem multo magis audiente Papa, & omnibus, conquerebatur de me, qui talia fuerim auſus. Ego reſpondi, *quod ſi Rex ſuus perſonaliter in aliquo derogaret*

Legatus Hiſpanicus vult præcedere Cardinales.

Majeſtati ſedis Apoſtolicæ, ipſum corrigerem, & non ſolum Oratorem ejus. Et cum Papa intellexiſſet cauſas, quibus motus eram, turbatus eſt, & impoſuit Cardinali ſanctæ Crucis Hiſpano, ut eum placide admoneret de obſervandis ritibus, & uſibus Romanæ Curiæ, & etiam de parendo mandatis magiſtri, qui non niſi juſta & honeſta monet. Sed ille ibidem hoc ad partem audiens, multo magis clamare contra me cœpit a longe & alte, a me quærens, *quis ego eſſem, qui talia auſus ſum.* Ego benigne reſpondi, tanquam Epiſcopum eſſe filium, & ſervitorem ſuum, tanquam Magiſtrum Ceremoniarum eſſe Imperatorem ſuum, qui ſibi imperarem, etſi non obediret, imperarem Papæ & univerſo Senatui, ut illum vel abjiciant de Curia, vel corrigant inſolentia ſua. Ipſe ſubjunxit, velle ſcribere Regi ſuo de præſumtione mea: & ego, ut prius, audiente Papa, reſpondi, me etiam ſcripturum de fatuitatibus ſuis, quia nec Papam, nec Cardinales, nec ſe ipſum æſtimet in vituperium Regis; & quia iſte quaſi vellet minari, Papa impoſuit Cardinalibus, ut illum increparent, me autem inde licentiarent, ne haberem verba cum illo, & ſic diſceſſi. Mox illuc reverſus, & petii a Papa, an ſuæ Sanctitati diſplicuiſſet, quia illum correxi, & Papa me laudabiliter commendavit, qui animoſe dixerim, & quod hæc ipſe faciet omnia nota Regi de homine iſto tam ſuperbo.

II. *Creatio Legatorum quatuor.*

Quatuor Legati a Latere creantur.

Die Mercurii 4. Martii Papa ingrediens Conſiſtorium, mihi ad ſe vocato dixit, qualiter hodie proponere & creare intendebat LEGATOS *quatuor* DE LATERE ſuæ Sanctitatis ad diverſas nationes pro expeditione habenda contra Turcas, & nominavit eos quatuor ad effectum, ut eos informarem ſuper agendis, & ut Palatinos ac alios omnes Cardinales, qui eos Legatos conducere deberent, auviſarem ſuper agendis, præſertim ſuper equitatione & conductione ipſorum Legatorum

torum ad ædes ſuas. Hi Legati fuerunt, *Cardinalis de* CAMPEGGIO *ad Regem Angliæ*, Cardinalis AEGIDIVS *ad Catholicum Regem Hiſpaniæ & Portugalliæ*, *Cardinalis de* FARNESIO *ad Imperatorem*, *Cardinalis* SANCTAE MARIAE IN PORTICV *ad Regem Franciæ*. Et cum dicerem Papæ, quare etiam non faceret alium Legatum ad Regem Hungariæ & Poloniæ, reſpondit mihi, quod ibi eſſet Cardinalis Strigonienſis, ut Legatus deſtinatus jam diu ab ipſo ſuper hac materia. Replicavi, per ipſum Strigonienſem non eſſe utilem Legatum, quia cum ſit de natione, & tanquam Regis Hungariæ creatura, non ſe gerit *tanquam Legatum*, ſed tanquam *Capellanum Regis:* nam cum deberet eſſe tanquam Legatus Apoſtolicus ſupra Regem, non ſolum non eſt ſupra Regem, ſed ſub illo, & in omnibus Regi defert tanquam minor; ſed & miniſter ejus, quia lavanti manus Regi miniſtrat mappam, & in miſſa pacem & librum, quod non deberet facere, & propterea in his & in aliis ipſe Legatus detrahit honori ſedis Apoſtolicæ, *quia ſemper Legati debent eſſe ſupra Reges quoscunque.* Et Papa reſpondit, quod hoc idem a pluribus aliis de hoc *Strigonienſi Cardinali* intellexit, qui ſe male habet cum honore, imo cum dedecore ſedis Apoſtolicæ, & quod ille eſſet male aut parum nationi acceptus, & parum exiſtimatus, unde volebat providere. Deſuper dixi bonum fore, ſi Sanctitas ſua etiam illuc deſtinaret unum Prælatum tanquam Nuncium, qui ſimul cum Legato provideret, ut Reges illi duo potentiſſimi venirent ad expeditionem iſtam contra Turcas; & Papa mihi reſpondit, quod non eſſet de his duobus Regibus dubitandum, quia ipſi quotidie Papam interpellabant, cum diverſis nunciis & litteris ſuper hac expeditione, quia in primo periculo ſunt, ſi Turcus Chriſtianitatem petit: & ſic concluſit, quod tamen pro iſtis quatuor Legatis pararem, prout paravi, & ducti ſunt a Collegio, ut moris eſt.

Cardinalis Strigonienſis mores.

Legatorum prærogativa affectata in Reges.

Digitized by Google

Nam primo in Palatio ad Cameras ſuas ductus eſt *Cardinalis* SANCTAE MARIAE IN PORTICV, id eſt, ad primos gradus ſcalarum, & ibi oſculatus eſt Cardinales, & licet multi dicerent, iſtos legatos eſſe debere in ordine legationum, & non in ordine Epiſcoporum Cardinalium, ſcilicet ut primo & *primus* eſſet, qui iret ad *Imperatorem*, *ſecundus*, qui iret ad Regem *Franciæ*, *tertius*, qui iret ad Regem *Hiſpaniæ*, *ultimus*, qui iret ad Regem *Angliæ*, habita ratione legationum, ad quas proficiſcebantur, & non habita ordinis ipſorum ratione. Tamen ego non volui niſi reſpicere ad ordinem, *quo ipſi Cardinales ſedent*,[1] & ſic fuit bene factum. Ducti autem fuere ad ædes juxta commoditatem ipſarum ædium. Primo enim SANCTAE MARIAE IN PORTICV in Palatio, deinde FARANESIVS, tum CAMPEGGIVS, ultimo AEGIDIVS; Alia ut alias.

III. *Miſſa in Anniverſario Coronationis* LEONIS X. *pro anno VI.*

De prærogativa *Conſervatorum*, an Duces & Principes Romanos præcedant?

In hac Miſſa CONSERVATORES noluerunt cedere Duci GRAVINAE, quia dicunt, Barones Romanos ſubeſſe Conſervatoribus. Reſpondi ego, Cardinales Romanos ſubeſſe Conſervatoribus, neceſſe eſt. Dixerunt, de Baronibus intelligi debere. Reſpondi iterum, hoc utique verum, exceptis *Ducibus*, *&* *Præfecto*, *&* *Confalonerio ac Capitaneo Eccleſiæ*, & ſimilibus. Et cum adhuc mihi non crederent, conſului Papæ, qui aperto judicio arguit Conſervatores, ut nimis multa arrogent; mandavitque, quod *Dux eſſet ſupra Conſervatores*, prout fuit.

IV. *In Miſſa Dominicæ de Paſſione.*

Lites de præcedentia inter Oratorem *Rhodianum* & *Ferrarienſem*.

Verba altercatoria fuerunt inter Oratorem RHODIANVM & FERRARIENSEM, quia Rhodianus non voluit cedere Ferrarienſi, & Papa in me reſpiciens dixit, ut eam differentiam per ſententiam diffinirem. Et illud elevata voce dixi

Digitized by Google

dixi *Rhodiano*, quod aut ille omnino cederet tanquam digniori, aut omnino accederet, & ipſe vellet mecum deſuper contendere. Dixi, quod non eſſet *Orator*, ſed *Cancellarius Magiſtri Rhodiorum Fratris & Religioſi, qui non habet de jure Oratores in Romana Curia*, & ſic tacuit ac ceſſit. Veruntamen dixit poſtea, quod volebat melius intelligere a me cauſam deciſionis, & obtuli me dicturum iterum, prout jam dixeram.

V. *In die Palmarum: Receſſus Legati conducti a Collegio.*

Poſt Miſſam Papa reverſus ad lectum paramenti, exutusque omnibus paramentis, circumſtantibus in gyrum Cardinalibus, & ante ſe habens crucem, inter quam & Papa genu flexo *Reverendiſſimo Cardinali de* FARNESIO, *Legato ad Cæſarem*, legit ex libro, Antiphonam, Pſalmum & verſiculos, ac Orationes conſuetas, & ille oſculatus manum, pedem & os Papæ abiit, ductus a Collegio ad portam, quæ eſt ante Turrionem plateæ Sancti Petri, ubi extra eam Cardinalis Legatus oſculatus eſt omnes & ſingulos Cardinales, & ſic vale dicto abiit verſus *Crucem Montis Marii*. Alia ut alias. **Dimiſſio Legati.**

VI. *Mors & Funeralia Cardinalis de* SAULIS.

Die Lunæ XXVIIII. circa ſolis occaſum, tandem infelix BANDINELVS *Cardinalis de* SAVLIS mortuus eſt, qui poſt Carcerationem ſuam, & ſemiprivationem, ac multarum pecuniarum ſolutionem usque modo infirmus fuerat, & quandoque dictus mortuus, & quandoque vivus, tandem requievit in pace. Quod ego intelligens non prius acceſſi, quantumcunque pluries & inſtanter requiſitus ab affinibus, quam acceſſerim ad Papam, & intellexerim, an placuerit, quod de ipſo ſepeliendo, & honorifice ac ſolenniter id facerem, quod de aliis ſolet. Et Papa in me converſus, quaſi admiratus, quid hoc peterem; Petii cauſam admirationis hujusmodi, **Cardinalis de Saulis fata, obitus & funus.**

Digitized by Google

& rurſus Papa a me quæſivit, *quare hoc peterem, & cauſa meæ dubitationis*, cum ipſe jam prius mihi dixerit, quodſi contingat hunc mori, quam honorifice faciam eum ſepeliri. Reſpondi, me id quidem recordari, ſed *cum ſint horæ XII. in die, & Sanctitas ſua potuerit variari in voluntate ſua circa liberationem ejus*. Nam quandoque dictum eſt, eſſe liberatum ac reſtitutum voto, interventione ſolutionis pecuniarum multarum, & quandoque dictum eſt, aſperius multatum, ſicut ego etiam variatam habeo opinionem faciendi. Itaque res in riſum deſiit, & mihi impoſitum, ut id exequerer, quod de aliis Cardinalibus defunctis ſolet, quod & feci in omnibus & per omnia, ut alias, licet parcius propter exhauſtam hæreditatem, cum fratres & affines dicebant, nihil ſibi amplius ſupereſſe ad victum eorum. Cardinales adfuerunt XXX, & mandatum factum eſt parte fratrum hæredum.

Fata *Bandinelli*, Cardinalis de Saulis.

Bone DEus! quid vident oculi noſtri in ſeculo noſtro? Iſte BANDINELLVS, *Cardinalus de Saulis*, juvenis, ſimul cum Cardinale PETRVTIO, *Senenſi* juvene, nuper ſtrangulato, ac aliis complicibus, non cedebat alicui in faſtu & pompa, & gratia Papæ LEONIS, quem in deſpectum tantorum Patrum fecit Papam, & ex illo in tanta ſuperbia crevit, ut ipſe Papa ſibi videretur eſſe. Tamen quia Papa LEO non forte retribuit ei, ut ſperabat, verſus eſt in ultionem, & voluit Papam venerare, ac in manibus FRANCISCI MARIAE Vrbinatis tradere; ipſe fuit traditus ac carceratus, ac privatus Cardinalatu, ut *ſupra latius ſuo loco ſcripſi*, & tandem mortuus infeliciter & ſepultus in Eccleſia Sanctæ Sabinæ, quia ab initio illum titulum habuerat, licet nunc eſſet ſine titulo, & ſine beneficio, & ſine honore, & quantumvis Cardinalis diceretur, tamen domum nunquam exivit, & ſemper ſine voto fuit.

VII.

VII. * * *

Accedente Legato, ut ſuſcipiat legationem, ceſſat Rota: v. infer. n. XIV.

Sabbato in Albis Papa multo citius ſolito paratus venit ad Miſſam, quia dicebatur, quod die Lunæ proxima, quæ eſſet XII. Aprilis, Cardinales tres Legati acceſſuri. Dixi Papæ, quod ea die *ſolet ceſſare Rota, quando unus Legatus accedit ad inſignem Legationem, præſertim extra Italiam:* nunc autem, quia quatuor receſſuri ſunt, tanto fortius debet Rota ceſſare. Et cum Papa ſupra hoc quaſi dubitaret, reſpondi, hoc idem ſervatum fuiſſe pro Sanctitate ſua, quando erat Cardinalis, & fuit Legatus Bononienſis ſub Julio. Et tunc memor factus juſſit mihi, ut Auditoribus tunc præſentibus intimarem, quod & feci, licet ego dixerim, quod ipſi quidem irent ad Rotam, & quod ipſis ibi ſedentibus in tempore mitterem unum Cubicularium Papæ, qui ſignificaret eis, ut facta concluſione cauſarum, quas inter ſe propoſuiſſent, non aperirent audientiam, ſed exirent ſimpliciter, & aſſociarent Legatos, quod Papa auſcultavit, & approbavit. Verum Decanus Mercurius dixit hoc eſſe in damnum, ſed melius fore ſi omnino Auditores non intrent Rotam propter expenſas, quas cum Advocatis & procuratoribus facerent litigantes. Et ſic Papa habito conſenſu Cardinalium, qui fuerant Auditores, prius voluit, quod Auditores omnino ceſſarent ab acceſſu Rotæ, prout ceſſarunt, ſed concluſionem aliam Conſiſtorialem factam, *vide infra die Mercurii V. Maji & etiam infra 258.*

VIII. *Receſſus trium Legatorum.*

Abitus trium Legatorum.

Die *Lunæ* XII. Aprilis tres Legati ſimul receſſerunt ex Conſiſtorio, videlicet *primus* de CAMPEGGIO, *ſecundus* AEGIDIVS, & *tertius* SANCTAE MARIAE IN PORTICV, & cum diceretur, quod quartus ſuperioribus diebus receſſit ex urbe, non eſſet progreſſus ad ulteriora, tanquam infirmus; quæſivi a Papa, *an quartum alium vellet creare;* & reſpondit,

quaſi

Digitized by Google

quaſi quod iſte non benefaceret ſimulando ſe ægrotum, quia non eſt, & in fine nullum verbum de eo fecit. In fine Conſiſtorii hi tres Legati, genu flexi fuerunt cum lectione ſolita per Papam licentiati, & a Collegio ducti ad diverſorium ſolitum circa angulum viæ de populo & abierunt in nomine Domini.

IX. *Mandatur procedi ad privationem* *Cardinalis* ADRIANI.

Proceſſus contra Cardinalem *Adriani.*

Hodie intra Conſiſtorium fui per Procuratorem fiſcalem requiſitus, ut ſecum intrarem, quoniam me oportebat eſſe teſtem, prout fui, & ipſe Procurator Fiſcalis ſimul cum Advocato, & Notario dixit proceſſum fuiſſe executum contra Cardinalem Adrianum, & quia non comparuerat, petebat ipſum citari debere in valvis ædium ejus, & procedi usque ad privationem; Et Papa reſpondit, *mandamus, procedi & citari:* & ſic ego cum Domino Philippo ſimul Aldimari, & Domino Guidone Medico fuimus teſtes.

X. *Creatio alterius Legati ad Germaniam loco* *Cardinalis* FARNESII *infirmi.*

Cardinalis de *Farneſio* creatur Legatus.

Cum Reverendiſſimus D. Cardinalis de FARNESIO Legatus ad Germaniam, prout ſupra latius ſcripſi, ex Conſiſtorio aſſociatus a Reverendiſſimis DD. Cardinalibus receſſiſſet, & ad ſua Caſtra divertiſſet, & uti melius ſe ordinaret, prout dixit, ſive quod a ſuis ita perſuaſus fuerit, ut non iret, ſive in veritate infirmus fuerit, tandem quia non ibat, & iter ſuum nimis tardaret, Papa hodie, quæ eſt XIII. Aprilis, Reverendiſſimum Dominum, THOMAM *Cardinalem Sancti Sixti*, ſive de *Minerva* nuncupatum, Legatum fecit ad Germaniam, loco Cardinalis FARNESII, & fuit, finito Conſiſtorio, a toto Collegio ad ædes ſuas juxta *Sanctam Mariam* in via lata aſſociatus; cum illico ego de mandato Papæ, dedi inſtructiones, quibus

Singularia, quæ in habitu affectavit.

quibus in ſua legatione regularetur, licet ipſe multa a me petiit, quæ ridens negavi, tanquam nimis exorbitantia, ut eſt, quia volebat quatuor *Mazzerios*, quatuor, *Martelettos*, equum vel *Chineam albam*, cum phaleris ex velluto Cremeſino, & paratum Cameræ ſuæ de raſo Cremeſino, & alia, quæ non ſunt viſa convenire Legato Cardinali novo, & præſertim regulari. Omitto quod voluit etiam habere *birrettum rubeum*, *& cappam* ad minus de *Zambellotto nigro* ſuperius, & interius de *Zambellotto albo*, ſi non poſſet habere de Zambellotto pavonatio, & rubeo, ſicut alii Cardinales Legati ſæculares.

XI. *Conſecratus fuit in Epiſcopum Cardinalis Sancti* SIXTI.

Iſte *Reverendiſſimus D. Cardinalis*, poſtquam fuit Cardinalis, habuit Archiepiſcopatum Panormitanum, & quia volebat, ac vult nominari Archiepiſcopus, & non electus voluit primo conſecrari, deinde habere pallium. Et quidem Cardinalis de FLISCO die prima Maji in domo ſua ſolenniter (eum) conſecravit, aſſiſtente me a dextris, & Epiſcopo de ROSA, ſive *Caſtrenſi* a ſiniſtris fecit, quod habuit ſedem ſicut celebrans, & quod non ſit oſculatus manum poſt examen, ſed faciem, & quando obtulit poſt offertorium, non genu flexit, ſed ſtans cum mitra, obtulit Cardinali ſtanti, & in fine oblationis oſculatus eſt eum in facie. Ego in principio dixi: *Reverendiſſime in Chriſto pater & Domine! Poſtulat Sancta Veſtra Eccleſia Catholica, ut Reverendiſſimum in Chriſto patrem, Dominum Romanæ Eccleſiæ Presbyterum Cardinalem Sancti Xiſti tituli, in ordinem Epiſcopalem conſecret Dominatio Veſtra Reverendiſſima, ex quo habet mandatum a Sanctiſſimo Domino noſtro Papa vivæ vocis oraculo ſibi factum.* Et ipſe nihil aliud dixit, niſi DEO gratias, & fuit benefactum & dictum.

Quomodo Cardinalis in Epiſcopum fuerit conſecratus.

Digitized by Google

XII. *An novus ſpecialis Legatus in unam Provinciam, in qua eſt alius generalis antiquus Legatus, cedere debeat antiquo, vel non, & qualiter.*

Competunt de prærogativa Cardin. de *Lucemburg* & Cardinalis *S. Mariæ.*

Cum diebus iſtis Papa Legatum Cardinalem Diaconum SANCTAE MARIAE IN PORTICV ad Galliam deſtinaverit, ubi jam diu *Cardinalis* DE LVCEMBVRGHO ſive Cenomanenſis Gallus eſt Legatus non revocatus, & Epiſcopus Tuſculanus uterque ad me ſcripſit, ut diffinirem, quis eorum præeſſe, & quis ſubeſſe alteri debeat: & re cum multis in genere examinata, cum iſte caſus potius ſit terminandus per Juriſtas, quam per Ceremoniſtas, cum materia ſit juris, & de jure; tandem propoſui caſum in Conſiſtorio coram Papa & Cardinalibus XXXV, ubi re multum in utramque partem examinata, cum videretur multis, quod Diaconus Cardinalis novus Legatus deberet præeſſe tanquam ſpecialis, & alter tanquam generalis debeat ſubeſſe ſpeciali; ego a ſimili dixi, me ſecus credere, nam Oratores, qui etiam Legati ſunt, hunc habent inter ſe ordinem, & ſi unus Orator ſit a ſuo Principe ad Papam miſſus, & alius ab eodem Principe mittatur, quod inter hos erit ille ordo, qui etiam eſſet coram Principe ſuo, & non aliter; unde ego putarem, quod Cenomanenſis, qui eſt Epiſcopus Cardinalis, debeat eodem modo in Gallia præeſſe Diacono Cardinali SANCTAE MARIAE IN PORTICV, ſicut ſi uterque eſſet in urbe Roma, ex qua non eſt ille revocatus. Tandem mihi impoſuit, ut utrique ſcriberem ſic videlicet, ut Cenomanenſis licet ſit Legatus, ſolum ad viſitationem Monaſteriorum in Regno Franciæ, & per conſequens ipſe deberet cedere ſemper, & ubique novo Legato, tamen quod in iſto primo ingreſſu novi Legati, id eſt, donec ipſe novus Legatus bis poſſet agnoſci & videri tanquam LEGATVS Apoſtolicus DE LATERE, & poſſit dare benedictionem, & deferri ante ſe facere crucem, quo facto per aliquod tempus

tempus tunc Cardinalis DE LUCEMBURGO, ſi ibit ſimul cum novo Legato, quod novus Legatus cedat antiquo ob reverentiam ordinis Epiſcopalis & antiquæ dignitatis Cardinalatus, ac etiam ad nobilitatem generis ſui. Quæ deciſio omnibus Cardinalibus valde placuit, & Papa mihi commiſit, ut hanc deciſionem utrique Legato ex parte ſua ſignificarem; quod & feci.

XIII. *Receſſus Reverendiſſimi Domini Legati Cardinalis* SANCTI SIXTI *ad Imperatorem.*

Die Mercurii, *quinta Maji*, Reverendiſſimus Dominus THOMAS *Cardinalis* DE MINERVA, ſive *Sancti Sixti* DE LATERE, deſtinatus ad Cæſarem, fuit benedictus, & lectus Pſalmus ſuper eum cum verſiculis & orationibus per Papam, ut moris eſt, & denique ductus a Sacro Senatu, non per eam viam, qua fuerat Cardinalis DE FARNESIO, id eſt, per portam guardiæ Palatii, ſed usque ad ædes Archiepiſcopi Nicoſienſis verſus ad Populum: nam cum usque ad eum locum etiam tres ducti ſimul fuiſſent, placuit Papæ & Legato, ut ſimiliter Senatus eo accederet, prout fuit. Diſceſſus Legati de Latere ad Imperatorem.

XIV. *An Rota ceſſet in diſceſſu Legati, & qualiter.*

Superius ſcripſi de diſceſſu trium Legatorum & qualiter Rota de toto ceſſavit, tam a propoſitione cauſarum, quam de obſervatione terminorum; imo quod Auditores non iverunt ad Rotam ea die. Quod cum inter Patres diceretur male, & præter antiquum ritum fuiſſe, Papa mihi impoſuit, ut deſuper providerem. Itaque cum modo receſſuro hoc Legato Auditores intellexiſſent, forſan ut liberius vacarent, habito exemplo prioris actus de tribus Legatis, quia modo iverunt ad Rotam, & jam nunc ire noluerunt, prout non iverunt; neque Procuratores neque Advocati informarunt in cauſis, quod fuit nimis licentioſe factum, & arbitraliter. Nova quæſtio de Rota ceſſante, dum Legatus diſcedit.

Digitized by Google

Propterea ego dixi Papæ, ut provideret, ne Curia in hoc pateretur. Et ſic Papa in hodierno Conſiſtorio, vocatis ad ſe quatuor Cardinalibus, qui prius fuerant Auditores Rotæ, cum Vice-Cancellario, intellexit, qualiter antiquitus, & usque modo in diſceſſu Legati non ceſſare deberet Rota, ſed non teneri, & Auditores congregari ac ipſas ſuas cauſas proponere, & reſolvere debere. Sed Papa ſolet mittere unum ex ſuis Cubiculariis ad Rotam, & intimare Auditoribus diſceſſum Legati ad effectum, ut ipſi Auditores, qui ſunt Capellani Papæ, aſſocient & comitentur Legatum, ſicut etiam faciunt omnes Cardinales, & nullo modo ſedent in Audientia pronuntiaturi aliquid. Et cum hoc Papa intellexiſſet, mandavit Reverendiſſimo Vice-Cancellario, ut de cetero hoc idem ſervari faciat, & non plus, vel minus, & mandavit, quod in Conſtitutionibus Rotæ ſcribatur, & mihi, ut annotem, quod propterea hic notavi de mandato ſuæ Sanctitatis.

XV. *In Vigilia & Feſto Corporis Chriſti, Papa præſente.*

Cum diebus iſtis Papa ægrotaſſet ex ſua diuturna fiſtula, diceretur que gravius ægrotare, quam veritas eſſet, & Veſperæ, ac Proceſſio & Miſſa absque ejus præſentia fore putarentur; ecce Papa exivit ad Veſperas ſanus, & rubicundus, & quia diebus iſtis non fecit aliqua negotia, propterea a diverſis Cardinalibus XXX. & duobus tantum aſſiſtentibus Prælatis. Et cum ego propoſuiſſem, ut Vice-Sacriſtam, qui apud altare ſedet, in aſſiſtentiam vocaret, non voluit, dicens, ipſum non eſſe Sacriſtam.

In die hora X. Papa exivit, licet fuiſſet intimatum pro hora IX. & facta ſunt omnia more ſolito. Et Papa mihi expreſſe mandavit, quod in mandatis quæ fiunt officialibus, ut veniant, & interſint cum Torciis, quod addatur, & non diſcedant de Baſilica cum Torciis, ibidem imo permaneant omnes, donec

donec Sacramentum expoſitum fuerit ſuper altare Sancti Petri, & hoc ideo, quia ipſi officiales cito circuierunt Proceſſionem, & illico extinxerunt Torcias, & abierunt præter ſolitum, & præter decorem Proceſſionis.

Itaque & inſuper ego querelam feci Papæ primo, deinde Vice-Cancellario, audientibus omnibus Cardinalibus, videlicet, quia Scriptores Apoſtolici non voluerunt Bullas meas expedire, quoniam ego in Proceſſione, quæ fuit habita diebus præteritis pro expeditione contra Turcas, vocavi *Magiſtros* utriusque *Regiſtri* ſuper ipſos Scriptores, & in digniori loco; & quia ego male feci, ut ipſi judicarunt, propterea de hoc meo malo judicio voluerunt me impugnare, quia non voluerunt meas Bullas gratis expedire. Et quia ego ſciebam, me benefeciſſe, cum ex jure Ceremoniarum, prout in Libro ſcriptum eſt, fecerim, & etiam ſic conſuetum eſt a SIXTO & INNOCENTIO, citra prout rotulos & libros prædeceſſorum meorum ſuper hoc exhibui. Propterea petebam a Papa & Vice-Cancellario ipſos ſcriptores corrigi debere, cum non debeant eſſe officiales Papæ proprii judices in cauſa propria. Secundo dicebam, quodſi ego malefeciſſem, volebam me ſimul cum libris meis comburi; ſed ſi benefecerim, quod de cetero Bullæ meæ expediantur absque manu Reſcribendarii; præſertim *de uno, qui eſt una beſtiola, & neſciat, quid dicat, aut quid faciat.* Vnde Papa mandavit Vice-Cancellario, quod faciat Bullas meas expediri omnino, & mandavit Cardinali FARNESIO, quod ponat in Proceſſione Magiſtros prædictos ſupra Scriptores Apoſtolicos, non obſtante quacunque querela Scriptorum, prout fuit factum. Item Regiſtratores Bullarum in Proceſſione iverunt immediate infra Abbreviatores de minori parco alia. Lites inter Magiſtros Regiſtri, & Scriptores Pontificios.

Gubernator habuit curam Proceſſionis officialium, Camerarius habuit de Clero, & Magiſter Domus de Baldachino portan- Directores Proceſſionis.

portando, & D. Johannes de ſede Papæ æqualiter & modeſte portanda.

An Papa cum mitra incedere debeat?

Papa, quia annis præteritis voluit eſſe in Proceſſione propter devotionem Sacramenti *ſine Mitra;* ego hoc anno dixi, non bene eſſe ſine Mitra, ex quo eſt ſedens; ſed proceſsionaliter ſemper itur cum Mitra in Capite, prout omnes Prælati & Cardinales mitrati incedunt. Et Papa videns, etiam Cardinales mecum ſentire, annuit, & accepit Mitram pretioſam, quam per totam Proceſsionem portavit, id eſt, eam accepit, poſtquam fuit ſedens, & compoſitus, quod fuit bene factum.

Miſſam cantavit Cardinalis de VICH, *Catalanus*, dixit ſe nunquam aliam miſſam cantaſſe, quæ fuit ſatis bene, licet cum multo tremore vocis. In fine publicavit Indulgentiam decem annorum.

Et quia nullus alius aſsiſtens Prælatus interfuit, præter me ſolum, fui coactus petere a Papa, ut vel Vice-Sacriſtam mihi pro iſta vice ſocium daret, qui me adjuvaret, vel ſaltem unum aſsiſtentem novum conſtitueret, qui me adjuvaret.

Petiit a me, quis mihi videretur ex multis vocandus? ego quia diligo Epiſcopum *Caſertanum*, dixi Papæ, injuriam fieri ſibi, quia cum tempore SIXTI *Epiſcopus Alavenſis*, qui habebat ſignaturam ſupplicationum, non fuiſſet vocatus ad aſsiſtentiam ſimul cum duobus aliis tunc creatis aſsiſtentibus, doluit dicens, ſibi injuriam factam, cum eſſet *primus Referendarius*, & *ſupplicationum Signator;* & Papa SIXTVS fecit eum aſsiſtentem, & deinceps ab aliis ſucceſſoribus ſemper conſervatus. Itaque Papa ne faciat iſti Epiſcopo Caſertano injuriam, qui habet ſignaturam, quod poteſt eum vocari facere ad aſsiſtentiam. Et ſic Papa ridens mihi juſsit, ſi ſic videretur, quod hunc vocarem, & ſic vocari feci, & ambo duo nos ſervivimus, ego de libro, & ille de lumine. Et licet denuo inſtiterim pro Epiſcopo Nepeſino Vice-Sacriſta, tamen ridens

ridens non voluit audire, quia adhuc non eſt Sacriſta, ut dicebat ridens.

XVI. *Renovatio Capellæ Papalis in die Sancti Joannis Baptiſtæ.*

In die Sancti Joannis Baptiſtæ Papa ſemper ſolet velle Miſſam cantatam audire aliquando in Capella minori, ubi Cantores quotidie faciunt officium, & aliquando in Capella ſua majori Papali, quam aliquis Prælatus Palatinus celebrat, præſentibus omnibus Cardinalibus, & Prælatis non utique cappatis, ſed mantellatis, ut ſupra ſucceſſive ſcripſi. Unde ego videns, hanc devotionem Papæ, quæ eo major in ipſo eſt, quo ipſe Joannes vocatur & Florentinus: nam natio Florentina hunc ſanctum celeberrimum veneratur, præter cæteros, ut gratificarer Papæ, dixi in Conſiſtorio audientibus Cardinalibus, quod antiquitus ſic dare ſcriptum eſt in libro noſtro ceremoniali ordinario; *hoc feſtum habeat Capellam Papalem in Vigilia & die, nam & Veſpera ſolebant, & in die Miſſa ſolennis, quam celebrabat Presbyter Cardinalis, & etiam ſiebat Credo; ſermo non dicebatur, niſi feſtum caderet in Dominica.* Itaque hoc feſtum ſit celebre in Eccleſia; nam teſtimonio ipſius Domini noſtri JEſu Chriſti, inter natos mulierum non ſurrexit major, quod verbum etiam infideles & Mauri, & fere omnes nationes omnium ſectarum hunc diem præ cæteris colunt, venerantur, & adorant: nos vero Chriſtiani omittimus celebrare in Capella Papali, quod in veritate non bene eſt. Bene igitur eſſet, ut in Vigilia, Veſperæ præſente Papa & Cardinalibus cum Cappis, & etiam Prælatis cappatis, ac etiam in die fieret capella ordinaria, ex quo omnino Papa & Cardinales ſimpliciter adſunt, & ſolus Papa ex hoc gravari poſſet propter pluviale & mitram, quam geſtat. Itaque ſi ſuæ Sanctitati placeret renovare antiquam intermiſſam conſuetudinem, de iſto feſto bonum eſſet, quod conſi-

Capella ordinaria in die *S. Joannis Baptiſtæ* inſtituitur.

conſiſtorialiter decernat, & mandet uni Cardinali, ut celebret. Et Papa hoc intellecto contentus fuit ſatis, & converſus ad Cardinales dixit, ſe ſæpe admiratum de hoc fuiſſe, quod hoc feſtum non habuiſſet Capellam ordinariam, & quidem fuiſſe credidit propter calores, qui hoc tempore vigent; ſi tamen placeret eis tolerere calores pro iſta die vel Vigilia, nam in mane diei non eſſent calores, quod etiam ſibi placeret. Et ſic omnes per verbum placet reſponderunt, & Papa impoſuit, ut unus Presbyter Cardinalis de natione Florentina cantaret *Miſſam*, ſed non fiat ſermo, & dicatur *credo*, propter devotionem, & ſic factum eſt in omnibus, & per omnia, ſicut in Capella ordinaria, & fiet ſequentibus annis in perpetuum, & Cardinales erunt in Cappis Rubeis.

XVII. *In Vigilia, & Feſto S. S. Petri & Pauli.*

Papa impeditur miſſam celebrare.

Per dies aliquot ante dixit Papa ſe in hoc feſto non celebraturum propter calores, quos ſentit nocentes corpori & naturæ ſuæ: eſt enim *graſſus & graſſo corpore, ita ut nunc ſemper ſudoribus ſit repletus, & nunquam intra rem divinam aliud facit, quam aliquo linteolo caput, faciem, guttur, & manus ſudore madentes abſtergere.* Itaque mihi impoſuit, ut providerem. Et ſic Cardinali Sancti Georgii, Decano Collegii, ut præpararet ſe, prout ſe præparavit pro miſſà, quam in die cantavit bene more ſolito, ſicut etiam Indulgentia plenaria. Omnia alia fuerunt more ſolito, ſicut etiam Veſperæ pridianæ in Vigilia.

An ſubditi Pontificis poſſint Legatos agere in Aula Pontificia.

In Veſperis interfuit ORATOR quidam JANVENSIS, quia ſua ſponte ſe in loco Oratorum poſuit audaciter & animoſe. Ego prius intelligens, quem ille ſe gereret, quæſivi, quid ibi faceret? Et dixit, *ſe Oratorem Januenſem.* Reſpondi, *non eſſe Oratores in Romana Curia*, & in conſpectu Papæ, qui eſt ſubditus alterius Domini. Iſte acceſſit ad *Cardinalem* de FLISCO,

FLISCO, natione Januenſem, & narravit talia. Ille ſubdens in me dixit, *an propterea hac objecerim, ut aliquid nobis propinaret.* Reſpondi, *me facere officium meum, & me ſcire, quod ſubditi in conſpectu Papæ non habent locum honoris, niſi de gratia,* ſicut *Bononienſes*, & aliqui alii. Reſpondit, *Januenſes eſſe in hoc liberos, & ſe habere Ducem.* Dixi, *Ducem habent Urbinates, habent Sorani, Cabres & Mediolanenſes, non tamen hi habent in Curia Oratores.* Itaque, ſi iſte vult ibi eſſe, faciat Papam contentum. Ille mihi dixit, quod talia ego proponerem. Ego dixi, *quærat ipſe, ſi vult, & ſic* quæſivit a Papa, *qui* annuit, & me commendavit, quod facerem officium. Et ſic ego dedi illi *Oratori Januenſi caudam portandam Papæ in Veſperis, quia alius non aderat major eo.*

Hodie poſt Miſſam Papa mandavit baptizari quoſdam Judæos cum filiis & uxoribus ſuis, & poſt Miſſam duo venerunt, pater & filius, ad oſculum pedis Papæ cum multis parabolis, quia prius fuit, narramus; & Papæ ad Palatium redeunti, Orator Hiſpanus equum album pro cenſu obtulit, verbis Hiſpanis ſatis, & Papa Latine accepit, & commendavit. Nonnulli Judæi baptizati.

XVIII. *Privatio Cardinalis* ADRIANI.

Die Lunæ, *VI. Julii*, qua fuit Conſiſtorium ſecretum, Papa privavit Cardinalem ADRIANUM *Cardinalatu*, & beneficiis, ex eo, quia, ut Papa mihi in ſcriptis oſtendit, *ipſe* ADRIANUS *pluries ſub Julio aufugit ab Urbe, contra voluntatem Papæ, & non reſedit in titulo ſuo, ſicut de jure debuit, & nunc de jure aufugit inlicentiatus, & vocatus non voluit venire, & etiam, quia in proceſſu Cardinalis quondam* DE PETRUTIIS *fuit conſors ipſius Cardinalis* PETRUTII, *in propinatione veneni contra Papam, cum* FRANCISCO MARIA, *olim Duce Urbini*, & nonnulla alia feciſſe dicebatur, propter quæ hac die fuit privatus, ut dicunt in Conſi- Cauſæ, cur *Adrianus* Cardinalatu fuerit privatus.

 ſtorio

ſtorio ſecreto, in quo ego non interveni, quia non bene ſanus fui. Attamen audio, lectam fuiſſe ſententiam privationis contra ipſum, & fuit privatus ob crimen *læſæ Majeſtatis*, dignitate Cardinalatus, omnibus Eccleſiis, Monaſteriis, feudis, & bonis Eccleſiaſticis, ac etiam ſacerdotio, & omni gradu, & honore Eccleſiaſtico, & excommunicati omnes illi, qui eum pro Cardinale aut Eccleſiaſtico reputant.

XIX. *Baptizatus eſt Filius* DISPOTI, * *præſentibus multis Cardinalibus & quare.*

Locus *Diſpoti* inter Cardinales diſputatus.

Cum magnificus & illuſtris Dominus DISPOTVS multis occaſionibus quæſiviſſet per diverſa tempora, nunc a Papa, nunc a Cardinalibus, prout ſub Sixto alius DISPOTVS habuerat, nec potuerit affectum aſſequi, me ſemper dextro modo Cardinalibus, & Papæ hoc factum diſſuadente, ac etiam noviſſima cum de partibus Turcarum contra Chriſtianitatem rumor frequentiſſimus eſſet, ipſe DISPOTVS, aliquos caute miſit, qui dicerent, nunc tempus eſſe, quo Domino DISPOTO gratificandum eſſet omnibus modis tam in augmentatione proviſionum, quæ illi pro alimentis ſuæ familiæ conſignantur, quam etiam in aliis honoribus perſonæ ſuæ, ut eſſet, dari illi *locum & ſeſſionem cum Cardinalibus*, ſicut olim alteri DISPOTO, & neque hoc illi multum profuiſſet, me Cardinalibus, & ipſi Pontifici ſuadente in contrarium. Tandem cum nuper natus ſit illi filius, & hinc forte gratiam inveniret, ſi poſſet tanquam affinis ſpiritualis Papæ, & multorum Cardinalium gratiam ſuæ intentionis acquire-

* PIETRO ARETINO *nella Cortegiana Atto primo*, *Scena Nona: Ma chi è più nobile che 'l Signor Coſtantino, che fu Diſpoto de la Morea, e Principe di Macedonia, ed hom, è governator di Fano?*

Digitized by Google

quirere. Itaque invitavit Papam in compatrem, & X. Cardinales, qui omnes, ut audivi, acceptarunt, & quod plus eſt, præparavit ſolennitatem in hoc baptiſmo habendam. Sic olim ſub ALEXANDRO *Papa Sexto* factum fuit de filio nato ex Lucretia, filia ejusdem Papæ.

Cui baptiſmo interfuit totus Senatus, & Decanus Collegii baptizavit, cum pluribus triumphis, quam ſi Imperator Chriſtianorum fuiſſet baptizatus, quæ fuit mera amentia, ſecundum quod legi poteſt ex Annalibus JOANNIS BVRCHARDI, tunc *Magiſtri Ceremoniarum*. Has itaque Pompas cum præparaſſet nuper ipſe DESPOTVS in Eccleſia Sancti Marci, & me invitaſſet, ut ceremonias deſuper facerem, increpavi eum modeſte de auſu exceſſivo ſuperbiæ ſuæ, & me ire nolle reſpondi, ac etiam me prohibere, *ne quis Cardinalis perſonaliter accedat, ſed ſi quis velit, Prælatum ſuum, aut Secretarium ſuum eo deſtinet. Dixi etiam Papæ, ut nullo modo acceptet Compaternitatem, quia ipſe eſt pater generalis omnium.* Tandem hic DISPOTVS ſcivit facere cum Cardinalibus, ut decem ex eis perſonaliter acceſſerint ad Eccleſiam Sancti Marci, videlicet duo Epiſcopi, duo Diaconi, & quinque Presbyteri, inter quos fuit *Cardinalis* noſter de GRASSIS, quem ego ſum deriſurus ſequutus, imo reprehenſurus facilitatem Cardinalium, prout feci: nam cum ipſi me vocaſſent & invitaſſent, ut nomine omnium irem ad puerperam facto Baptiſmo, & congratularer cum ipſa de ſoſpitate & partu & baptiſmo, & compaternitate, acceptavi quidem commiſſionem, ſed damnavi facilitatem eorum in perſonaliter veniendo, cum ſatis fuiſſet, unicuique Cardinalium mittere Prælatum aut Capellanum. Nam *ex iſta tali & tanta facilitate comparendi in actibus levibus & publicis, attenuatur magna in parte Majeſtas Sacri Senatus;* quod verbum meum omnes in ſe reſpicientes approbarunt, ſicut mihi dixerunt, quod in primo Conſiſtorio hoc idem dicerem, audiente Papa, &

Cur Pontifex compater eſſe nequeat?

omnibus Cardinalibus, ut aliquam legem ſeu modum inter ſeſe ſuper hoc ordinarent.

Cæterum Baptiſmum fuit ſic: nam finita parva Miſſa, *Archiepiſcopus Nazarenus* paludatus in porta catechizavit infantem, quem Secretarius, tanquam Vicarius Cardinalis Sancti Marci, in ulnis portavit, inde ad Tribunam, ubi erant Cardinales ſedentes, & ibi in medio baptizavit cum Cardinalibus reſpondentibus per verbum, *volo & credo*, ac etiam puerum tangentibus, tanquam compatribus. Nomen infantis fuit JOANNES MARTINVS LEONHARDVS. Poſt diſceſſum Cardinalium, ego ſimul cum Reverendo Domino Epiſcopo *de* PORCARIIS acceſſimus ad puerperam, & juſſa ſumus executi ambo. Nam ego dixi Cardinalibus, bonum eſſe, ſi mihi adjunctos duos Prælatos, aut ſaltem unum darent, & viſum eſt, ſufficere unum, qui fuit de *Porcariis*.

XX. *Matutinæ in nocte nativitatis, abſente Papa.*

Matutinæ celebrantur abſente Papa.

Ego cum vidiſſem Papam graviter dolentem de frigore propter ventum aquilonarem, ei ſuaſi, ut in nocte non diſcederet, ſed ſe ipſum cuſtodiret, & viſus eſt aliqualiter acquieſcere conſilio meo, ſed dixit omnino velle venire, ſed tamen non venit ex cauſa prædicta: nam vicum quaſi invitum tenuerunt, & ſic factæ ſunt Matutinæ absque præſentia Papæ. Cardinales XVI. interfuerunt, & *Cardinalis* ARMELLINVS, ut audivi, fecit officium ridentibus omnibus, quia ſic ſe habuit, ut nunquam viſus ſit vidiſſe aliquod officium Divinum. Nam ita cantabat, ut nullam formam cantus ſervaverit. Et inchoatum eſt officium hora V. & finitum hora octava, vel circa.

XXI. *Miſſa in die Natalis.*

Mos benedicendi.

Papa venit, cum prius benedixiſſet *ſpatam* in camera ſua.

ſua. Ego dixi ſibi, non bene fuiſſe, quia Papa id facit in camera ſua, quando ipſe non venit ad Miſſam, aut quando non celebrat. Ipſe dixit ſe ſolitum benedicere in nocte. Reſpondi, non bene eſſe, *niſi quando aliquis Princeps eſt præſens, qui debeat cantare lectionem cum enſe nudo;* quia tunc Papa benedicit in nocte, alias Papa regulariter ſemper debet in die benedicere apud lectum paramenti, cum primum ipſe paratus eſt totaliter absque regno; & dixit Papa, *ut de cetero ſic faciam ſervari.*

Hora XVII. deſcendit proceſſionaliter, præſentibus XXV. Cardinalibus, & cantavit Miſſam ſolitis ceremoniis in omnibus, ut moris eſt. Cardinalis S. GEORGII fuit aſſiſtens: de ARAGONIA cantavit Evangelium, & Dominus MARCELLVS Epiſtolam, qui heri etiam intonavit antiphonas, ut omnes riſerint, quia nihil bene dixit.

In hac Miſſa Papa fecit quid ſingulare, & vere opus pientiſſimum. Nam cum ipſe habuerit ſemper coleram contra Cardinalem SANCTI GEORGII, quem, ut ſupra dixi, æſtate præterita prius privaverat, & poſtea reſtituerat ipſum absque ullo voto Conſiſtoriali, tamen hodie, cum intra Miſſam eſſet, & daturus eſſet pacem eidem Cardinali, qui erat Epiſcopus aſſiſtens, Papa tum prius clam & ſecrete paucis verbis allocutus eſt, nemine audiente, & ego vidi ipſum Papam præ nimia pietate fleviſſe, & Cardinalem neſcio quid in aure murmuraſſe, tandem ambo citiſſime conciliati ſunt, & Papa eum oſculatus eſt pace miſſali. Ego illico dixi Cardinali, *quod proſit ſibi de gratia Papæ ſibi reſtituta.* Ipſe quaſi flens dixit, *fuiſſe voluntatem DEI*, & nihil aliud mihi dixit; niſi, quod res illico divulgata eſt cum benedictione Pontificis, quem omnes mirum in modum laudarunt. Et finita eſt Miſſa in omnibus, ut alias, & hora fuit XXI. quando Papa reverſus eſt ad Palatium. Item dixi, verba Papæ neminem audiviſſe præter me, & Papa mandavit

Reconciliatio Pontificis cum Cardinale *S. Georgii.*

 mihi,

Digitized by Google

mihi, ut nihil dicerem, propterea illa non ſcripſi. Poſtea vero, cum Papa a ſe ipſo rem cum Oratoribus propalaſſet, videor poſſe illa etiam ego ſcribere. Nam hæc præciſe fuerunt, REVERENDISSIME DOMINE, *ut Dominatio Veſtra habeat veram pacem, plenam atque perfectam, tam in facie, quam in corde, ego vobis illam annuncio, & dono præſente hic Domino noſtro JESV CHRISTO in carne & ſanguine, cujus gratia ego remitto Dominationi Veſtræ Reverendisſimæ omnem injuriam, ſi quam ullo caſu aut tempore contra me feciſtis. Et verſa vice ſimiliter per ipſum Dominum noſtrum JESVM CHRISTVM hic præſentem rogo & peto, ut contra me omnem malum animum remittatis, ſi quem habetis.* Et cum hæc diceret, flevit, ut ſupra dixi. Cardinalis autem in aure ei reſpondit, & ego non potui intelligere perfecte omnia, quæ dixerit, licet pauca dixerit.

Finitum 1518.

DIARIUM CURIÆ ROMANÆ, DE ANNO MDXIX.

I. *Redintegratio Cardinalis* SANCTI GEORGII, *ad votum integraliter & Conſiſtorialiter.*

SIcut ſupra die Natalitio ſcripſi, Pontifex in datione oſculi pacis SANCTI GEORGII *Cardinali*, dixerat illa verba, per quæ ipſum redintegravit, & illi in totum pepercit ac reſtituit in votum active & paſſive. Tandem hac die *Lunæ X.* Januarii cum Conſiſtorium teneretur, idem *Reverendiſſimus Dominus Cardinalis*, ad Conſtitutionem venit, & a me petiit, an ego dixiſſem aliquid de ſe Papæ, aut aliquid de ſe a Papa habuiſſem in mandatis ſuper redintegratione realiter facienda. Et quia in veritate nihil habueram in mandatis, ipſe Cardinalis mihi caute indicavit, ut procurarem

rem effectum rei. Itaque ingreſſus ad Papam, cum adhuc ſe veſtiret, indicavi Cardinalem SANCTI GEORGII ad Conſiſtorium veniſſe, & *an propterea Sanctitas ſua cogitavit, aliquid ſuper eo dicere aut facere*, qui mihi dixit, *an aliquid ipſum oportet facere niſi ſignum crucis, & declarare conſiſtorialiter ipſum habere de cetero vocem activam, & paſſivam.* Reſpondi: hoc quidem Sanctitas poſſet facere: ſed recordetur, quod ſicut in Interdicto voti Conſiſtorialiter ſibi facto olim, voluit Notarium Cameræ eſſe præſentem, & coram teſtibus eſſe rogatum, ita etiam nunc in revocatione dicti Interdicti bonum eſſe, ſi idem vel alius Notarius Cameræ coram teſtibus adſit rogatus. Et Papa mihi dixit, quod hoc in principio Conſiſtorii faciet coram Notario, ſed coram Vice-Cancellario, & Conſiſtorialiter, ac etiam Bullam deſuper mandaret expediri, quod propoſitum ſuum voluit per me intimari eidem Cardinali, qui poſtea ingreſſo Papa Conſiſtorium oſculatus eſt, egit gratias & acceptavit.

II. *Pro* MAXIMILIANO *Imperatore electo mortuo, Miſſa exequialis in Capella Papæ.*

Hac die *XXIII. Januarii*, cum in Conſiſtorio Patres ſederent, venerunt nova de MAXIMILIANO, electo Imperatore mortuo die XI. menſis, hora quaſi tertia noctis. Et Papa a me quæſivit, *quis modus ſervandus eſſet in exequiali memoria ejus ad DEum.* Reſpondi, me hanc materiam notaſſe ac diligenter examinaſſe, quid & quantum antiqui Patres obſervaverint ad honorandam memoriam tanti viri, qui ſimul cum Papa ſunt duo Luminaria Mundi: & ſic videlicet, qui antiqui Pontifices faciebant novendiales exequias in Capella Papali, ac primam & nonam Miſſam cantabant duo Presbyteri Cardinales præſente Papa, & toto reliquo Senatu, abſque tamen ſermone, qui omnino nullus fiebat: imo cum aliquando præparatus per neſcio quem Generalem ordinis Prædi-

Ceremoniæ in exequiis Imperatoriis obſervandæ.

An oratio funebris haberi poſſit in Capella Pontificia.

Prædicatorum fuiſſet, qui ob particularem ſervitutem, quam cum illo defuncto Imperatore habuerat, præparaſſet ſe ad orandum, omnino rejectus fuit, nec permiſſus eſt orare, præſertim in Capella ac conſpectu Papæ, & Senatus; quod tamen non probaretur in Miſſa, ſi Eccleſia nationi dicata celebraretur, prout hodie etiam eſt Eccleſia, quæ *Hoſpitale Alemannorum* vocatur. Itaque abſque ſermone fiebant duæ Miſſæ, in prima, & nona die Septembris, verum mediis diebus, per aliquem Prælatum Palatinum de natione defuncti, quæ antiquiſſima fuit obſervantia. Verum in generali ceremoniarum reformatione ſub INNOCENTIO *Papa octavo* modo facta, hoc capitulum ſimul cum aliis reformatum ac correctum fuit; videlicet, ut unica ſola Miſſa per Prælatum in Capella Palatina fieret præſente Pontifice, & abſolvente, ſic etiam in anniverſariis defuncti Pontificis fieri præſcriptum eſt, prout in ipſo ceremoniarum Volumine plenius continetur. Et ſubinde Cardinalibus Papam incitantibus, ut me interrogaret, & quod conſilium ſive judicium meum quæreret, quid ego cenſerem in caſu currenti reſpondi, quod cum Sanctitas ſua, non obſtante lege in Ceremoniali Volumine data, ſuper Miſsis exequialibus ſtatuerit, quod non amplius pro Pontifice defuncto Miſſa exequialis in Capella cantetur per Prælatum quantumcunque Oratorem, ſed per Cardinalem, ac etiam quod anniverſarium defunctorum Cardinalium fiat per Cardinalem, & non per Prælatum, nunc vero per Cardinalem Miſſa cantetur, ut ſupra plene notavi, ſic etiam mihi videretur, & cenſerem bene factum ac pie, & quaſi fraterne, *ut ex quo Papa & Imperator ſunt duo luminaria Mundi, & pro Papa Miſſa fiat per Cardinalem, quod etiam pro Imperatore ſimiliter quaſi pro fratre fieret Miſſa per Cardinalem, & non per Prælatum*, attento nunc, quod Cardinalis de COLVMNA ſponte ſe offert, ut inter loquendum audivi, ad ipſam Miſſam celebrandam, etiam ut dixit ad duas, quatenus placeret Papæ, anti-

An Miſſa a Cardinali haberi debeat?

Digitized by Google

antiquam & veterem conſuetudinem per me jam dictam ſervare, quæ ſententia ſive cenſura mea ſic Pontifici placuit, ut eam absque conſultatione Cardinalium, ut ſemper ſolet, abſolute approbaverit, & acceptaverit; illico mihi imponens, ut ſic omnino, ſicut dixeram, executionem facerem, ac Cardinali prædicto de COLVMNA indicerem ex parte Sanctitatis ſuæ, ut ſe præſente præpararet ſe, & cantet. Omitto, ut aliqui Cardinales, ut videbam, ſe diſpoſuerunt ad proponendum, ut non alias quam in Ceremoniali contemtum fieret, videlicet per Prælatum, attento, ut inter labra dicebant, quod *non Imperator fuerat, ſed tantum Rex Romanorum, & diu ac ſemper cum iſto titulo eſſe voluit, non curans Imperatoris titulum habere, ne ſedi Apoſtolicæ in aliquo teneretur, tanquam parum ejus amicus, & parum de illa curans habere coronam a Pontifice, quem ſemper parum curavit, ac ſæpe deſpexit: imo etiam nunc in hoc inſtanti quærebat coronari, ſed volebat, quod Papa iret illi obviam usque ad Tridentum, ſicut Papa Regi Franciæ obviavit perſonaliter usque ad Bononiam.*

Et hæc materia vera eſt, quoniam Papa mihi eam ſignificaverat per multos jam effluxos dies; licet caute hoc mihi dixit, ut ſtuderem, quid & qualiter fieri cum honore ſuæ Sanctitatis, & Sedis Apoſtolicæ, quod omnino prima facie, & deinde pluries conſultiſſime diſſuaſi, quod id fieret non bene, neque poſſet, aut deberet, tum maxime, quod iſte actus coronandi Imperatorem non alibi fieri ſolitus eſt, quam Romæ, imo, ſi Papa in eadem provincia eſſet cum Imperatore, etiam in eadem civitate aut Caſtro Alemanniæ, ubi reſidet Imperator, vellet coronari, quod Papa mitteret Imperatorem ad urbem Romam, & ſimul cum eo duos Legatos, aut ſaltem unicum Epiſcopum, Cardinalem Legatum, qui ipſum Romæ, Romæ inquam, coronaret, & non alibi, **An coronatio in Imperatorem neceſſario Romæ fieri debeat?**

 quia

Digitized by Google

quia alibi non poteſt, nec unquam lectum, aut intellectum, aut factum alias, niſi de quodam, qui coëgit Papam, ut ipſum coronaret in Galliis, ſed poſtea reverſus Papa in urbem Romam, & Imperator reverſus in gratiam Papæ repetiit, & habuit coronam Imperialem Romæ, & non alibi, & prima coronatio tanquam nulla irritata fuit, ut in legendis hiſtoriisque plenius continetur, ad quas me remitto. Sed hæc incidenter, & extra propoſitum dicta ſunt.

Ceterum, ut ſupra dixi, Papa mihi mandavit, ut Miſſam hanc expediri facerem, die, qua ſupra. Tamen poſtea Papa mihi mandavit, ut nihil facerem, niſi aliud mihi mandaret. Hoc autem factum fuit ad requiſitionem & preces Oratoris *Regis Hiſpaniæ* juvenis, & Nepotis Imperatoris, ac etiam *Oratoris Regis Portugalliæ*, qui rogarunt Papam, ut nihil faceret, de iſtis exequiis, donec, & quouſque ipſi ſcripſerint, & reſponſum habuiſſent, an *aliquid pluſculum fieri juberent Reges prædicti in Capella Papali pro ipſo Imperatore, quam pro aliis Regibus fieri ſolitum ſit*, quibus Papa credens bene facere indulſit. Et quia publice dicebatur ipſum Imperatorem non eſſe mortuum, quæſivi a Papa, an id verum eſſet, quia malum fuiſſet publicare exequias, ſi adhuc viveret. Et Papa ſubridens dixit, levitatem Oratorum eſſe, quibus tamen complacere voluit, expectando aliquos dies, prout fecit. Ego etiam ſubjunxi Papæ, quod Capella ſuæ Sanctitatis nunquam aliter facere debet, verum *ſi homines de natione voluerint pompam facere illam, faciant in Eccleſia nationi dicata.* Et Papa mihi juſſit, ut hæc dicerem Oratoribus prædictis, ac etiam Oratori POPOLO, qui ſe agit pro Oratore Cæſareo, quod feci; & ipſi cum lætitia acceptarunt meum conſilium, & obtulerunt ſe omnino, pompam maximam velle facere.

Exequiarum ſolennitas.

Itaque hac die, quæ eſt *Veneris XI. Februarii*, facta eſt Miſſa exequialis in Capella Papæ pro anima MAXIMILIANI, *electi Imperatoris, per Cardinalem de* COLVMNA, more ſolito

ſolito, præſente Papa & Cardinalibus XXV. Ex Oratoribus Laicis ſolus Venetus interfuit: Orator *Polonus*, Epiſcopus Plocenſis, interfuit veſtitus de nigro. In fine Papa abſolvit more ſolito, & alia ut alias.

III. *Electio novi Regis Romanorum, & Imperatoris.*

Tandem hac *die Martis*, *quinta Julii*, venerunt certa nova de electione novi Imperatoris, celebrata *die vigeſima octava* præteriti menſis. Qui Imperator eſt CAROLVS, *Rex Hiſpaniarum*, nepos MAXIMILIANI defuncti nuper Imperatoris, pro qua novitate multa per homines de natione Hiſpanica facta ſunt ſigna lætitiæ in particulari. Verum cum Papa a multis ſuaderetur, ut idem faceret pro mutua gratulatione, ego diſſuaſi, non quia non ſit lætus, aut lætus eſſe debeat Papa de electo novo Imperatore, qui ſit futurus *Advocatus Eccleſiæ Romanæ;* ſed *quia non conſuevit Papa facere aliquod ſignum lætitiæ publicæ aut privatæ, niſi prius novum habeat ab ipſomet novo electo Imperatore de tali electione facta, quam ipſe electus Imperator ſolet & tenetur ſignificare Papæ, & univerſo Senatui Cardinalium, ſicut etiam quiſque novus Papa ſignificare ſolet Imperatori electionem ad Papatum.* Et iſto caſu Papa & populus Romanus tunc facit ſigna & argumenta lætitiæ, quanta poteſt, & qualia vult. Quæ mea cenſura ſic Papæ & Cardinalibus placuit, ut omnino, quod dixi, ſervare omnes ſtatuerunt, & fecerunt. Verum aliqui Cardinales Hiſpani petierunt, ſe poſſe privatam lætitiam oſtentare, quod Papa eis conceſſit.

Carolus eligitur Rex Romanorum.

Imperator tenetur Pontifici notam facere electionem ſuam.

IV. *De oſtentatione lætitiæ per Papam & Romanam Curiam, facta in Creatione novi Imperatoris.*

Sicut ſupra dixi, cum primo veniſſent nova ad diverſos

Digitized by Google

ſemper Oratores & Cardinales in Romana Curia exiſtentes, qui Pontifici rem ſignificarunt. Papa, ut erat cupidus lætitiæ declarandæ in populo, a me coram ſe, & univerſo Senatu convocato, petiit, quid per ſuam Sanctitatem ac Collegium commode & congrue fieri poſſet, & deberet. Quæſivi, *an ſua Sanctitas certa nova de hoc haberet.* Reſpondit, *rem certam eſſe, licet ipſe litteras non habuerit.* Quæſivi iterum: *an ipſe electus Rex Romanorum, ſic enim appellari debet, miſerit aliquod mandatum ſive inſtrumentum ſuis Oratoribus, ut hoc ſuæ Sanctitati ſignificent.* Papa dixit, *quod non; licet ipſi litteras ab eodem electo deſuper habuerint.* ſubjunxit Papa, a me quærens, *quare ego talia quærerem tam diſtincte.* Reſpondi, audientibus omnibus Cardinalibus, *Reverendiſſimos Dominos non admirari debere, propterea quia iſte actus lætitiæ per Papam exhibendæ reſpective agendus eſt, ſicut legimus ſub* NICOLAO V. *factum fuiſſe. Nam cum* FRIDERICVS, *tunc electus Romanorum Rex, poſtea Imperator, miſiſſet nuntios ad Romanam Curiam, ſignificantes electionem de ſe in Regem Romanorum factam, ſubjunxit, neſcio quæ, verba perplexa, per quæ quodammodo ipſi Papæ* NICOLAO *mordacia verba per Papam contra ſe in ipſa electione de ſe facta habita exprobrabat, quod eſſet factus Imperator, & quod cognoſceret de Juribus Imperii, & an, quæ Papatus uſurpabat tot ſeculis, ſic tenere, & occupare, de jure poſſet, & deberet.* Quæ *verba per Oratores prædictos ſic divulgata per urbem fuere, ut non ſolum Papa non fecerit aliqua ſigna lætitiæ, ſed ægre ferebat ab his, qui ſigna lætitiæ, aut publice, aut ſecrete faciebant. Et cum poſtea ſucceſſu temporis odia mutua inter Papam & Romanum Regem* FREDERICVM *Imperatorem ſic creverint, ut quaſi aliquo ſcandalo dubitatum manifeſte, aut ſaltem veriſimiliter fuerit, tandem res compoſita eſt, & facti ſunt amici Papa & Imperator, & compoſitum inter eos præciſe fuit, ut Imperator ſignificaret, Papæ electionem de ſe factam, & quod ipſe ratam habeat.* Et quia

Digitized by Google

quia Rex Romanorum, id eſt, Imperator, ſolet, & debet eſſe Advocatus, & defenſor Eccleſiæ Romanæ, Papatus ac Papæ, ut Jeſu Chriſti Vicarii, & ſucceſſoris pro tempore exiſtentis; propterea ipſe novus Electus per ſuas litteras ſignificans prædicta Papæ, & ſubdit, quod intendit, promittit & offert ſe perpetuo facturum pro poſſe ſuo, omnia, quæ DEI & Eccleſiæ Romanæ, ac Sanctitatis ſuæ honoris, & commodi eſſent, ac perpetuum fore earundem defenſorem atque Advocatum. Quo caſu Papa habens iſtiusmodi litteras ab Imperatore, faciet ſigna lætitiæ in urbe Roma tam per ſe ipſum, quam per ſacrum Collegium, & univerſum Populum Romanum.

Itaque hac conciliatione & compoſitione habita, ſervatum eſt ad unguem per Papam & Cardinales ac Populum, & curiam Romanam, videlicet habitis litteris ab Imperatore, & non prius. Si igitur Sanctitas ſua vult hoc idem ſervare, ego multum laudarem, quia licet iſte quidem *electus Romanorum Rex*, *futurus Imperator ſit delicatiſſimus Juvenis*, *& totus Eccleſiaſticus*, id eſt, bene in diſciplinis Eccleſiæ nutritus & imbutus, tamen poſſet eſſe, quod mutaret animum, ſi perſiſteret in arbitrio ſuo, id eſt, niſi promittat Papæ, ſe futurum Advocatum & defenſorem Eccleſiæ Romanæ; forſan non volet eſſe Advocatus Eccleſiæ; forſan acceptavit electionem de ſe factam ſub aliqua conditione, puta quia vult experiri, *de jure an patrimonium Petri juſte per Romanos Pontifices poſſideatur.* Item ſub conditione aliqua alia acceptavit, quia forſan vult venire contra urbem Romanam armata manu, aut quia non tenet Papam pro Vicario Jeſu Chriſti, & ſimilibus caſibus. Ergo mihi videretur, quod ſua Sanctitas alloqueretur Oratores iſtos, & perſuaderet eis, ut quam citiſſime poſſent, ſcriberent hæc, & quæ deſuper placerent ſuæ Sanctitati, & Sacro Collegio, ad ipſum electum, rogantes, ut laudabilem conſuetudinem, & introductionem hanc honeſtam

Digitized by Google

Cardinales Imperatori obitum Pontificis nunciare ſolent.

ſervare velit, videlicet ſicut mortuo Pontifice ſacrum Collegium ſignificat illo Imperatori mortem Pontificis, & propterea quærunt eum, ut in caſu neceſſitatis, ſi qua neceſſitas forſan interveniat in tali vacatione Papatus, quod velit officium ſuum facere, id eſt, protegere ac defendere Eccleſiam Romanam, quo caſu licet Imperator forſan prius ab aliis fide dignis ſimilem notitiam de obitu Papæ habuerit, non tamen facit ſigna mœſtitiæ, priusquam habuerit tales litteras a Sacro Senatu. Similiter & creato novo Pontifice, Imperator licet habuerit aliunde forſan etiam ab aliquo Cardinali nova certa de creato Pontifice, & publice, ac palam talis fama pro re certa habita prius fuerit, & ſigna lætitiæ ab amicis creati Pontificis facta publice fuerint, non tamen Imperator aliquod ſignum lætitiæ facit nec in publico, nec in ſecreto, niſi poſtquam ipſemet Papa per Maſſerium ſuum cum litteris plumbatis ſignificat. Nam quisque Papa hoc facit, & tunc Imperator, & non prius, facit ſigna lætitiæ & gaudii conſueta, & plura pro qualitate conceptæ lætitiæ ex particulari amicitia; concluſive itaque ego ſentirem ac cenſerem, quod Papa hoc idem Oratoribus indicaret, ut ſcriberent hæc omnia Imperatori novo electo, ut ſcribat per ſuas litteras Papæ, & Sacro Collegio electionem de ſe factam, & quod ſe offert, & commendat ſuæ Sanctitati. Quo caſu ſua Sanctitas tunc poterit ſigna lætitiæ, quæ, qualia ac quanta velit, exhibere, & non prius ex ratione prædicta.

Papa meo, ut ſupra, conſilio ſic acquievit, ut mihi ſit viſus, ita de meo conſilio lætari, quod nihil ſupra, & vidi ipſum cum Cardinalibus, non ſolum meum judicium probare, ſed me multum commendare. Quod etiam poſtea ab ipſismet Oratoribus Hiſpanis intellexi, qui etiam valde opinionem & ſuaſionem meam laudarunt, & ſecuti ſunt, aut ſcripſerunt electo Romanorum Regi, qui tandem iſta *die Lunæ XVIII. Julii* præſentarunt Papæ literas, ab Imperatore deſti-

Digitized by Google

deſtinatas, in omnibus, & per omnia formatas, ut ego diſpoſueram.

Et Papa ipſa die a me petiit, quid modo ſentirem, laudans iterum meum conſilium, quod optimum ſibi viſum fuit, & reſpondi ſic videlicet: Sanctiſſimus Dominus noſter Papa omnia lætitiæ argumenta exhibeat, ſe contentum eſſe demonſtrans de electione novi Regis Romanorum, ac Imperatoris futuri, tam in ſuo Palatio, & toto Vaticano, ac in Caſtro Sancti Angeli, quam in univerſa urbe Roma, hodierno ſero, & craſtino cum ſclopis, ignibus, vaporibus, girandulis, ſonis & tympanis, ac bombardis. Baſilica Sancti Petri in luminaribus & campanarum ſonitu feſtivo idem faciat, & ſimiliter Hoſpitale Sancti Spiritus in Saxia; ſed præcipue Palatium Papæ in Vaticano, aut in omnibus, feſtivitates Caſtri Sancti Angeli adæquet, aut ſuperet.

Signa lætitiæ, quæ Pontifex de electione Imperatoris novi edere tenetur.

Omnes urbis Eccleſiæ, inchoando a Baſilica Lateranenſi, ſimiliter lætitiam proferant in omni ſorte, tam in campanis, quam in hymnis, & gratiarum actionibus apud DEum & mundum.

Omnes urbis Principes, Barones, Cives, Magiſtratus, tam publice, quam privace lætentur, per omnia lætitiæ argumenta de novo Rege Romanorum creato, & Imperatore futuro, Campanæ Capitolii ſimile officium feſtiviter faciant, Senator aliquos carceratos liberet. Et idem ab omni curia urbis pro feſtivitate fiat.

Mercatores, ex omni natione in urbe commorantes, invitentur, & mandetur, ut Collegium feſtificent, ac privatim exultent, ſicut & quantum viderint Caſtrum Sancti Angeli facere.

Per publica bannimenta, omnibus Collegiis, artificibus, operariis, mercatoribus, & mercenariis feſtum hoc celebrari mandetur, ſub pœna arbitraria, & ab opere ſervili hoc biduo ceſſetur, ac feſtivitatibus publicis intendatur.

Sua

Digitized by Google

Sua Sanctitas illico Reverendiſſimis omnibus Dominis Cardinalibus ad ſe convocatis electionem annunciet, cum exultatione manifeſta per omnes fienda, ipſosque etiam collegiatim & privatim invitet, ad omnem lætitiæ exhibitionem peragendam tam in hodierno, quam craſtino ſero.

Sed & gratias agant DEO de miti Rege, & dulci Principe electo Romanorum Imperatore futuro, & Miſſa per aliquem inſignem Prælatum de natione Hiſpano, aut ſaltim ſubdito Regno ipſius Regis Romanorum, cantetur quam ſolenniſſime in Capella Palatii, præſente ſua Sanctitate, & omnibus Cardinalibus rubeo colore indutis, ac omnibus aliis lætitiæ ſignis apparentibus. Miſſa autem ſit de Virgine Maria, cum commemoratione de novo Imperatore, quæ oratio incipit: *DEus regnorum omnium, & maxime Romani Protector Imperii*, & alia, pro Eccleſia videlicet: *Eccleſiæ tuæ, quæſumus Domine, preces placatus admitte.*

Intimetur Vicario Papæ in urbe, ut omnes Baſilicas & Eccleſias urbis reſpective idem fieri faciant ſub pœna, tam in ſimili celebratione, quam in campanarum ſonitu, & illuminationibus, & ſplendoribus nocturnis, & feſtivitatibus diurnis, nulla excepta, quantumcunque privilegiata.

Mandetur Senatori, Conſervatoribus, Capitibus regionum ac Mareſcallis omnium Curiarum, & Tribunalium urbis, ut ceſſent a foris eorum. Sed & ſigna lætitiæ faciant, ac fieri mandent ab omnibus ſub pœnis. Et ſimiliter mandetur omnibus officialibus de *buſſula*, ut idem in omnibus & per omnia faciant.

Et ſuper præmiſſis deputentur, ſimul cum Gubernatore, aliqui officiales Superintendentes, ut omnia quam lætiſſime fiant, quoniam ſic eſt voluntas Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ.

Hoc

Digitized by Google

Hoc meum memoriale cum Pontifici dediſſem, ita placuit, ut illico omnia ſervari mandaret; & pro Cardinalibus omnibus miſit, & Collegium deſuper habentes omnia probarunt. Veruntamen Miſſam non per Prælatum, ſed per Cardinalem placuit celebrari, videlicet per *Cardinalem* de COLVMNA. Et ea Miſſa fuit de *Spiritu Sancto*, ſic volente ac petente Cardinale Sanctæ Crucis Hiſpano. Cum illi voluiſſem dicere, non eſſe ad propoſitum, *ut Spiritus Sanctus nunc invocetur, cum jam effectum ſuum fuerit impertitus, ſed potius regratiandus*, Papa in me ſubridens dixit, ut acquieſcerem, quoniam ſic volebat in feſtivitate illi Cardinali, & omnibus complacere. Et ſic dicta *die Lunæ XVIII. Julii* habita eſt Capella Papalis, & Miſſa inſuper feſtiviſſima celebrata, & omnia, ut ſupra in ſchedula mea Pontifici data fuerunt, diligentiſſime ſervata, ita, ut omnes, & qui pro electo Imperatore novo agunt, mihi ſummas gratias egerunt etiam cum propina.

V. *Reditus Cardinalis de Campeggio ex Legatione ſua Anglicana, ad Conſiſtorium publicum.*

Die Lunæ, XXVIII. Novembris, Reverendisſimus *Dominus Cardinalis* de CAMPEGGIO ex ſua Anglicana Legatione reverſus, pridie aut nudius tertius, quo tempore in domibus ſuis ſecrete latuit, hodie ſummo mane ad ſanctam Mariam de Populo, ut fieri per omnia ſolitum eſt, & ibi a Collegio ſacro receptus eſt, & viſitatus, ac inde cum ſolitis ceremoniis conductus ad publicum Conſiſtorium, in quod Papa venit, & ſervatis ſervandis, ac duobus propoſitionibus per Advocatos factis, ipſe Legatus ingreſſus eſt, & admiſſus a Papa cum hilari facie, & in fine familia Legati oſculata eſt pedem Papæ. Finito Conſiſtorio, Collegium duxit Legatum ad ædes ſuas, ut moris eſt, licet aliquibus videbatur,

Ritus in recipiendis Legatis redeuntibus.

 ut

ut ipſe Legatus debuiſſet eligere in Palatio pro iſto die, & pro iſto actu, aliquam manſionem, donec Collegium ex Camera paramenti ad ipſam manſionem eum conduxiſſet, non autem per urbem equitaſſet, ſicut dicebat, fuiſſe factum in reditu duorum Legatorum, ultimo loco, id eſt, hac æſtate, ſicut ſupra, aſſociatorum & conductorum. Sed ego non volui, quia illud fuit propter immenſos, & inſupportabiles calores & æſtus, quod nunc ceſſat, & Papa approbavit dictum meum. Deinde ipſe Legatus viſitavit Papam una die, & alia viſitavit Cardinales, incipiens a Decano Collegii, & inde per ſuam commoditatem illa die & alia, & poſtea Palatinos.

VI. *Mors ſororis Papæ, videlicet Dominæ* MAGDALENAE, *Matris Cardinalis Cibo.*

Die *Veneris 2. Decembris* in crepuſculo mortua eſt ſoror Papæ, *Donna* MAGDALENA, Mater Cardinalis CIBO, & altera die ſepulta, ſimpliciter quidem, quod fuit mirum mihi & aliis. Quin etiam Papa nullum mœſtitiæ ſignum præbuit, prout debuit. Imo Sabbatho, cum adhuc ipſa eſſet inſepulta, tenuit ſignaturam publicam in majorem omnium admirationem, ut fuit, ut Papa diſtraheretur a cordolio luctus tamen.

VII. *Miſſa in Vigilia Nativitatis celebrata.*

In Vigilia Nativitatis, cum Papa ſtatuiſſet Miſſam celebrare in hoc feſto Nativitatis, & jam omnia de ejusdem mandato præparata fuiſſent, tamen non celebravit, excuſans ſe propter bella, quibus nunc incipit implicari. Et ſic Veſperæ fuerunt ſimpliciter, ut alias in Sancto Petro, ad quas Papa venit, delatus in ſede, ut alias. Cardinales fuerunt tot, ita, ut vix in ſedibus ſuis ſedere potuiſſent.

VIII.

VIII. *Qui Barones præcedente Papa ad Capellam inter Papam & Collegium ire debeant, aut ubi.*

Et quoniam ob benignitatem Sanctisſimi Domini noſtri tot & tam multi Equites, Barones, Nobiles ac Domicelli ante Papam incedere usque modo ſoliti, ut *Cardinales nimis a perſona Papæ diſtare cogerentur*, ego prius habito verbo cum Papa, excluſi dictos Barones a conſpectu Papæ. Et cum ipſi quaſi ægre ferrent, non diſcedere: nam juſſi Maſſetiis, ut illos omnes ante crucem, & ſic ante Collegium præcedere facerent. Sed cum adhuc obedire non vellent juſſi Cardinalibus, ut remanerent, & non præcederent, quia eſſet eorum dedecus talibus ſubeſſe. Ipſi Reverendisſimi Domini Cardinales multum contenti remanſerunt inter viam, & quidem ſic manſerunt, donec Papa hanc cauſam intelligens commendavit factum, & ſic, ut ſervarem de cætero, juſſit mihi & Gubernatori, ac Capitaneo. Et ſic ſolus Capitaneus ante Papam proceſſit cum ſuis ad latera procedentibus, non tamen per mediam viam, ſed per latera, & *ſi adſint aliqui magni Principes, qui alioquin ſoleant ſtare ad latus ſolii Papalis, ipſi ſimul cum Capitaneo veniant & vadant, ac in loco Capellæ ſtent aut ſedeant, prout ſoliti ſunt.* Et quia aliqui in gradibus Sancti Petri ad dexteram ſolii ſe locaverant, propria autoritate, nos noſtra autoritate eos removimus cum vituperio ſuo; imo cum ſuperveniſſet quidam *Nobilis de Francia* totus auratus, putans, ſe debere ac poſſe ſedere apud Papam, non voluimus eum audire, nec admittere, quod videns Papa probavit, & voluit eum recipi mandare, niſi ego dixiſſem. Et volui dicere pro illa vice aliquid, ut alii præſumtuoſi ſcirent, quid de cætero acturi eſſemus de ipſis.

Ordo proceſſus ſolennis.

Locus Principum præſentium.

Digitized by Google

IX. *In nocte Natalitia Matutinæ abſente Papa, & non celebrante in Craſtino, & in quo habitu veniat ad eos, & quid ageret.*

Pridie Papa a me petiit, an ipſo nolente in die *Natalis* celebrare, teneatur ad Matutinas noctis venire, & in quo habitu, & quid cantare, aut quid facere, vel non facere ipſe poſſit, & debeat, vel an remanere in ſuis Cameris debeat. Reſpondi, in Ceremonialibus noſtris hoc non contineri tanquam præceptum, ſed quod ſatis manifeſtum eſt, ipſum non debere ad matutinas venire, quia officium Veſperale, & Matutinale ac Miſſale ſolenne eſſe debeat, & per Papam cantari, nam Cardinales cum ipſo cantare debeant antiphona in Veſperis, & matutinis, etiam lectiones, ſic etiam in Miſſa Evangelium etiamſi Papa præſens eſt Matutinis, & officium faciat, neceſſe eſt, quod Cardinales cantent lectiones, alias ſequeretur, quod Cantores cantarent illas, & Papa cantaret ultimam, quod non convenit, ut Papa chorum habeat cum cantoribus, ſed cum Cardinalibus; quæ cenſura optime a prædeceſſoribus ſemper fuit ſic obſervata a CALIXTO & EVGENIO, usque ad noſtrum tempus. Si tamen Papa ex devotione velit intereſſe, quod utique poteſt; ſed ſit in habitu ſimplici, id eſt ſine cappa, ſed cum ſola ſtola ſuper capucino, & ſedens non in ſolio, ſed in ſede camerali & ſimplici, quo caſu celebraturus Miſſam, totum faciat officium matutinale, cantans ipſam lectionem ultimam. Quo audito, Papa acquievit, & ſic non venit iſta nocte ad Matutinas, quæ habitæ ſunt in parva capella, præſentibus decem Cardinalibus & paucis Prælatis, qui tamen venerunt, *ut potius riderent ex malo cantu celebrantis, quam ut rei divinæ intereſſent.* Ipſe celebrans fuit Cardinalis Armellinus.

X. *In*

Digitized by Google

X. *In die Natalis Miſſa Major præſente Papa non celebrante.*

In die Natalis Papa mihi prius commiſerat, ut eam Miſſam alicui darem, qui libenter eſſet celebraturus, cum ex quatuor Cardinalibus Epiſcopis præſentibus unus, id eſt, primus, eſſet ſemiinfirmus, ſecundus in die omnium ſanctorum celebravit, tertius pridie ex peregrinatione Pariſienſi redierit ſatis feſſus, quartus vix ipſa die in Vrbem ſit ingreſſurus, ex peregrinatione Januenſi. Et cum dixiſſem hanc mihi curam admitteret, quia confidebam, quod FARNESIVS libenter quaſi glorioſus id faceret, remanſit contentus. Et ſic hortatus ſum ipſum Cardinalem FARNESIVM, ut celebraret primam ſuam Miſſam in hac die Natalis, quæ eſt prima Papalis, & ſic fecit, & omnia placuerunt Papæ. Et Papa benedixit *ſpatam* in Camera ſua. Et cum peterem poſt Miſſam, an vellet illam hodie donare alicui, qui conducens eſſet ille a familia Palatina, & ab Oratoribus, dixit adhuc habere illam de anno præterito apud ſe, & velle illam donare *novo Imperatori* in publico Conſiſtorio.

Cardinalis *Farneſius* miſſam celebrat.

Conſecratio & donatio ſpathæ benedictæ.

XI. *In Vigilia Circumciſionis & mandante Papa, quod nullus tanquam Baro ad gradus ſolii accedat, aut ſtet.*

Fuerunt Veſperæ Papales, ut alias in Capella præſente Papa cum Cardinalibus decem, & mandavit Gubernatori, & Capitaneo Guardiæ, ut nullos ingredi faciant ad gradus ſolii, nec aliquos ante ſe tanquam Barones ante ſe euntem, & redeuntem, niſi quos ego, & Magiſter Ceremoniarum judicaverint, quoniam non ſolum verecundia eſt, quod unusquiſque pro arbitrio ſuo antecedat Papam ſupra Cardinales, condoluerunt de ſubmiſſione ſua ſub illis, & illa die multi repulſi fuerunt, & per me publicatum ibi, quod de cetero nullus accedat, niſi de expreſſo Papæ mandato.

Barones a gradu ſolii pontificalis removentur.

DIARIUM CURIÆ ROMANÆ, DE ANNO MDXX.

I. *Miſſa in hac die novi anni.*

Cardinalis de *Graſſis* Miſſam celebrat.

HOdie celebravit Cardinalis de GRASSIS, frater meus, licet tarde inchoaverit propter tarditatem Papæ: nam Papa ex dolore ſuarum hæmorrhoidum eſt diu tardus, & cum ego dicerem, ſuadens ut remaneret, dixit ſe velle audire ſermonem hujus fratris, qui ſibi ſemper placuit: ſed quia requiſitus fuit, ut militem creet, quod differret in Epiphania. Sermo ipſe ſatis doctus & bonus fuit, ſed ipſe Frater ſancti Dominici nomine - - - quaſi arroganter, & ſuperbe propter doctrinam ſuam diſſeruit.

II. *In Vigilia & die Epiphaniæ.*

Papa fiſtula laborat.

In *Vigilia Epiphaniæ* Papa non venit ad Veſperas propter dolorem fiſtulæ, qua continue laborabat in natibus, & nihil novi evenit, niſi quod craſtinam Miſſam celebraturus, videlicet Cardinalis *Sanctæ Crucis* hodie non venit, ſed in Capella ipſa celebravit Cardinalis FARNESIVS, Epiſcopus *Tuſculanus* ſatis bene, *cum ſit novus*.

III. *In die Epiphaniæ.*

Hodie Papa ſemiſanus de ſua fiſtula venit ad Baſilicam, & delatus in ſede, ubi *Cardinalis Sanctæ* Crucis, licet pluries recuſaverit propter catharrum, celebravit, ſermonem fecit *Prior ſervorum* ſatis doctum & elegantem, ac non nimis prolixum, ut multi ſolent.

IV. *Baptizatur Orator infidelis Regis Numidarum.*

Legatus Regis FeciarumChriſtianam Reli-

Cum menſibus elapſis capta fuiſſet in mari a noſtra claſſe, claſſis - - - venientium a Magno Turca, etiam in

in ea captus fuiſſet Orator *Regis* FECIARVM, velut verius appellatur, *Siphacis*. Nam ſicut nos Regem noſtrum Romanorum, Cæſarem dicimus, ſic ipſi Regem Numidarum Siphacem appellant, ſed corrupto vocabulo communiter Pheciarum dicunt. Itaque, cum iſte Orator multo tempore ſtetiſſet in Caſtello Sancti Angeli, tandem *vel ſicut prudens, ut liberetur a carceribus, vel ut vero inſtinctu ductus, dixit ſe optare fieri Chriſtianum.* Pro qua re Papa eum in primo quæri fecit, qua de cauſa dimiſſurus eſſet fidem ſuam, & alienam deſideraret, quam non cognoſceret? Ipſe ut vere doctus, nam in lingva ſua peritiſſimus eſſe dicitur in Philoſophia, & Medicinis, prout multi Philoſophi & Medici cum eo diſputarunt, & ipſe textus de Arabica lingva in multis male interpretatos, & inaniter & falſe, correxit cum laude univerſali. Itaque cum iſte Orator diceret, me examinante ſimul, cum aliis duobus Epiſcopis, quibus Papa examen hoc commiſit, fidem Mauritaniæ non habere velle, propter varietatem, & confuſionem ſuam, ac in ſe ipſam multipliciter contrariam, quia Mahumetus, ut potius vir deſperatus, illam fidem ſeu ſectam introduxit, in deſpectum Chriſti & Chriſtianorum, male contentus de ipſo & ipſis ſic confuſam, & dicebat multas confuſiones ejus legis, quæ propterea non ſibi placebat. Sed cum intellexerit aliqua capita de noſtra lege Chriſtiana, in tantum ſibi omnia placuerunt, ut omnino illam deſideret habere. Verum eſt, quod in aliquibus dubitabat, tanquam parum introductus, & cum ſuper iſtis, de quibus dubitabat, a noſtris Doctoribus informaretur, facile adductus, & tandem examinatus de articulis fidei reſpondit, in omnibus credere. Et ſic *Sacriſta Palatinus* & *Epiſcopus Caſertanus*, & ego *Epiſcopus Piſaurenſis*, quibus Papa hoc examen commiſit, catechizavimus ante fores Capellæ Papalis primo, & deinde introductus fuit, factus Catechumenus. Reſervavimus in hac die *Epiphaniæ* Baptiſmum, ut ſi Papa velit,

gionem amplectitur.

Cauſæ, ob quas Chriſtianæ Religioni ſe dedit.

Ceremoniæ in baptizando obſervatæ.

Digitized by Google

velit ipſemet facere, faciat, prout fecit in ipſa die Epiphaniæ. Pro quo actu ceremonialiter fiendo, ego vocato Magiſtro domus Papæ, dedi ſibi hanc ſchedulam, ut omnia in ea contenta præparet, prout præparata fuerint, videlicet nomen & cognomina baptizandi ſciat a Papa: Papa præmoneatur de agendis & dicendis, videlicet in medio Baſilicæ ante Crucifixum perveniens genu flectat, & oret, provideat textum Libelli pro Baptiſmo conferendo. Baptizandus ſimiliter præmoneatur, ut ſit ante fores cum candela in manu, medius inter duos Pœnitentiarios. Patrini, qui & quot, Magiſter domus Papæ adſit: locus in Baſilica deſignetur, ante altare Crucifixi menſa paretur cum ſuis requiſitis, Tacea cryſtallina, vel Bucale Fonteſium, mica, panis, mappulæ Papæ, Gromiale, candelabra, Liber, Chriſma, candela pulchra, ſedes Papæ, duo Tapetia, vel unum magnum, Concha magna argentea, Patella cum accenſis prunis, Barbitonſor aliquis cum panniculis, Miniſtri aliqui, ut Credentiarii Papæ, & Scutiferi, ac etiam aliqui ſcopatores, Altare cum pannis, & omnibus feſtivis ornamentis, & candelabris, & aliis requiſitis. Itaque omnia benefacta fuerunt, & Papa baptizavit me aſſiſtente. Patrini tres fuerunt, videlicet, *Cardinalis* SANCTAE CRVCIS, *Cardinalis* SANCTORVM QVATVOR, & *Cardinalis* AEGIDIVS, ac *Caſtellanus*, qui Epiſcopus eſt *Salutiarum*, pro quo ego ſupplevi. Nomen fuit JOANNES LEO *de* MEDICIS. *

V. *Chri-*

* Is eſt JOANNES ille LEO, Auctor deſcriptionis Africæ, toties & tot lingvis editæ, quemadmodum & Tractatus ab HOTTINGERO editi, de viris quibusdam illuſtribus, qui apud Arabes floruerunt. Rediit LEO in Africam ad ſuos, teſte non ſolum WIDMANSTADIO, ſed etiam AMBROSIO THESEO.

Digitized by Google

V. *Conſiſtorium publicum pro Cardinale* SANCTAE MARIAE IN PORTICV, *Legato ex Francia reverſo.*

Die Lunæ, nona Januarii, fuit Conſiſtorium publicum pro admiſſione Reverendiſſimi Domini Cardinalis SANCTAE MARIAE IN PORTICV, ex ſua Gallica Legatione reverſi, & licet ante feſta natalia fuerit in urbe, tum quia Conſiſtorium fieri non potuit, usque modo dilatum fuit. Et ipſe fuit a principio palam & publice viſus & viſitatus, quod cum eſſet male factum, reprehendi eum, & monui, ut ſecretius maneret, aut ex urbe recederet. Et ſic fuit: Cardinales eum hodie ex Monaſterio de Populo confluxerunt ad Palatium, ut moris eſt. In Conſiſtorio duæ propoſitones habitæ ſunt: prima per Dominum JVSTINVM brevis; alia longa elegantiſſima, per Dominum MARCHIONEM, quem Papa laudavit ſatis mecum. Nos habuimus mantellum, & etiam capucinum de zambellotto pavonatio, ac etiam biretum roſatum ſatis bonum. Receptio Legati, ex Galliare deuntis.

VI. *In die Purificationis.*

Hac die Papa tardiuſcule venit, & lente, dedit candelas multis cum delectatione, & riſu, & aliquibus plures quam peterent, & omnia fuerunt, ut alias. Conſervatores voluerunt venire, ſed ego memor diſcordiæ, quam habent cum Oratoribus, perſuaſi ut abſtinerent, quod Papæ placuit, & obtinui, quod mitteret ipſis candelas tres albas, quas dedit *Cardinali* CIBO aſſiſtenti. Ego habui duas albas, ut alias. Cardinalis SANCTORVM QVATVOR celebravit. ORATOR CAESARIS tenuit unam faculam magnam Papalem a dextris, & *Senator* a ſiniſtris, alia ut alias, & officium finitum eſt hora XXI. pulſata, & poſt officium venit ad Caſtellum, viſurus maſcuras. Diſtributio candelarum a Pontifice facta

Prærogativà Generalis Humiliatorum.

GENERALIS HVMILIATORVM multis diebus apud me inſtitit, ut ſederet in Capella ſupra omnes *Generales*, quod mihi nunquam placuit; tamen hodie ſedebit & ſedit in banco *Abbatum* ſine præjudicio, & ſic, donec de ſuis privilegiis, quæ dicit habere, ſic Papa annuente, Pontificem certiorem reddat.

VII. *In Dominica de Paſſione, Feſtum Annunciationis, & Profectio Papæ ad Minervam.*

Papa vult diſtribuere eleemoſynas inter puellas.

In *Dominica de Paſſione* fuit Feſtum Annunciationis, pro quo Papa petiit a me, an poſſet fieri de *Feſto Virginis*, omiſſa Dominica, & qualiter fieri poſſet, quoniam libenter iret ad Eccleſiam de *Minerva*, invitatus a ſocietate, ut det Eleemoſynam puellis. Reſpondi utique poſſe, quoniam ſic tempore Alexandri, & Julii factum fuit: videlicet Miſſa dicatur de Dominica, quæ prætermitti nullo modo poteſt, & debet, & addatur unica alia Oratio de Virgine, & ſic duæ tantum Orationes ſub una concluſione, & paramenta ſint violacea celebrantis, & cappæ ſimiliter Cardinalium violaceæ, & non fiat ſermo. Et ſic Papæ placuit, & facta ſunt omnia ut ſupra. Eam Miſſam cantavit *Epiſcopus Salamantinus*, & Papa uſus eſt mitra pretioſa, & paramentis novis rubeis, & in fine Miſſæ Papa dedit eleemoſynam puellis, quæ fuerunt numero LXVIII.

VIII. *In die Paſchatis VIII. Aprilis.*

Hac die Papa celebravit, qui cum vellet deſcendere ad Baſilicam, intellexit januam, quæ eſt ſub porta Baſilicæ, clauſam eſſe, & non reperiri claves. Doluit, & cum a me interrogaretur, an placeret per plateam deſcenſus, ire ad Baſilicam noluit, ſed potius juſſit frangi januam, & poſt morulam intellexit fractam eſſe januam, cœpit deſcendere, quæ janua non fuit fracta, quia non erat clavibus obſerata, ſed tamen vecti-

Digitized by Google

veſtibus clauſa. Itaque contra illum, qui mendacium dixerat, turbatus, tandem lætus fuit, & ſic ad Baſilicam pervenit proceſſionaliter, & Miſſam celebravit devote, & rite. *Cardinalis* de CAESIS cantavit Evangelium, & quidem bene ac modeſte omnia fecit & dixit. D. cantavit Epiſtolam Latinam, & Evangelium Græcum *Epiſcopus Scalenſis*. Papa communicavit, usque ad finem hoſtiarum patienter & devote, & in fine Miſſæ venit ad Logias per ſcalas ſtrictas, quæ ſunt apud Cameram plumbi, per quas cum non poſſet commode tranſire propter anguſtiam earum, juſſi pridie ejus diei rumpi perticas ſedis geſtatoriæ, & abbreviari, ut ſic per illas tranſiri, & revolvi poſſet, prout optime fuit factum. Intra Miſſam ego juſſi ter oſtendi vultum ſanctum populo, qui tantus erat, quantus a triginta annis non fuit judicio omnium, & Papa admiratus fuit vehementer, ac quaſi, cum Populo benediceret, flevit pientiſſime. Hora fuit quaſi decima nona, cum finitus eſt actus. Cardinalis SANCTAE CRVCIS, qui eſt *ſecundus Epiſcopus*, hodie adſtitit Papæ, licet Cardinalis SANCTI GEORGII intereſſet, ſed nunquam debilis fuit excuſatus.

IX. *Veſpera in Vigilia Aſcenſionis, & Miſſa in die 1520.*

In *Vigilia Aſcenſionis* fuerunt Veſperæ in Capella, more ſolito, Papa præſente cum Cardinalibus, & nihil novi evenit, niſi quod quidam Dux *Albaniæ* Gallus, frater olim Vxoris *Magnifici* JVLIANI, fratris Papæ, venit, & a ſuis perſuaſus eſt, ut ſederet cum Cardinalibus, quod ego audiens excluſi illos de Capella cum ſuis vanitatibus, & ipſum Ducem feci ſtare cum ſcutiferis Papæ, donec Papa re intellecta mandaſſet, quid agendum, & ſic Papa juſſit, ut illum ponerem apud Diaconum Cardinalem aſſiſtentem. Ille autem *Gallus Gallice ambiens poſuit ſe in ſcabello Cardinalis cum riſu multorum.*

Dux Albaniæ vult ſedere apud Cardinales.

Digitized by Google

Vtrum Miſſa ab Epiſcopo Cardinali, an Presbytero celebranda?

In die fuit Miſſa in Sancto Petro, quæ cum fuiſſet aſſignata Cardinali Ægidio, ultimo Presbytero Cardinali, ego clamavi, quod eſſet male factum, quia ſolet, & debet eſſe Epiſcopus Cardinalis. Epiſcopi omnes contra me acclamantes dixerunt, quod tempore Alexandri erat Presbyteri, & non Epiſcopi. Ego in Conſiſtorio, audiente Papa, dixi Epiſcopis, quodſi Papa ter in anno celebrat, ipſi, qui ſunt ſex, poſſunt ſemel quilibet celebrare, & maxime quando eſt Miſſa celebranda in Sancto Petro, & ſi tempore Alexandri Presbyter celebrabat, ideo erat, quia Epiſcopi, partim profugi, partim infirmi, & partim ſenes decrepiti erant: Quæ cum Papa audiſſet, dixit, benefaciant Epiſcopi, ſi ſervant legem ſibi injunctam. Et ſic Cardinalis de FLISCO Epiſcopus celebravit. Et in fine oſtenſum eſt ferrum & vultus ſanctus, & data eſt benedictio in Logiis per Papam tiaratum, & alia ut alias.

X. *De Proceſſione in die Corporis Chriſti.*

Lites de prærogativa inter officiales Curiæ Romanæ.

Hoc Anno 1520. præcedentes Veſperæ fuerunt ut alias, ad quas Papa venit cum Cardinalibus non multis, propter labores craſtinæ proceſſionis. Pro qua in die Vigiliæ fecimus ſolitas diligentias de mandatis in Cancellaria per curſores præſentantes, & de aliis omnibus & ſingulis diligentiis, ut in Ordinario. Sed quoniam multi Officiales etiam ſolito plures videbantur inter ſe ipſos ſuper præcedentia diſcordare, ego cogitavi bonum eſſe, ſi ſemel unico actu materia omnis iſta tolleretur; videlicet, quod Papa mandaſſet priori Diaconorum Cardinali CORNELIO, nam nunc iſte prior eſt, ad quem pertinet ordinare Proceſſiones Papales, ut infra menſem, vel aliquod ſpatium omnes diſcordias decideret, vocans omnes urbes officiales ad ſe, & cogat ſingulos ſingulorum officiorum reſpective, ad docendum de prioritate ac dignitate ſua, ut alias de privilegiis ſuis, ſecundum quæ unumquodque officii Collegium procedere debeat, ita ut omnes

omnes officiales in perpetuum ſciant, & habeant ordinem, gradum & locum ſuum, in quo proceſſionaliter ire & eſſe debeant, & quod facta hac deciſione, Papa deſuper Bullam expediat, confirmans, ac ſub pœna pecuniaria, tam Collegio quam Officiali infligenda, mandans, qui non obſervaverat. Et deſuper deputetur Gubernator Vrbis exequutor, qui inremiſſibiliter. Quod cum prius prædicto Cardinali Diaconorum priori, præſentibus & audientibus multis Cardinalibus, dixiſſem, ita eisdem ac aliis omnibus viſum fuit non ſolum utile, ſed etiam neceſſarium, ut omnes confirmaverint, & demum Papam induxerint ad hoc Decretum faciendum perpetuo duraturum. Quod cum Papa audiſſet, primo Cardinali eadem referente ſummarie, & me demum ad longum explicante, illico approbavit, & ſic vivæ vocis oraculo: idem Cardinalis ſimul cum Gubernatore, & duobus Magiſtris ceremoniarum ivit ad Portam Palatii, ut ordinaret Proceſſionem, ſed propter prædictas differentias tartadum fuit, usque ad horam undecimam, antequam Papa eſſet extra Palatium, quæ res omnibus diſplicuit, maxime propter pluviarum ſuſpicionem, quæ imminebant, ita, ut pluries juſſerit procedi, ſed cum difficultate & faſtidio itum fuit. Et cum vix eſſemus in platea, pluviæ licet exiles ſupervenerunt, & Papa mandarit, non procedi ulterius, usque ad diverſorium ante ædes Cardinalis Cornelii, ubi olim habitavit Arragonenſis, quæ erat via jam ſolita, & pro hoc anno diſpoſita, & parata, ſed diverti ante ædes prioris urbis, quæ ſunt in ipſa platea Sancti Petri, & ſic ego juſſi omnes illo divertere adverſus Sanctum Petrum per Burgum, & Cardinales & Prælati reverſi ſunt, qui jam præceſſerunt, & properatiuſcule ivimus ad Baſilicam, licet pluviæ non venerint, ſed tamen non usque quaque ceſſaverint. Confuſio fuit propter *delatores Baldachini*, qui erant diſpoſiti in diverſis & pluribus locis, alia omnia ut alias, niſi quod Papa voluit de palatio deſcen-

Digitized by Google

dere per ſcalas latas prope Paradiſum, & ante manſionem Cardinalis *Cortonenſis*, & inde in Cortile magnum Palatii, & voluit ipſe eſſe ſemper in proceſſione mitratus, quod judicio meo bene fuit. Miſſam cantavit Cardinalis de JACOBACCIIS, & alia ut alias facta ſunt.

XI. *Conſiſtorium publicum pro obedientia Regis Scotiæ.*

Dux Albaniæ, Tutor Regis Scotiæ, præſtat Sedi Pontificiæ obedientiam.

Reverendiſſimus Dominus Cardinalis ANCONITANVS, tanquam *Protector Regis Scotiæ*, dixit mihi ex parte Papæ, ut præpararem Conſiſtorium publicum, quia *Illuſtris Dominus Dux* ALBANIAE, tanquam Tutor Regis, vult illud præſtare, ex quo eſt nunc hic præſens a Papa vocatus ex aliis cauſis. Quæſivi, an iſte habeat mandatum ſufficiens, & videatur, an vero litteras patentes, & ſimiliter exhibeat, ut videantur, & an litteræ iſtæ ſint latinæ vel vulgares, quo caſu reducantur in latinum, ut in publico conſiſtorio legantur & intelligantur: an ſciat ipſe latinum, an ipſe ſit dicturus, vel quis, an habeat jam compoſitam Orationem, & exhibeat eam Secretario Papæ, an de novo velit urbem ingredi, ſic ut ſolenniter a Curia & familiaribus Papæ, & Cardinalibus velit comitari, & quando, & qua die, an habeat Araldum, an familiam, an Tubas, quis eſt Protector, & quando debeat fieri Conſiſtorium pro hoc actu. Et talibus a me quæſitis & intellectis, præſertim quod iſte Dux eſt Tutor Regis Scotiæ, & generalis Adminiſtrator & Gubernator legitimus Regni, & talis, ut ſi Rex moriatur, ipſe ſit ipſo jure Rex, & propterea quaſi admirabatur, *quod in Capella Papæ non habuerit locum cum Cardinalibus, ſicut quatuor Duces habuerunt, quando Papa & Rex Franciæ Bononiæ fuerunt, nam tales habuerunt locum, quia ipſi fuerunt electi, vacante Regno, ſucceſſores Regis Franciæ; ipſe vero non fuit a quoquam electus ſucceſſor Regis, ſed taliter Regi conjunctus, ut, ſi moriatur Rex, ei ſuccedat tanquam*

An cum Cardinalibus ſedere debeat.

Digitized by Google

quam legitimus ſucceſſor ipſo jure. Item, ſi ipſe penes ſe non habeat mandatum, ipſemet eſt mandatum, cum habeat ſigillum Regium majus apud ſe, & Araldos poſſit & ſoleat, ubicunque ipſe ſit, facere ſimul cum Tubicinibus, & aliis inſignibus Regiis. Item habet jam orationem conceptam, & habet Secretarium ſuum ad hoc idoneum & præparatum, ut eam recitet.

Quæ omnia cum Papæ retuliſſem, & judicio meo iſte Dux videretur mereri, ſedere cum Cardinalibus, ſicut illi tres Galli Barones ſederunt Bononiæ. Papa remiſit primo arbitrio meo, deinde melius viſum eſt ſibi, ut in ſecreto Conſiſtorio proponerem, præſertim de loco cum Cardinalibus, & de mandato ſuo hujusmodi, & ſi caſu ſunt de novo litteræ concipiendæ, qualiter concipiantur, attento quod Rex eſt *puer quinquennis.*

Itaque in Conſiſtorio ſecreto his propoſitis, tandem concluſum fuit, ut *ſub ultimo Cardinali Diacono* ſedeat, & quod formam litterarum concipiamus Reverendisſimus Anconitanus, & ego. Itaque omnibus expeditis, & litteris conceptis ſub nomine Regis, ac etiam nomine hujus Ducis tanquam Tutoris, & Generalis Gubernatoris Regis & totius Regni, ac reformata aliquali oratione, qua obedientia præſtabitur Regis & Ducis ſimul, ut infra dicam.

Locus ipſi aſſignatur [illegible] timo Card[illegible] Diacono.

Conſiſtorium fuit habitum *die Lunæ XVIII. Junii* in Aula Regia, ubi duæ Commisſiones propoſitæ fuerunt, prima per Dominum *Joannem Baptiſtam de Senis*, in cujus medio Dux ingreſſus eſt, Conſiſtorium cum multis familiaribus ſuis, & amicis Gallis ſuis, & præcedente Araldo, & quatuor Masſeriis. Quatuor Prælati asſiſtentes, videlicet Archiepiſcopus Spalatenſis, & ego, habuimus eum medium in veſte aurea longa, & poſt nos duo alii asſiſtentes, videlicet Caſertanus, & Tudorenſis, ſequuti ſunt omnes Barones, præceſſerunt in Conſiſtorium ad ſiniſtrum latus Papæ. Et Dux dixit Papæ in

in vulgari ſuo duo verba, & præſentavit litteras. Secretarius ejus poſt eum fuit tanquam familiaris, non tanquam Orator. Et hoc facto, nos aſſiſtentes reduximus eum ad Poſtergale Presbyterorum, ubi ſtantibus ipſis finita eſt propoſitio Advocati. Deinde litteræ Regis per Secretarium Papæ lectæ, tum Secretarius recitavit Orationem, & præſtitit obedientiam; & Papa eidem elegantisſime & commodisſime reſpondit. Quo facto, fiſcalis proteſtatus eſt de more, & Cardinalis Anconitanus Protector venit ad Papam, & petiit a Papa, ut juxta Decretum Conſiſtoriale ipſe Dux duceretur ad ſedendum poſt ultimum Cardinalem Diaconum, & ſic nos quatuor eodem ordine ipſum Ducem ſolum accepimus, de loco illo ſtantem, & duximus ad ſedile Diaconorum, ubi ſub ultimo illum fecimus ſedere. Et propoſita eſt alia integra commiſſio per Dominum Marium Salomonem, licet abuſive dixerit, & novum modum invenerit, in ipſa propoſitione, quæ nulli viſa eſt placuiſſe. In fine Cardinales duo Diaconi, & Protector venerunt, & Dux ductus a nobis, qui petiit oſculum pedis pro familia & Baronibus ſuis. Et ipſe *Dux* in fine *ſuſtinuit caudam Papæ ad Cameram revertentis.*

XII. *An Papa de cætero in Conſiſtoriis, & Congregationibus publicis reſpondere debeat, per ſe ipſum Oratoribus proponentibus, ſicut usque modo: an vero per interpretem, ſicut mos eſt, aliorum Principum Chriſtianorum.*

Quæſtio in Conſiſtorio publico proponitur.

Diebus iſtis cum ſimul Papa cum aliquibus Cardinalibus, & multis aliis colloqueretur de Conſiſtorio publico tenendo, & me præſente quæreretur a quibusdam: *an conveniret Majeſtati ſedis Apoſtolicæ, quod in publicis Conſiſtoriis, & Congregationibus, & ſimilibus actibus Papa reſpondere debeat per ſe ipſum, perſonaliter loquendo Oratoribus Principum, ibidem propo-*

proponentibus; an vero quod Papa faciat, ſicut alii Principes faciunt, reſpondentes per Interpretem. Papa qui ſuper hac quæſtione a me alias fuerat interpellatus, & non concluſerat, ſed ad primum Conſiſtorium publicum deliberationem hanc diſtulerat; nunc demum mihi commiſit, ut privatim prius vota Patrum, maxime ſeniorum perſcrutarer, quid ſentirent, & referrem, ac etiam quid ego ipſe cenſerem. Dixi, quod judicio meo laudabiliter fieret, ſi Principi per ſe ipſum perſonaliter proponenti, Papa ſimiliter per ſe ipſum perſonaliter reſpondeat, Oratori vero Principis nomine, ipſius Principis proponenti, ſimiliter Papa, non per ſe ipſum, ſed per Interpretem ſuum, ſive Secretarium, ſive quemvis alium quaſi Oratorem reſpondeat, qui mos ſervatur, ab omnibus aliis Principibus, adverſus etiam quoſcunque Oratores Apoſtolicos, & Legatos Papales. Quod cum Papæ viſum fuiſſet non diſplicuiſſe, quia in veritate ſic Majeſtati ſedis Apoſtolicæ convenire videtur, præſertim quia in maximo periculo conſtituitur, quiſque Papa reſponſurus perſonaliter, *nam ſi Papa benedicit, facit procul dubio debitum ſuum; ſi autem in uno verbo ſolum inter orandum deficiat, vituperium ingens ſequitur, & Papa quodammodo irridetur, & Majeſtas ſua diminuitur*, ſicut aliquando contingit, & ſic contigit PAVLO *ſecundo*, qua in creatione Ducis FERRARIAE dixit: *aggregamus cum conſortio aliorum Ducorum*, cum Ducum dicere debuiſſet, & ſicut vidimus INNOCENTIVM OCTAVVM, nam ipſe nunquam publice aliquid dixit, quin in parte vel toto defecerit, cum riſu totius Senatus & Curiæ; & ſicut vidimus ALEXANDRVM *VItum*, qui in Conſiſtorio publico, ubi *Suecinus* tam magnus Orator defecit inter orandum, & Papa ALEXANDER, volens quodammodo ſupplere defectum illius, animoſe incepit orare, & reſpondit ad aliqua, *quæ fuerant per illum oblita, & non propoſita*, quod cum Papa advertiſſet, voluit ſe ipſum corrigere, & non ita

Exempla Pontificum in dicendo errantium.

potuit

potuit aut ſcivit, ut non ceſpitaverit, aut balbutierit; ſicut etiam tempore JVLII ſæpiſſime contigit: nam ipſe ita timide dicebat, ſicut puer ſub diſciplina Pædagogi tremebundus facere ſolet, & aliquando verba imperfecta, ac bis ac tertio eadem repetita corrigebat, quod erat valde inconveniens. Itaque ut tanta indecentia de cætero evitetur, non diſconvenire videretur, ſi modus ſupradictus introduceretur; maxime quia dicunt multi, quod iſte mos reſpondendi per ipſum Papam non antiquus eſt, ſed tantum a PIO *ſecundo* introductus, qui erat vir eloquentiſſimus, & in orando primus ſuo ſeculo Orator fuit; poſtquam alii Pontifices quaſi reliquis Pio æquales idem facere voluerunt, prout faciunt, & nullus poſt Pium prædictum ita eleganter, facunde, & docte dicit, ſicut nunc *Sanctiſſimus Dominus noſter* LEO.

Definitio quæſtionis. Itaque his per me ſuæ Sanctitati relatis, & ex parte ſua diverſis Patribus expoſitis, placuit tandem ſuæ Sanctitati, ut ego in Conſiſtorio ſecreto proponerem, cauſaſque allegarem motivi mei, prout feci pridie, in ultimo Conſiſtorio. Sed demum mihi rurſus in Conſiſtorium revocato, Papa dixit, Patribus non placere, quod uſus renovetur; ſed quod a PIO *ſecundo* usque modo ſervatum fuit, ſervetur deinceps. Et ſic Papa in Conſiſtorio publico per ſe ipſum reſpondit Oratori ſive Secretario proponenti.

Intellexi autem ab aliquibus Patribus, quod res iſta multum diuque inter ipſos diſcuſſa fuit, & quaſi placuit majori parti, ut illud ſervaretur, quod ego propoſueram propter illud periculum, quod evenire faciliter ſolet, & poteſt. Verum quia de Sanctiſſimo Domino noſtro LEONE non dubitatur, quia facundiſſimus & elegantiſſimus Orator eſt, & ſemper bene dixit, & dicturus ſperatur; propterea, quod non innovetur uſus. Verum, ſi quis ſucceſſor hoc Decretum vult facere, poterit ſemper, & quoties ſibi videbitur, quia erit in arbitrio ſuo.

XIII.

Digitized by Google

XIII. *De Miſſa Sancti Joannis Baptiſtæ.*

In Vigilia non fuerunt *Veſperæ Papales*, quia ante diem illum fuerat longum Conſiſtorium. Propterea Papa non voluit Cardinalibus in æſtu, & labore eſſe: ſed in die fuit Miſſa ſolennis in Capella magna, ad quam Papa paludatus, & mitratus venit ſummo mane. Miſſa S. Joannis Baptiſtæ.

XIV. *De dignitate, officio & jurisdictione Præfecti urbis, & qualiter, & ubi inveſtiri debeat.*

Diebus præteritis cum Papa creaſſet *Excellentiſſimum Dominum Ducem* CAMERINI *Præfectum Vrbis* in ſuo ſecreto Conſiſtorio, me de tali actu faciendo non admonito, idem Dominus præfectus ad me miſit, ut ipſum informarem de agendis per eum in Inveſtitura ſua, quoniam intendebat ſe in civitate *Camerini* per aliquem Commiſſarium Apoſtolicum inveſtiri facere, prout etiam in eodem loco de *Ducatu Camerinenſi* ſimiliter inveſtitus fuerat, exiſtimans ipſe ſimili modo hoc poſſe, ſicut etiam illud fieri potuit. Ego autem, cum dixiſſem ſuis agentibus, quod non eadem ratio eſſet, ſed longe diverſa hæc Præfecturæ inveſtitura ab illa Ducali, quaſi de me vel conqueſti ſunt, vel irriſerunt, putantes, me talia dicere, ut inveſtitura non in Camerino, ſed in urbe fiat, ut officiales Papæ, & nos cum eiſdem, propinam capiamus; de qua re etiam cum nonnullis Cardinalibus, conſanguineis, affinibus & amicis verbum fecerunt, ac etiam cum ipſo ſummo Pontifice; qui etiam mihi verbum fecit, præſertim a me petens, quod iſtud officium quæque dignitas ac jurisdictio eſſet, & an in urbe Roma, vel in Camerino de Jure inveſtiendus eſſet novus Præfatus. Itaque ego in hunc modum ſcripſi, videlicet:

De dignitate & officio Præfecti urbis.

Dignitas, officium & poteſtas Præfecti urbis antiqua eſt, utpote Origo Præfectorum urbi,

utpote a TARQVINIO, Romanorum Rege, inſtituta, cum ampla juriſdictione, de qua *in libro Digeſtorum de Officio Præfecti* expreſſa mentio fit. Præſertim quicquid intra urbem admittebatur, ad Præfectum Vrbis pertinebat: quicquid præterea intra certiſſimum lapidem admiſſum fuiſſet. Audiebat ſervos, ad ſtatuas confugientes, item Dominos agentes, & filiorum implorantes auxilium. Relegandi deportandique in Inſulam poteſtatem habebat, de adulteriis ſervorum cognoſcebat, & Tutores remittebat, ac Curatores, eorumque rationes & acta revidebat, mancipia tuebatur, de injuriis, per eos Dominis illatis judicabat, curam numulariorum gerebat, diſciplina etiam ſpectaculorum ad Præfectum pertinebat, & ut res omnes juſto pretio venderentur. Hinc forum Boarium, Suarium, Piſcarium, Olitorium ad Præfectum urbis pertinebat. Hinc oportebat diſpoſitos ſtationarios milites ad tuendam populorum quietem curare, ut quicquid ubique de prædictis ageretur, ad aures ſuas per delatores veniret, & hanc juriſdictionem Præfectus urbis in urbe tantum, & infra certos terminos habebat.

Inter omnes autem alios Præfectos, qui in urbe erant, videlicet Prætorii, equitum, annonæ, & Vigilum, & ſi qui alii, ipſe urbis Præfectus prior & dignior erat, cui etiam omnes Cives & Collegia, ac Magiſtratus urbis, multo tempore ſuppoſita fuerunt. Verum cum poſtea ea dignitas ſucceſſu temporis intermiſſa videretur, *Cæſar* AVGVSTVS auctore Tranquillo eam reſtituit. Refert enim AVGVSTVM, ut plures partem adminiſtrandæ Reipublicæ caperent, nova officia excogitaſſe, & inter alia Præfecturam urbis longo intervallo deſitam reſtituiſſe.

Conditio hujus dignitatis ſub Imperatoribus. Dignitas hæc diu ſub Imperatoribus permanſit cum juriſdictione ſua, ita, ut nemini cederet, præter Cæſari, ob quod Præfectus Prætorio in æmulationem cum ipſo ſuper præcedentia devenit, pro qua æmulatione tollenda, Imperator JVSTI-

JVSTINIANVS titulum in Libro *decimo ſecundo* Codicis addidit, ſtatuens, ut ſi Præfectus Vrbis cum quocunque alio Præfecto concurrat, is præferatur, qui primus in officio creatus fuerit.

Ex hac ratione exiſtimo, quod, cum Præfectus Prætorii is hodie cenſeatur, quem Capitaneum Cuſtodiæ Palatii, alii vocant Populi Romani Confalonerium, & iſte Capitaneus ſive Confalonerius forte vigore legis prædictæ voluerit Præfectum urbis tempore SIXTI *quarti* præcedere, tanquam dignior, utpote in officio prior & ſenior, quod idem SIXTVS nepoti ſuo Præfecto dignitatem majorem, videlicet Ducalem adjecerit; quippe eum tunc Ducem SORAE creavit, & ſic non tanquam Præfectus, ſaltem Dux Capitaneo ſeu Confalerio præeſſe poſſit, ſiquidem hodiernus uſus Ducem Præfecto majorem exiſtimat.

Hæc autem Præfectura urbis noſtro tempore nullam, aut puſillam in urbe Juriſdictionem habet, reſpectu illius antiquæ de qua in libris Digeſtorum, & Codicis, ut dixi, mentio habetur, ſed tantummodo titulo tenus dignitatem ſuam retinet, ut ſit ſupra omnes urbis Magiſtratus. Nam & Præfectus iſte cum inveſtitur, dignitate ſua equitat per urbem cum pompa & ſolennitate, comitantibus omnibus urbis Magiſtratibus ac Senatore, Conſervatoribus, Confalonerio, Regionariis, Proceribusque & civibus Romanis. Equitat autem ipſe veſte indutus ſenatoria, id eſt primo, Tunicella longa, & quaſi ſubdiaconali, & paludamento deſuper holoſerico ad manum dextram aperto, quod antiquitus latus clavus dicebatur, limbis circumquaque contextis, geſtatque capite infulam concolorem, pendentibus utrinque vittis, qui habitus ejus proprius, & ſingularis eſt, nec cum aliquo communis. Hodiernus ſtatus Præfecturæ.

Quoties Imperator ad urbem venit, & per illam ſive pedeſter, ſive equeſter incedit, a Præfecto urbis in eo, quem

 dixi,

Digitized by Google

dixi habitu ſic veſtito ducitur, prout noviſſime ſub PAVLO *ſecundo* Præfectus Vrbis veſtitus equitavit ante FRIDERICVM *Imperatorem*, auctore PATRITIO, tunc *Ceremoniarum cenſore*, qui cum Cæſaris ingreſſum pene triumphalem deſcripſit, uti de Præfecto ſic, videlicet:

„Incedebat Cæſar medius inter duos Legatos Apoſto„licos pullis veſtibus indutus, ſequentibus prælatis ſuo or„dine, & aliis togatis. Præcedebant nobiles Romani Ba„rones, Conſervatores, Cancellarii cum ſuo ornatu, deinde „Oratores, poſtremo Præfectus urbis, rubro paludamento, „quod pluviale vocant, indutus, apertura tamen ſupra dex„trum humerum exiſtente, pileum in capite geſtans oblun„gum, vittis ab aure pendentibus, in modum tiaræ Pontifi„cialis, coloris autem rubei, ac ſignis quibusdam in longum „porrectis diſtinctum, vehebaturque equo, ſericeo panno „ejusdem coloris tecto. Inter Præfectum vero & Imperato„rem equitabat *Cæſareus armiger*, nudum enſem manu præ„ferens. Hactenus PATRICIVS.

Et quia dicunt, Excellentiſſimum Ducem, Camerini nunc Præfectum deſignatum, optare, ut Inveſtitura Præfecturæ hujusmodi ad ſe in Civitatem Camerini, ubi ipſe reſidet, per Commiſſarium Apoſtolicum transmittatur; ego, quod cum venia dictum ſit, cenſeo, hoc fieri legitime non poſſe, neque debere, cum urbis præfectus non niſi in urbe, in qua præficitur, inveſtiri debeat, quoniam in *Digeſtorum* eodem *libro* expreſſe cavetur: cum Præfectus urbis terminos urbis exit, poteſtatem nullam habet, neque illi extra terminos ſuos ulla poteſtas aut jurisdictio demandari poteſt. Itaque non niſi in urbe inveſtiri debet, ſicut ipſemet Imperator, non niſi in urbe per Pontificem, aut ejusdem Legatos inveſtitur, & coronatur.

Ipſa autem Inveſtitura Præfecti nihil aliud erat, niſi, ut dixi, mera quædam obequitatio per urbem alioquin ſolennis & pompoſa cum Magiſtratibus & Proceribus Romanis, ipſum

ipſum Præfectum, ſicut ſupra dixi, paludatum, & infulatum feſtiviter comitantibus, quæ obequitatio, ſi in *Camerino*, & non in urbe fiet, profecto non urbis, ſed Camerini Præfectus vocari poterit, & erit.

Et hanc formam inveſtituræ, tam ſimplicis & nudæ, cum idem SIXTVS notaſſet, reformavit, ſive potius de novo compoſuit, qualis eſt in *libro Papali*, quamvis reformatio, ſalvo tamen Pontificis honore, mihi non placet. Nam ſicut ego exiſtimo, aliqualiter corrigi poteſt.

XV. *Miſſa in die omnium defunctorum.*

Miſſa in die omnium defunctorum.

Hanc Miſſam celebravit Cardinalis SANCTORVM *quatuor*, novus Pœnitentiarius, ſatis competenter, licet multum laboraverit ſtudendo in hoc cantu emortuali, qui ſibi omnino novus & inuſitatus eſt. Papa fuit præſens, & multi Cardinales.

Lites inter Legatum Ducis Sabaudiæ, & Legatum Ducis Venetiarum.

Hodie cum ſuperveniſſet novus Orator *Ducis Sabaudiæ*, qui ſemper fuit in lite ſuper præcedentia cum Oratore *Ducis Venetiarum*, & ne in præcedendo contenderent, ego feci, quod Sabaudus portavit caudam Papæ in via. In Capella autem cum Orator Venetus ſtaret, junctus cum Hiſpano, non cedens illi, facta eſt rixa, quod ego videns ſignificavi Papæ, qui a me petiit quid videretur faciendum. Dixi, quod alias in ſimili caſu factum fuiſſet, ſic ut Papa illum Oratorem, qui conqueritur, vocet ad ſe, *& faciat eum eſſe cum aſſiſtentibus in dextro latere ſolii*, *cum Senatore pro illo actu*, & illa vice, & quod de cætero inhibeatur illis, ut concordent venientes alternis capellis, ne habeant ulterius litigare, quod Papæ placuit, & mihi impoſuit, ut exequerer, quod effeci, vocavi enim Sabaudum ad latus Papæ, & feci eum ibi ſtare per totam Miſſam. Alia, ut alias. Papa in fine abſolvit, & poſt officium ivit ſpatiatum extra urbem, rediturus ſub Adventum.

XVI.

Digitized by Google

XVI. *Mors Cardinalis* SANCTÆ MARIÆ IN PORTICV.

Obitus & funus Cardinalis S. Mariæ in Porticu.

Die Veneris, nona Novembris in ſero mortuus eſt bonæ memoriæ *Bernbardus de* BIBIENA, *Diaconus Cardinalis* SANCTAE MARIAE IN PORTICV, antiquus familiaris Papæ, qui multis diebus fuit infirmus ex incognita infirmitate, & hodie, quæ eſt decima, fuit, priusquam ſepeliretur, exenteratus, & viſcera ejus inventa ſunt livida, quaſi ex veneno corrupta. Hic cum in Palatio Papæ mortuus fuit, nec habuit propriam domum, ad quam poſſit deferri, mendicavimus domum in Burgo veteri Sixtino, ubi olim Cardinalis Alarienſis habitavit, & ibi melius, quam potuimus, fecimus paratum pompæ, & Vigiliarum, & in aula quantumlibet anguſta fuit, lectus funebris, & Torciæ 28. ad latera ex bombyce; ſed non accedimus, niſi quatuor propter fumum. Cardinales interfuerunt XVIII, Prælati autem pauci. Et fuit inchoatum officium hora decima nona propter adventum *Duciſſæ Mediolani, ſive Barenſis*, quæ hoc ſero licet ſine pompa noſtra ingredi voluerit. Torciæ fuerunt centum, & libræ candelarum centum, conventus diverſi decem cum Clero urbis. Fratres receperunt corpus ex Aula & lecto, & detulerunt ad Aram cœli, ubi depoſitum jacebit, quousque ſit reſolutum, ut deferri poſſit ad Beatam Mariam de Laureto: ibi enim ſic ſtatuit: Habuerunt Paraſrenarii Tapete Cuſſinos & flabella, quæ dixerunt ad ipſos pertinere, ſed & pannum de raſcia, & voluiſſent rapere, aſſerentes, ſimiliter ad ipſos pertinere, quod non eſt verum: nam nihil horum habere debent, quod, cum ego indicarem, ut abſtinerent, fecerunt in me impetum.

XVII. *Ingreſſus Excellentiſſimæ Duciſſæ, olim Mediolanenſis, nunc Barenſis.*

Ceremoniæ in Duciſſæ ingreſſu obſervandæ.

Nuper Sanctiſſimus Dominus noſter ex *Cornetto*, ubi ſolatiatur, ad me miſit, committens, ut cogitarem, qualiter hono-

Digitized by Google

honorifice poſſet recipi ingreſſura urbem *Excellentiſſima Domina* ELISABETHA, *Duciſſa* BARI, quæ olim fuit filia ALPHONSI, *Regis Neapolitani*, & ſoror alterius *Regis* FERANDINI, olimque *Duciſſa Mediolanenſis*, & nunc *Mater* REGINAE POLONIAE. Qui omnes gradus ſimul in dignitate conjuncti, multum illuſtrant ipſam Dominam Duciſſam, unde vellet ſua Sanctitas reſpective ipſam honorifice recipi facere. Super qua re ego reviſis omnibus codicibus ceremoniarum, & annalibus a multo tempore habitis, reſcripſi, me non invenire verbum diſponens de admiſſione Duciſſæ, niſi tantum *Imperatricis & Reginæ*. De Ducibus autem abunde conſtat. Itaque neſcirem, quid aliud fieri poſſet, niſi ſimpliciter mittere obviam familiam ſuam Palatinam, Oratoresque & Prælatos Curiæ, ac familias Cardinalium. Verumtamen, ſi placeret, deſtinare aliquas Matronas usque ad Pontem Milvium, ſive ad aliquod ſpatiolum extra mœnia, & extra Portam de Populo in curribus & carretis, videlicet aliquas conſangvineas, & affines ſuas, ac conjuges aliquorum Principum ac Baronum Romanorum. Ad quæ mea motiva Papa replicavit, an bene vel male eſſet, mittere obviam aliquos Cardinales. Reſpondi, quod ſicut duo Cardinales obviant Duci ingredienti, eumque ducunt ad Conſiſtorium publicum, ſic reſpective nunc poſſet agi, habita conſideratione ad conditionem iſtius Duciſſæ, quæ in quantum eſt *Duciſſa* BARI, *non debet recipi a Cardinalibus*. Item in quantum DVCISSA MEDIOLANENSIS minus, *quia eſt extra ſtatum ſuum*, & in quantum *filia Regis*, & *ſoror* ſimiliter Regis non illuſtratur, *quia Reges illi amplius non ſunt in rerum natura*. Quod autem ſit *Mater Reginæ*, ſimiliter propterea non illuſtratur, quia fulgor ille Reginalis non tangit eam. Verum tamen poſſet, ſi placeret ſuæ Sanctitati, ſic fieri, ut duo Cardinales, unus Presbyter & unus Diaconus, qui ſuæ Sanctitati viderentur, obviarent Duciſſæ usque ad Pontem Milvium, per aliam

An Duciſſæ Cardinales obviam ire debeant.

Digitized by Google

viam, quam per viam de Populo, & illam ibi ſalutare nomine Papæ & Sacri Senatus, & per aliquos paucos paſſus comitari verſus urbem, donec inciperent approximare familiæ Cardinalium, & Curiæ verſus eam per viam rectam de populo, & tunc ipſi duo Cardinales per aliam viam in urbem reverterentur, aut venatum procederent per aliam viam, ſed quod Cardinales illi neque ex equis, ſeu mulabus deſcenderent, neque caput denudarent, ſed tamen Capellum deponerent, ſicut hoc modo factum fuit *Epiſcopo* CVRSENSI, quando tanquam *Legatus Imperatoris* ad urbem venit, tempore JVLII nondum creatus Cardinalis. Quæ mea cenſura viſa eſt Papæ non diſplicere, & me ad ſeniores Cardinales remiſit, quorum conſilio facerem. Et ſic conſultis Cardinalibus ſenioribus viſum eſt, omnino ſic fieri debere, ſicut ego cenſebam, & placuit, quod Presbyter Cardinalis eſſet *Cardinalis de* GRASSIS, qui eſt *Protector Regis Poloniæ*, & Diaconus eſſet *Cardinalis* CIBO, nepos Papæ, in cujus ædibus ipſa habitura erat. Nam & Papa ipſam ibidem excipi juſſit, eidemque cum omni comitatu ſuo, qui fuerunt ultra quatuor centum equi, victum paravit, & ipſi duo Cardinales libenter ſe diſponebant ad obviandum, & cum miſiſſent aliquos ad perſcrutandum qua hora diei hæc obviatio fieri poſſet, quæ ſibi Duciſſæ placeret; Reſpondit, *nullo modo velle cum pompa intrare, & ſic in ſero bujus diei 9. Novembris ſimpliciter cum ſuis ingreſſa eſt*, & Cardinales aliqui bini, & terni poſtea viſitarunt illam in ædibus, & depoſitis mantellis amplexati ſunt eam. Similiter, ut audio, omnes alii fecerunt. Hanc autem viſitationem fecerunt omnes non quia tenerentur, ſicut ſi Dux aliquis eſſet: ſed quia Papa ſignificavit ex receſſu ſuo, ſibi gratum fore, ſi ipſa Duciſſa a Cardinalibus honoraretur, ſicut ipſe etiam honorabat eam, quanquam abſens eſſet. Nam & ei, & univerſo comitatui ſuo expenſas fecit lautas & abundantes, ſibique in omnibus, quantum potuit, grati-

Cardinales Legatis Cæſareis obviam eunt.

Duciſſa deprecatur omnem ſolennem receptionem.

Digitized by Google

gratificavit, & inter alia cum ipſa deſideraret videre Capellam Papalem illiusque ornatum & paratum, ac ibidem Miſſam ex devotione audire ſolennem, & in cantu, nos inhibuimus, quia mulieribus ingredi, & Miſſæ ibidem intereſſe non licet. Sed Papa ſupplicationem ſignavit, & diſpenſavit cum Indulgentia plenaria, cum omnibus præſentibus; ſitque capella parata ſicut in die natalis fuit, etiam quoad ſolium, & ſedilia, & altare ac omnia alia ſolenniſſime, & cantata Miſſa eſt per *Epiſcopum Caſertanum* in die Dominica, quæ fuit Dedicatio *Baſilicæ Apoſtolorum Petri & Pauli.* Non volui, quod Cardinales aliqui eſſent præſentes, ſed tantum *Cardinalis* CIBO *Diaconus*, qui eam poſt Miſſam per totum duceret Palatium, & ad Baſilicam, ubi videret *vultum Sanctum.* Ipſe Cardinalis cum audiſſet aliquos Cardinales veniſſe in Palatium, forſan, ut in Capella Miſſæ præſentes intereſſent, ego ſuaſi, ut ipſe Cardinalis CIBO perſonaliter usque ad portam obviaret, & diſſuaderet, ne intrarent, prout factum fuit, & bene. Obtinet licentiam frequentandi Capellem Papalem.

Et Cardinalis ipſe ſedit in loco ſuo ordinario, & pro ipſa ego paravi quaſi in medio Capellæ juxta ſedile Epiſcoporum, ante gradus ſolii unum ſcabellum, cum cuſſinis rubris, & quatuor, ita, ut ipſa eſſet diſtantior altari, quam Cardinalis. Prælati circa decem fuerunt in ſedili longo primo, & in reliquis ſedibus fuerunt reliqui familiares ſui. Magiſter Ceremoniarum inter transeundum ſoli Cardinali reverentiam faciebat, niſi quando incenſum & pacem dedit, qui aliqualiter caput inclinabat. Pacem autem inſtrumentalem obtulit Cardinali & Duciſſæ, ac aliis omnibus etiam Prælatis. Miſſa per cantores & mirabilis fuit, per coviva vel corſiva muſicalia, quæ divina videbantur, ita, ut omnes de novo miraremur, & ſtuperemus.

DIARIUM CURIÆ ROMANÆ, DE ANNO MDXXI.

I. *In die Annunciatæ, quæ venit intra hebdomadam ſanctam.*

Feſtum annunciatæ celebratur a Pontifice.

FEſtum annunciatæ hoc anno venit in *die Lunæ ſeptimanæ ſanctæ*, & Papa aliqualiter dubitavit, an poſſit rite ire ad Eccleſiam *de Minerva* illa die, an vero transferre poſt Paſcha. Dixi, rite poſſe hac die ire, & ſolennia facere, ſed ſi veniſſet in quarta feria aut octava, aut deinceps, quod nequaquam, & ita factum eſt. Papa cum Cardinalibus ivit ad Eccleſiam, & interfuit Miſſæ per *Caſertanum* cantatæ, & circuli non ſunt facti. In fine LXX. puellæ ductæ ſunt ad Papam, quibus Papa ſolito more donavit eleemoſynam, & in eundo fuit controverſia inter cubicularios, & equites ſancti Petri de novo creatos Papa remiſit ad me: ego cenſus, quodſi in Bulla creationis equitum ſit facta mentio de loco equitum, quod ſervetur Bulla; ſin autem, quod cubicularii ſint in loco digniori, tanquam vetuſtius officium, & quia ipſi Cubicularii ſunt, & habent ſacerdotium annexum officio ſuo, quod Papa approbavit, & ſic dixit fieri; dum tamen audio ab aliquibus equitibus non fuiſſe obſervatum.

Eleemoſynas Papa diſtribuit inter puellas. Controverſia inter cubicularios & Equites S. Petri.

II. *In Feſto Aſcenſionis.*

Papa intereſt Miſſæ.

Cum diebus iſtis poſt feſta Paſchalia Papa ſpatiatum iviſſet, tandem heri rediit ex venationibus ſuis, & hodie *Veſperis* interfuit, quæ more ſolito habitæ ſunt in Capella. Miſſa autem fuit in Eccleſia *Sancti Petri*, quam *Cardinalis Anconitanus* Presbyter celebravit. Papa venit cum mitra pretioſa, ſed non voluit portare Regnum ſive Tiaram eundo ad Eccleſiam. Verum inde ad benedictionem portavit illam.

Barones prohibentur inter

Hodie Papa mandavit, quod dum ipſe vadat ad capellam ſive Eccleſiam, nullus Baro, quantumcunque grandis, vadat

vadat inter ipſum, & Cardinales, ſed quod Papa & Collegium ſimul ſint juncti, & nullus omnino intermedius ſit, niſi ſolus Capitaneus guardiæ, & Gubernator ac ego. Itaque alta voce dixi omnibus voluntatem Papæ, quæ exequuta fuit. Pontificem & Cardinales ire.

Item etiam, quia Gubernator venerat ad Palatium cum mantello roſato, aliqui Cardinales conqueſti ſunt cum Papa, quod nos non facimus debitum noſtrum, & Papa mihi vocato dixit. *Ego* reſpondi, *hoc minimum eſſe peccatum per Gubernatorem commiſſum, reſpectu eorum, quæ in hora committunt Cardinales:* & Papa riſit. Ego dixi, vidiſſe Gubernatorem in mantello roſino, non roſato, tamen quod ego ei dicerem, prout dixi, & ſe excuſavit, quod *putarat ſibi hoc licere*, *tanquam Vice-Camerario.* An Gubernator in mantello roſato comparere poſſit.

Sermonem poëticum fecit quidam *Spoletinus Scholaſticus*, & barbatus tanquam Parthus, aut Turcus. In fine Miſſæ vultus ſanctus oſtenſus eſt, & poſt omnium benedictionem Papa in camera ſua creavit duos milites, qui erant primi conductores Suevorum nuper conductorum in Italiam ad ſummam decem millium.

III. *In Feſto Pentecoſtes.*

In die *Miſſa* in Sancto Petro, quam cantavit de FARNESIO, ut alias Papa voluit, pro genuflexione ſua poſt Epiſtolam adverſum, *Veni Sancte Spiritus*, deſcendere, & poſtea reverſus legere Graduale, & interim Cantores cantarent ſequentiam, quam longam tenerent, & fuit benefactum. Celebratur Miſſa.

Item ego ſic conſentiente Pontifice ordinavi, quod Canonici Sancti Petri non amplius in futurum dimitterent illam columbam ex alto ad altare, quando cantatur verſus ille, *Veni Sancte Spiritus*, quia ille actus ſapit idololatriam, & eſt ruditer factus per Romanos rudes & deriſorios, & ſic hoc anno dimiſſus eſt actus ille. Ritus ex alto dimittendi columbam abrogatur.

Item *Abbas* SANCTI ANTONII *Generalis* cum diebus iſtis veniſſet in urbem cum *Cardinali Lotharingo*, & per urbem Habitus Abbatis *S. Antonii* vituperatur.

Digitized by Google

bem iret quaſi unus Auditor Rotæ, & in Capella etiam ſic vellet eſſe, non accepto habitu, capellæ prohibui, nec ſic amplius veniret, ſed mihi daret in ſcriptis nomen & cognomen, & ordinem ſuum, quem profitetur, quibus per me intellectis, ordinavi, quod ipſe per urbem iret cum manto amplo nigro, ſicut Protonotarii habent: in Capella autem eſſet cum cappa longa caudata capuciata de Soia nigra, non autem de Ciambellotto nigro, ſicut ipſe voluiſſet. Et cum hæc Papæ prius dixiſſem, Papa confirmavit, ut non peteret Rocchettum, ſicut alii forſan Canonici Regulares habent, de quibus ipſe ſe dixit caput & Primatem. Et ſic fuit contentus, & eſt.

IV. *Reformatus ordo Proceſſionis Corporis Chriſti.*

Ordo proceſſionis definitur & reformatur.

Sicut anno præterito feci, dixi & ſcripſi, ita etiam hoc anno dixi Papæ, bonum eſſe, quod ordo Proceſſionis *Corporis Chriſti* reformaretur per ſuam Sanctitatem, ita, ut omnes ſcirent locum ſuum, abſque contentione mutua, & quod omnes Officiales totius Curiæ, qui perpetui ſunt, includerentur, nomine excepto, quantumcunque privilegiato. Quæ mea propoſitio placuit multum Papæ, & illico juſſit Cardinali CIBO, qui erat, & eſt Prior Diaconorum, ad quem ſpectat ordinare proceſſiones, licet Cardinalis CORNELIVS eſſet ipſe prior, ſed abſens. Et etiam juſſit Cardinali SANCTORVM QVATVOR, ac etiam ARMELINO, ut ii tres, & ego cum illis, deſuper provideremus, quia hac proviſione facta, deſuper Bullam expediret, quæ eſſet ad perpetuam rei memoriam. Itaque *die Lunæ* hoc ego feci prius, in mane congregari ſimul, coram quibus retuli ordinem per multos annos ſervatum; & retuli, qui eſſent diſcrepantes inter ſe ſuper præcedentia, & etiam, qui eſſent alii non volentes comparere ad officium, ut omnes vocarentur & audirentur, quare recuſarent venire ad honorandum Sacramentum,

tum, ad quod Papa & Cardinales, ac Prælati omnes Curiæ tam devote conveniunt. Itaque citati omnes per curſores comparuerunt in Aula Innocentiaria, ubi habitat *Cardinalis* CIBO, quoniam eſt ampla & capax omnium officialium. Et facta propoſitione per Cardinalem SANCTORVM QVATVOR, fuit primo quidem multa confuſio, quia infiniti allegabant majoritatem ſupra alios; ſed ego propoſui, in talibus hoc ſervari debere, *ut illud Collegium habeat locum ſuæ inſtitutionis ante aliud Collegium, quod poſtea inſtitutum fuit, & ſic juxta tempus ſuæ inſtitutionis ante Collegium ſui officii*, & ſic Cardinales tres concluſerunt, & facillime res deciſa fuit, licet aliqui aliqualiter reclamaverint, ut Cuſtos, Notarius Cancellariæ, & Notarii Cameræ, & Regiſtratores Bullarum, ac multi alii; ſed, ut dixi, res facillime ſic deciſa, & compoſita eſt. Quod cum Papæ poſtea retuliſſem, in ſignatura exiſtenti laudavit factum, & mandavit fieri Bullam ad perpetuam rei memoriam.

Item perſuaſi ſuæ Sanctitati, ut ſimiliter mandaret fieri de omnibus Collegiis Cleri Romani, tam Regularibus, quam ſecularibus, & nullo excepto omnes venirent, maxime Monachi Sancti Pauli, & Canonici Regulares Sanctæ Mariæ de pace, qui cum non veniant, irrident alios venientes, & cum vana gloria manent deridentes nos alios. Quod Papæ ſimiliter placuit, & mandavit obſervari.

V. *Ordo autem Proceſſionis Officialium talis fuit.*

Præcedentibus religioſis, & Clero per ordinem ſuum, Portionarii Ripæ, Præſidentes annonæ, Notarius Turris Nonæ, Notarius, Protonotarius participantium, Notarii Vicarii Papæ, Notarii Vice-Camerarii, Scriptores Archivii, Scriptores Brevium, Collectores plumbi, Sollicitatores Apoſtolici, Notarii Auditoris Cameræ, Notarii Auditorum Rotæ, Notarii Cameræ

Ordo proceſſionis definitus.

meræ Apoſtolicæ, Scriptores & Clerici Regiſtrorum, Bullarum, Procuratores Pœnitentiariæ, Procuratores contradictarum, Corrector minoris Juſtitiæ, ſimul abbreviatores de Majori, Regens Cancellariæ, Plumbatores, Magiſtri plumbi, Equites Sancti Petri, cum ſcutiferis, ſcutiferi Papæ & Soldanus, Procuratores ordinum, Procuratores Principum, Procurator fiſcalis, Advocati Conſiſtoriales, Clerici Collegii, Summiſta, Secretarii ſimul Cubicularii extra Cameram, Nobiles qui ſedent in gradibus, Conſervatores Vrbis, Oratores Principum, Senator, ORATOR CAESARIS, nobiles & Barones, & ſupra Senatorem, & poſt prædictos ſunt ſuperpelliceis indulti, ut Cantores Papæ Acolyti.

Qui ordo fuit ſervatus, licet aliqui aliqualiter reclamaverint, tamen Papa ſic voluit, & ſic factum fuit, exceptis Notariis Cameræ, qui voluerunt eſſe in loco digniori ſupra Notarios Rotæ, & fuerunt, ſic perſuaſo Papa, & ſic mandante, quamquam meo judicio non bene. Proceſſio fuit ſolita, & ſolitis ceremoniis obſervata. Papa portavit Sacramentum in ſede delatus, cum mitra ſemper in capite.

Finita proceſſione, & repoſito Sacramento, inchoata eſt Miſſa per *Cardinalem de* JACOBACIIS, ut alias.

VI. *Mors bonæ memoriæ Cardinalis* SANCTI GEORGII, *Decani Collegii*, *Camerarii*, & *Epiſcopi Oſtienſis.*

Cardinalis *S. Georgii* vita & honores.

Die *nona Julii* mortuus eſt *Cardinalis* SANCTI GEORGII, RAPHAEL RIARIVS, *Savonenſis Decanus Collegii*, & *Epiſcopus Oſtienſis*, qui, cum eſſet ætatis ſuæ anno decimo nono, creatus eſt a SIXTO Cardinalis, demum in XXII°. factus Camerarius, in quo manſit annos XXXIX, & ſic anno nunc LXI. vel circa, obiit in Neapoli, cujus anima requieſcat in pace. Hic elegit ſibi ſepulcrum in Eccleſia colle-

Digitized by Google

collegiata *Sancti Laurentii in Damaſo* de urbe & executoribus teſtamenti facti, cum alter videlicet Cardinalis de MEDICIS *Vice-Cancellarius* abeſſet, & alter nepos ejus eſſet, videlicet Patriarcha, quorum nomine nihil pro paratu ſepulcralis pompæ fieri poterat, nec minus pro exequiis, petii a Papa, ut ſaltem unum executorem præſentem mihi daret, cujus nomine iſta ſolennia pararentur, & fierent, quoniam *nec nomine Cardinalis abſentis*, *neque minus nomine Prælati Collegium convocari poteſt.* Nominavit mihi *Cardinalem* SANCTORVM QVATVOR. Deinde, cum propoſuiſſem, quali cum pompa placeret, ut in urbem corpus ex Neapoli efferretur, ſubdens ego quæcunque in funere aliquorum Decanorum & Camerariorum repererim, ac viderim, videlicet *Rhotomagenſis* ſub SIXTO, aut *Neapolitani* ſub JVLIO; item *Conchenſis* ſub EVGENIO, ac *Niceni* ſub SIXTO prædicto. In quorum duorum ultimorum exequiis Pontifex perſonaliter interfuit, honoraturus actum, licet hic actus per me fuerit taxatus coram Papa LEONE in Conſiſtorio, ubi hæc acta fuerunt, ac ſuaſi Papæ, ut nullo modo exemplis illorum inniteretur, ex cauſis & rationibus, quas diffuſius in libro meo *de Funeribus & Exequiis*, ſub Rubrica: *An Pontifex Maximus exequiis funeralibus, & exequialibus intereſſe ſoleat, explicavi.* Quibus intellectis, Papa ſubſtitit, quaſi admiratus, quia aliunde forte audiverat, eum intereſſe exequiis oportere. Itaque Papa, quid mihi in hac cauſa funeris illatione videretur, exquirens, cuncta approbavit mecum, diſpenſans, ut non obſtante prohibitione *Concilii Lateranenſis*, quo pompæ hujusmodi modificatæ fuerunt, quam maxime pompam ipſam ampliarem, & facerem, ut mihi melius viſum fuerit, ſic annuentibus & audientibus Cardinalibus. Ego autem propoſueram, quod corpus de nocte in urbem portaretur, ac in Eccleſia Sancti Georgii, unde ipſe, dum vixit, denomi-

Exequiarum ordo.

Digitized by Google

nationem habuit, deponeretur, familia ſua equeſtri tota ſubſequente, ac quod in mane omnis Curia iret ad Eccleſiam Sancti Laurentii, & quod omnes ordinum officialium Curiæ, ac quod omnis Clerus, exceptis Canonicis Patriarcharum Baſilicarum, obviaret, & ibi facerent vigilias, absque eo, quod Cardinales ſibi intereſſent Vigiliis perſonaliter, ſed tantum familias mitterent, quod Papæ placuit. Sed *Cardinalis* SANCTAE CRVCIS, qui nunc Decanus eſt, & in demortui locum *Epiſcopus Oſtienſis* ſuffectus, aliter cenſuit, videlicet, ut corpus de nocte in domum defuncti portaretur incluſum, ut erat capſa, nigro veluto tecta, & de mane Collegium Cardinalium adiret, Vigiliis interfuturum, perinde ac ſi eadem nocte ibidem Cardinalis ipſe defunctus fuiſſet, nec propterea Patres ex eo turbari, quod calores æſtivi, aut labor intolerabilis eſſet propter æſtum, quoniam, ut dixit Cardinalis iſte, multum honorem ab omnibus promeritus eſt, tum quia Decanus, tum Camerarius, tum etiam Epiſcopus Oſtienſis, &, ſi alii adire non vellent, ipſe ſolus adiret, & intereſſet. Quo audito, Cardinales omnes ſe quoque ituros, pariter cum eo dixerunt. Itaque de mane ſummo factæ ſunt Vigiliæ, præſentibus Cardinalibus, & univerſa Curia, & inde corpus per Canonicos Sancti Laurentii levatum eſt, & in gyrum domus circumquaque delatum per plateas & vicos, & in Eccleſia locatum ac depoſitum, populo ſubſequente, Patribus interea expectantibus, donec familiares rediiſſent, alia ut alias.

VII. *Sex Epiſcopi jurare tenentur, ratione ſuarum Eccleſiarum.*

An Cardinales Epiſcopi jurare teneantur?

Cum diebus iſtis *Cardinalis* SANCTAE CRVCIS, qui erat Epiſcopus Sabinenſis, translatus fuiſſet ad Eccleſiam Oſtienſem, abſente tunc *Cardinali* GRIMANO, *Epiſcopo Portu-*

Digitized by Google

Portuenſi, & *Cardinalis de* MONTE SANCTI VITALIS factus fuiſſet *Epiſcopus Albanenſis*, ego dixi Papæ: *Quare iſti Cardinales ſic ad iſtas Eccleſias ſex privilegiatas promoti non jurant, prout de jure jurare tenentur, ut in C. antiqua de privilegiis*, & ibi per Doctores latiſſime, maxime per OSTIENSEM, & JOANNEM ANDREAM, & aliquos Doctores. Imo, quando Papa JVLIVS promovit *Cardinalem Alexandrinum ad Eccleſiam Albanenſem*, dixit ei, me præſente, ut juráret, ſubdens per riſum, ut ſolveret mercedem mihi *Magiſtro Ceremoniarum.* Ad quod Cardinalis *Alexandrinus* reſpondit, non ſolere nec debere jurare, cui Papa replicavit, dicens, quod tempore, quo ipſe factus fuit Epiſcopus Oſtienſis ſub SIXTO, erant in Collegio Doctores ita ſubtiles & ſingulares, ſicut eo tempore, & omnes tunc dixerunt, quod Epiſcopi Cardinales debent jurare, ſicut alii Prælati electi Epiſcopi; licet Cardinales non jurent in manibus Diaconi Cardinalis, ſicut Prælati, ſed in manibus Papæ tantum, propter quod JVLIVS Papa, tunc *Epiſcopus Oſtienſis*, allato libro in Conſiſtorio juravit. Quo audito, *Cardinalis* ALEXANDRINVS reſpondit, verum eſſe de jure, ſed quia non erat in uſu, quod non credebat, ſe teneri. Tamen petiit a me librum, & ſic illico juravit in manu Papæ JVLII. Itaque cum hæc Papæ dixiſſem, juſſit mihi, ut informarem Cardinales, qui etiam ſtuderent de jure, quid & qualiter de cætero faciendum eſſet de iſto Cardinalium juramento. Et ſic ego in Conſiſtorio Papæ ad mentem reduxi, audientibus aliquibus Cardinalibus, qui etiam ſimiliter, cum ipſo Cardinali SANCTAE CRVCIS, hunc transferendo ad Eccleſiam Oſtienſem, dixerunt Cardinales, ſex Epiſcopos debere jurare in manu Papæ. Et ſic Papa ſtatuit, ut de cætero præfati Cardinales ſex jurent, ut ſupra, etiam, quoties & quando tranſlati ſunt.

Digitized by Google

VIII. *Camerarius novus Deputatus, & acceptatus.*

Cardinalis de *Cibo* conſtituitur Camerarius.

Die *octava menſis Julii*, proxime præteriti vocavit per obitum bonæ memoriæ RAPHAELIS de RIARIO, *Savonenſis Cardinalis Sancti Georgii*, & *Epiſcopi Oſtienſis*, *Decanique Collegii Reverendiſſimorum Cardinalium* Camerariatus, quem ipſe per annos XXXIX. tenuerat, a vigeſimo ſecundo ætatis ſuæ anno, usque in annum LXI. vel circa, & ſanctiſſimus Dominus noſter LEO hodie, quæ eſt *ſeptima menſis Auguſti*, contulit *Reverendiſſimo Domino* INNOCENTIO CIBO *Diacono Cardinali*, nepoti ſuo ex ſorore, in XXXI. anno conſtituto, & ſic hodie poſſeſſionem adeptus eſt, ut infra.

Verum eſt, quod aliquali eam, ut fama fuit, contulit, propter aliquos divites competitores *Cardinales*, qui, ut dicitur, multa millia, quod difficulter crediderim, circa ſexaginta millia obtulerunt, præſertim Cardinalis ARMELLINVS. Vnde Papa forte propter bella, quæ nunc ei incumbunt, neceſſitate coactus aſſenſiſſet oblationibus iſtorum, & præſertim Cardinalis ARMELLINI; nam & ea ex cauſa ab ipſo jam, ut dicitur, aliquam ſummam perceperat, & quaſi in illum inclinare res ipſa videbatur, donec *Cardinalis* CIBO ab amicis adjutus, & ſic Papæ Avunculo ſuaſus, ut ſubveniret in neceſſitate conſtituto, obtulit, ut dicunt, XXX. millia, quibus Papa ipſum Camerarium fecit. Ego opinor, quod iſte *Cardinalis* CIBO aliquando fuit male contentus nunquam cogitaſſe de habendo hoc officio propter hanc ſolutionem maxime, quia non libere, ut antiquitus ſolitum erat, & integre gubernare Camerariatum, ſed hodie tantum percipere ſalarium ſolitum ſuum. Sed quia jam primo cum diceretur, ipſum eſſe creatum *Camerarium*, omnis Curia omnium ordinum ad ipſum acceſſit congratulans, & ipſe hujus-

hujuſmodi congratulationes admittebat indifferenter, tanquam jam eſſet plenus, & perfectus Camerarius, & poſtea non fuit propter hoc male contentus, ut famam ſuam redimeret, obtulit dictam ſummam XXXV. millium Ducatorum, & Papa benigne in reliquum admiſit. Quicquid ſit, tandem admiſſus eſt, pro qua admisſione cum multi multas ceremonias ſomniarent, ego ſuaſi ſic faciendum, videlicet, quod ipſe Cardinalis Cappatus ſua cappa ſolita pavonatia iret ad Papam, & juraret in forma, cui Papa daret annulum ſigillatorium in digito, & etiam baculum jurisdictionis daret in manu ſua. Quibus habitis ipſe Prælatis amicis ſuis, iret ad Cameram Apoſtolicam, ubi omnes officiales illius adeſſe monuiſſet, & cum aliquantulum in audientia ſediſſet, audiens ſimiliter cum aliis propoſitiones ingrederetur, & ibi omnibus audientibus diceret aliqua verba per modum ſimplicis ordinis, in fine concludens ſe admitti juxta tenorem Bullarum ſuarum, quas exhiberet, & data reſponſione per Decanum Clericorum, quod Bullæ legerentur, & quod Clerici illis lectis attingerent, & ipſum amplecterentur, & oſcularentur, tanquam ſuum Dominum Camerarium, & ipſis denuo ſedentibus omnes alii excluderentur, & per ipſos Decreta interponerentur, ſuper præpoſitis, quæ per Cardinalem ſuo novo ſigillo ſigillarentur, & in fine quod ipſe Camerarius diſceſſurus daret baculum *Gubernatori*, quem ſic Vice-Camerarium ſuum deſignaret, & quodammodo ſubdelegaret, & ſic recederet ad Cameras ſuas, quem omnes officiales comitarentur. Quæ mea opinio Papæ placuit, & ſic mandavit fieri. Verum cum multi multa dicerent, videlicet, ut prætermiſſo juramento iret ad Cameram, & ibi faceret ſe admitti, ſic fecit, ſed vadens miſit ad Papam, qui tunc erat in Arce ſancti Angeli, conſulturus de modo ſupra dicto, Papa ad eum miſit nuntios, ut primitus juraret, prout ego jam prius conſulueram,

Inveſtituræ ſolennitas, qua Cameraritus dignitas conceditur.

ram, ſed tarde nuntii ſupervenerunt. Itaque ipſe ſedit in Audientia aliquantulum, tum ingreſſus Cameram in paucis ſe abſolvit, & *Reverendiſſimus Dominus* de SENIS, tunc Decanus, elegantisſime ipſum accepit in Camerarium. Deinde lectæ litteræ, tunc omnes Clerici ei ad oſculum venerunt, & Notarii ad manum oſculandam. Hinc excluſis omnibus aliqua fuerunt Decreta, tum itum eſt ad Caſtrum ad Papam, qui recepit juramentum, de quo ego & ſocius meus rogati fuimus, præſentibus infinitis, ſed in teſtimonium rogatis *Epiſcopo Marianenſi & Cervienſi*, ac PANDVLPHO DELLA CASA, & aliis. Lecto juramento, impoſuit Papa annulum; & deinde baculum dedit, dicens ſimpliciter: *Accipe baculum jurisdictionis & auctoritatis in nomine &c.* Et ſurgens dedit ipſe Camerarius baculum illum Gubernatori, dicens, audiente Papa: *Et vos accipite baculum iſtum, & eſtote Vice - Camerarius de conſenſu Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ, cui Papa benedixit;* & ſic finis.

IX. *Jurarunt Reverendiſſimi Cardinales, Oſtienſis & Sabinenſis Epiſcopi pro Eccleſiis ſuis.*

Die *octava Auguſti*, cum Papa eſſet in Conſiſtorio in Arce Sancti Angeli, acceſſerunt ad eum *Reverendiſſimus* BERNARDVS CARVAIAL, *Cardinalis* SANCTAE CRVCIS, Epiſcopus novus *Sabinenſis*, & petierunt a Papa, ut pro præſtatione hujusmodi Sacramenti, quod quisque Cardinalis de cætero præſtare intendebat, talis modus ſervaretur, videlicet, quod ſemper in primo Conſiſtorio, poſtquam factus eſſet aliquis ex eis Epiſcopus, juraret in forma, quod juramentum ad longum legeret non ipſemet Epiſcopus Cardinalis, ſed *Magiſter Ceremoniarum* genuflexus, ipſe autem Cardinalis eſſet ſtans apud Papam, & finita lectio-

Digitized by Google

lectione Cardinalis genu flecteret, & juraret dicens: *Sic me DEUS adjuvet &c.* ſuper libro ad genua Papæ pro ceremoniarum appoſito, & quando per translationem alicujus, etiam aliquis transferri contingeret, quod tunc ille translatus, ſimiliter veniat, & ſtet, & lecto juramento per ceremoniarum pro una vice tantum ſimiliter genuflectat, & dicat ſic videlicet: *Et ego Cardinalis de* FLISCO, *Epiſcopus Sabinenſis, juro in omnibus, & per omnia, ut ſupra, pro Eccleſia Sabinenſi mihi commiſſa: ſic me DEUS adjuvet.* Et ſimiliter idem dicatur, & fiat pro alio ſeu aliis, quoties translati fuerint. Ceterum Papa audiens formam illius juramenti, quæ eſt libro noſtro communi, ex qua omnes alii Prælati regulariter jurant, quia in ea forma aliqua eſſent non pertinentia ad Epiſcopos Cardinales jurantes, mandavit mihi, ut reformarem illam formam, caſſans illas particulas, quæ Cardinalibus non conveniunt, ut eſt illa, *Legatum Apoſtolicæ ſedis in eundo & redeundo &c.* item, ut eſt illa: *Vocatus ad Synodum &c.* item illa *Apoſtolum ſingulis annis &c.* usque ad illa, *videlicet poſſeſſiones ad menſam Eccleſiæ meæ Oſtienſ. &c.* Et ſic eam formam reformavi ego, & in libello ad partem ſcripſi, quæ Cardinalibus Epiſcopis tantum conveniat, quæ eſt illa, videlicet:

Forma Juramentorum, quæ ſex Epiſcopi Cardinales præſtant Sanctiſſimo Domino noſtro Papæ.

„Ego BERNARDUS, *Cardinalis Sanctæ Crucis*, Epi- **Juramentum Cardinalium.**
„ſcopus Oſtienſis, ab hac hora in antea fidelis & obediens
„ero Beato Petro Sanctæque Romanæ Eccleſiæ, & Vobis
„Sanctiſſimo Domino meo LEONI *Papæ X.* veſtrisque Suc-
„ceſſoribus Canonice intrantibus. Non ero in conſilio,
„aut conſenſu, vel facto, ut Sanctitas Veſtra fidem per-
„dat, aut membrum, ſeu capiatur mala captione, aut vi
„ean-

„eandem vel ſucceſſores veſtros lædant, aut violentes manus „ingerantur, vel injuriæ aliquæ inferantur, quovis quæſiio „colore. Conſilium vero quod Sanctitas Veſtra mihi credi„tura eſt, per ſe aut Nuntios ſuos, ſeu litteras, ad ejusdem „vel illorum damnum me ſciente nemini pandam. Papa„tum Romanum, & regalia Sancti Petri, adjutor Sancti„tatis Veſtræ & illis ero ad retinendum, & defendendum ſalvo „ordine meo contra omnem hominem, jura, honores, & „privilegia, & autoritatem Romanæ Eccleſiæ, ac Sancti„tatis veſtræ, & ſucceſſorum prædictorum conſervare, de„fendere, augere & promovere curabo, nec ero in con„ſilio, vel facto ſeu tractatu, in quibus contra Sanctitatem „Veſtram, vel Romanam Eccleſiam aliqua ſiniſtra, vel ali„qua præjudicialia perſonarum, juris, honoris, ſtatus, & „poteſtatis Sanctitatis Veſtræ, vel ſucceſſorum veſtrorum „machinentur, & ſi talia a quibuscunque tractari vel pro„curari, novero, impediam hoc pro poſſe, & quanto ci„tius potero, ſignificabo eidem aut illis, vel alicui alteri, „per quem poſſit ad Sanctitatis Veſtræ, vel illorum no„titiam pervenire. Regulas Sanctorum PP. decreta, ordi„nationes, diſpoſitiones, reſervationes & mandata Apoſto„lica totius urbis obſervabo pro viribus, & faciam ab aliis „obſervari. Hæreticos, ſchiſmaticos, & rebelles Sancti„tati Veſtræ, vel ſucceſſoribus prædictis pro poſſe proſe„quar, & impugnabo. Poſſeſſiones ad menſam eccleſiæ „meæ Oſtienſis pertinentes non vendam nec donabo, neque „de novo infeudabo, vel aliquo modo infeudabo, Sancti„tate Veſtra, aut Rom. Pontifice pro tempore exiſtente, in„conſulto etiam cum conſeſſu Capituli Eccleſiæ meæ Oſtien„ſis. Qua juramenti forma per ceremoniarum lecta Car„dinalis genuflexit, & extendens ambas manus ſuper in „libro in genibus Papæ aperto jurat, dicens: *Sic me DEus adjuvet, & hæc Sancta DEI Evangelia*, & ſi plures tunc interſint

interſint Epiſcopi Cardinales, unusquisque ſucceſſive genu flectens, ſimiliter jurat, dicens: *Et ego N. Cardinalis N. Epiſcopus Portuenſis, juro in omnibus, & per omnia, ut ſupra, pro Eccleſia Portuenſi mihi commiſſa, ſic me DEUS adjuvet, & hæc Sancta DEI Evangelia.*

X. *Miſſa ſolennis, in die Aſſumtionis habita propter fœdus, initum inter Presbyterum Joannem Egypti atque Indiæ Regem ex una parte, & Portugalliæ Rege ex alia, contra Turcum.*

Pridie Papa mihi ad ſe vocato narravit, qualiter habuerat nova a REGE PORTVGALLIAE ſuper fœdus initum inter ſe ex una parte, & ex alia inter *Presbyterum* JOANNEM, *Æthiopum atque Indorum ac Abaſſiorum Regem*, ſuper eo, quod ipſe Presbyter volebat eſſe omnino Chriſtianus, & quod erat Chriſtianus jam a multis annis citra, ſed neſciebat adorare *JESVM CHRISTVM* deberet in Ceremoniis & cultu Catholico, & quodſi Rex ipſe Portugalliæ vellet, quod ipſi duo ſimul eſſent pugnaturi contra Turcos, & alios infideles, pro nomine *JESV CHRISTI*, & multa alia, quæ latius in literis ipſius Portugalliæ ad ipſum Papam miſſis continentur, & quod has litteras ſua Sanctitas recitavit in externo Conſiſtorio, ut haberet vota Cardinalium ſuper gratiis DEO agendis, cum lætitia & feſto convenienti tantæ novitati; ſed quod multi Cardinales aliter ſenſerunt, ita, ut non concluſum fuit per Conſiſtorium, quod gratiæ DEO agerentur, nec ſolennitas aliqua in publico fieret, niſi alia certiora nova habeantur. Verum cum Papa iterum atque iterum relegiſſet litteras Regias, omnino ſtatuit, ipſas gratias agere ſolenniter, ut fecit, & mihi impoſuit, ut iterum ego Cardinales ſeniores adirem, exhortans, ut etiam ipſi litteras ipſas bene ac

Fœdus Regis Luſitaniæ cum Rege Habiſſinorum recenſetur.

Ooo cordate

Digitized by Google

cordate cogitent, examinent, atque interpretentur; quoniam, ſi bene notabunt, præfecto, & ipſi quoque cenſebunt, feſtum eſſe faciendum pro tanto novo, & pro unitate duorum Regum animatorum contra Turcam, & alios infideles pro nomine *JESV CHRISTI* ampliando. Et cum talia dicerem, quod etiam dimitterem unicuique copiam litterarum Regis Portugalliæ, ſcriptarum ad Papam; & ſic ego Cardinales ſeniores adiens, cuique juſſum Papæ expoſui, & copiam litterarum dimiſi, quam copiam etiam ego hic allegavi. Itaque, cum adiiſſem Cardinales, parum profeci quoad votum eorum habendum, niſi, prout in Conſiſtorio dixerant, expectandam eſſe ſecundam novitatem a Rege. Tamen omnes ſex Papæ remiſerunt, ut faceret, prout ſibi placeret. Alii ſuaſerunt orationem ſive collectam in Miſſa dicendam eſſe, ut DEVS aperiret melius præcordia ipſius Presbyteri Joannis, & ſuorum Populorum ad perſeverandum in eo, quod primo jam promiſerunt, & ad aſſumenda arma bellica contra Turcum, & cum Papa vellet intelligere, quæ forma eſſet talis collectæ, mihi impoſuit, ut eam formarem taliter, quod poſſem ipſis Cardinalibus ſatisfacere, prout ſatisfeci, nam quisque approbavit tenorem & formam collectarum; ſed in fine Papa non acceptavit eam formam: nam dixit Papa, quod ſic injuria fieret Presbytero Joanni, qui ſe Chriſtianum profitetur, tum dicimus, quod DEVS illuminet cor ejus ad fidem capeſſendam, quam ipſe eam accepit, & profeſſus eſt, ſi verum non accepit fidem, quod parum rogamus DEVM pro infideli. Itaque Papæ viſum fuit, quod omnino Miſſa dicatur de aſſumtione in ipſa die aſſumtionis, cum unica collecta de Spiritu Sancto ſub una concluſione, & quod Miſſam cantet unus Prælatus Palatinus, qui fuit *Epiſcopus Scalenſis Hiſpanus*, & quod Papa veniret cum pluviali & mitra pretioſa, & Cardinales cum cappis rubeis, & omnes Orato-

Oratores Curiæ interſint, prout hæc omnia facta ſunt. Copia litterarum videlicet hic impreſſa, & copia collectæ hic etiam requiritur, videlicet.

XI. *De infirmitate Papæ* LEONIS *X. & ſubita ejus convaleſcentia.*

Die *XXV. Auguſti* Sanctiſſimus Dominus noſter ex ſubita ægrotatione, & gravi, ſubito ſimiliter reconvaluit, præter ſpem omnium, præſertim ſuorum, qui in tantum dubitarunt timentes mortem ejus, ut ipſi nonnulli ex eis levitates publicas fecerint. Ipſe etiam Papa maxime timuit, ut ſæpe dixerit de ſe actum eſſe, ſed, ut dixi, ſubito reconvaluit, & ſubito ad Eccleſiam de Populo equitavit, omni populo admirante.

XII. *Captura Mediolani, & lætitia facta per Papam in Curia.*

Die *XXIV. Novembris*, hora quaſi prima noctis, audivimus bombardas in ſignum lætitiæ ex Caſtro *Sancti Angeli* ob Mediolanum captum a noſtris militibus cum noſtro Legato Reverendiſſimo Cardinali *de Medicis*, qui in Civitatem Mediolani cum exercitu Apoſtolico ingreſſus eſſet, direptis Gallorum caſtris, & cum vix crederemus, quia ſic publice per urbem ferebatur, Papam ex hac captura multum lætum eſſe, tum quia ex favore ſuo Galli eſſent ex Italia pulſi, etiam quia dicebatur, ipſum *Reverendiſſimum Cardinalem de* MEDICIS futurum *Ducem Mediolani* pro *Duce* BARI, qui in Ducem Mediolani ſuffecturum ſe putabat: ſed quia *Cardinalis iſte de* MEDICIS dicebatur cum Imperatore & ipſo Duce BARI ſic compoſuiſſe, ut ipſe Cardinalis cederet Cardinalatui ac Cancellariæ, ac omnibus beneficiis ſuis, quorum omnium ſimul valor L.

Gallus Mediolano ejectus.

millia Ducatorum in favorem *Ducis* BARI, qui *Dux* BARI cederet juri ſuo, ſuper Ducatu Mediolanenſi, in favorem *Cardinalis Legati*, & quod ſic propterea Papa tantum lætabatur, ut nunquam plus lætatus fuerit intrinſecus vel extrinſecus, ita & aliter, quod ex *Magliana*, quo erat profectus ſolatii cauſa, plures ac plures ſingulis horis per nuncios feſtivitatis ſigna fieri mandaret, quæ ſigna per triduum continuum durarunt, diebus & noctibus. Quin imo cum ipſe ex prædicta *Magliana* rediiſſet, *die 25.* quæ fuit dies *S. Catharinæ Lunæ*, fuit a populo quaſi cum jubilo exceptus, & a multis cum olivarum ramis obviantibus, & cum plauſibus, & tubis ac ſclopis, ſimilibusque lætitiæ ſignis; & inſuper a me etiam fuit requiſitus, an placeret ex tanta lætitia aliquas gratias DEO reddere, & Papa quæſivit judicium meum. Ego reſpondi, *quod, quando bellum eſt inter Principes Chriſtianos, ex victoria tali non ſolet Eccleſia congratulari, niſi Eccleſia habeat aliquod intereſſe ſui, quo caſu pro qualitate & reſpectu intereſſe ſui, quod ipſa Eccleſia ſive ſedes Apoſtolica, aut Papa facit ſigna lætitiæ pro modo victoriæ acquiſitæ.* Itaque ſi Papa habet aliquod intereſſe magnum, ſimliter & lætitiam faciat, & etiam gratias DEO reddat, Papa ad hoc ridens, & totus feſtivus dixit, quod bonum magnum in manibus haberet. Ego replicavi, quod ergo & magnas gratias DEO redderet, & reſpondit velle omnino, & quod *die Mercurii* teneret Conſiſtorium, & quod ego reducerem ſibi ad memoriam hoc totum, quia cum Cardinalibus volebat factum totum, & lætitiam totam ſignificare, & ſic cum hæc diceret, cubiculum ingreſſus eſt, ubi cum aliquas horas quieviſſet, dictus eſt non bene ſe habere.

Papa meditatur ſolennitates publicas.

Quando pro victoriis gratiæ DEO agendæ ſint in Curia Romana?

Et ſic die Mercurii non fecit Conſiſtorium, nec equitavit ad Eccleſiam de Populo, ad quam ſe dixerat ire velle redditurus ibi gratias DEO.

Morbus Pontificis.

XIII.

XIII. *In die Sancti Andreæ Miſſa in prima Dominica de Adventu.*

Hanc Miſſam celebravit Archi-Epiſcopus Nicoſienſis aſſiſtens, præſentibus 26. Cardinalibus, abſente Papa, qui dicitur aliqualiter ægrotare *ex ſuperflua lætitia, quam concepit ex captura Mediolani.* In ipſa Miſſa omnia ſunt ſervata ſolita, ut alias. Miſſa in die S. Andreæ.

XIV. *Mors inopinata Papæ Leonis X.*

Die *Dominica*, quæ fuit *prima menſis Decembris*, hora quaſi ſeptima mortuus Papa LEO X. ex catarrho ſuperfluo, absque eo, quod aliquis prævidiſſet caſum ſuum, nam Medici ipſum leviter ægrotare dicebant ex catarrho concepto in villa *Magliana.* Obitus Papæ.

In effectu ego interpellatus fui, media nocte quaſi nona, ut irem ad parandum funus ipſius, & ſic ivi, & inveni eum mortuum, & jam frigidum quaſi nigrum ex tumore catarrhi, licet aliqui dixerint ex *veneno*, ut infra dicam latius. Dicitur veneno interemtus.

Omnia feci fieri, quæ ſunt ſolita in paratu funeris Papalis, quo facto feci ſignificari Collegio, ut de mane venirent, prout omnes venerunt, qui erant tunc in urbe, videlicet XXIX. numero, & cum tanta eſſet multitudo populorum in Palatio, ut vix Cardinales ingredi poſſent, tamen ingreſſi ſunt in Aulam ſolitam paramenti inferiorem, ubi juſſeram poni funus, & inde Cardinales in Aulam ulteriorum, quæ fuerat Papæ Alexandri ingreſſi; congregati ſunt, & me ibidem proponente diffinita ſunt, videlicet: Apparatus funebris.

Ubi placeret ſepulcrum ejus facere, ac ponere corpus, & placuit, quod in capella per ipſum deſignata deponeretur, donec fieret ſepultura arbitrio affinium ſuorum.

 Item,

Digitized by Google

Item, quod *aliquis Prælatus unus vel duo præficerentur pompæ, & curarent, ne quicquam diriperetur*, præſertim a Clero Sancti Petri, prout ſemper ſolitum eſt fieri, & placuit, quod *Epiſcopus Caſertanus*, & *Epiſcopus Nepeſinus* eſſent præfecti.

Item, quod *rumperetur plumbum, & annulus piſcatoris*, prout in præſentia Collegii plumbum ruptum fuit, & ſimiliter annulus piſcatoris ruptus.

Item, quod præficerentur aliqui Cardinales ſuper inventariis theſauri, Eccleſiæ facientes; & tres Cardinales, videlicet, *Sancti Vitalis Epiſcopus Senenſis Presbyter*, & *de Caſis Diaconus* fuerunt deputati ſimul cum Camerario.

Item, fiant duo Gubernatores, videlicet unus urbis, & alter Palatii, & placuit eligere *Archiepiſcopum Neapolitanum*, urbis Gubernatorem, qui illico juravit in manibus prioris Epiſcoporum, videlicet *Sanctæ Crucis*, a quo etiam habuit baculum Juriſdictionis, & huic Gubernatori additus fuit *Capitaneus Vrbis*, *Dominus* CONSTANTINVS COMNENVS, ex Principibus *Macedoniæ*, qui etiam juravit.

Et *Gubernator Palatii* fuit *Epiſcopus Spolitanus*, & illi adjunctus eſt *Capitaneus* cuſtos Palatii, & ſic etiam ambo ſimiliter jurarunt.

Item, quod *Capellanus Sancti Angeli*, ſimiliter deputaretur, cum juramento, ut Caſtrum cuſtodiret, pro collegio, & placuit, quod illi tres Cardinales irent ad Caſtrum ſimul cum Camerario, ſimul & ab eo juramentum acciperent.

Item, quod duo eligantur *Secretarii collegii*, qui nomine collegii ſignificarent abſentibus Cardinalibus obitum Papæ, ſicut de more erat, & placuit, quod duo Clerici Collegii hoc facerent, & cum ego replicaſſem non eſſe conſuetos

ſuetos Clericos Collegii hoc exercitium facere, ſed quod omnino duo Secretarii eligerentur, præter Clericos Collegii, placuit, quod ipſi duo Clerici Collegii ſufficerent, attenta eorum ſufficientia, præſertim *Domini* BLASII, & caſu quo iſte ſimul cum JOANNE MADRIGALI non ſufficerent, vocaretur Dominus VINCENTIVS PIMPINELLA, *Cancellarius Lateranenſis*.

Item, quod vocarentur Conſervatores, & Capuriones, quibus imponeretur cura quietis urbis, & ſic vocati ſunt, & eis impoſitum, ut cum magna cura providerent. Inde dixi, ut ipſi inter ſe ipſos colloquerentur ſuper pecuniis inveniendis & habendis, pro uſu neceſſario exequiarum & conclavis, prout ſimul diu loquuti ſunt, & concluſerunt.

Item petii, qua *die placeret exequias* inchoare, & placuit, quod die Jovis, quæ erit *Quinta*, niſi aliud obſtet. Et, *an placeat quotidie congregari*, & placuit, quod quotidie in Palatio in aula paramenti Papalis hora XX. congregentur.

Vltimo admonui *Nepotes Cardinales Papæ* defuncti, ut funus ad Baſilicam comitarentur, qui eſſent quatuor, aut ſex: ſed multi alii ab ipſo LEONE creati Cardinales ſimul cum aliis inferant, & quia exequiæ bonæ memoriæ *Cardinalis* SANCTI GEORGII, hac æſtate defuncti, usque modo fieri non potuerunt, propter abſentiam Papæ, & die Mercurii proxima, quæ erat quarta præſentis, ordinatæ erant, quod omnino differantur, usque ad novum Papam creatum.

Sciendum autem, quod hora noctis tertia, vel circa corpus fuit: ſed ego prius videns illud multum tumefactum, & obſcurum præter ſolitum admiratus propoſui in Collegio, an placeret, quod ex iſta cauſa facerem exenterari, & placuit. Et in fine illo aperto, inventum eſt cor macu-

maculatum, & ſplenis partem corroſam; & lienis ſimiliter partem vitioſam, quæ cum Chirurgi ac Phyſici viderent, cum ſtupore admirati dixerunt, pro certo illum fuiſſe toxicatum, & maxime, quia ipſe infelix Papa ante obitum ſæpe doluerit ſentire, intercoxa ſua quaſi ex igne comburi.

Suſpicio de venenata *Leonis* morte.

Itaque manifeſte compertum eſt, *Papam* LEONEM venenatum periiſſe, quæ res illico credita eſt, quoniam per aliquos paucos ante dies quidam ignotus, *in habitu ſimulato ivit ad feneſtram unam* Monaſterii Sancti Hieronymi, & inde vocato certo fratre, dixit ei quod cras, omnino iret ad Papam, & ſignificaret ei, qualiter venenum paratum erit ſibi de proximo a quodam ejus intrinſeco, non in cibo aut potu, ſed aut in naſitergio, aut in Camiſiaſe mappula.

Et cum iſte frater non vellet ire ad *Maglianam*, ubi tunc Papa ſollaciabar, ivit ad Palatium, & dixit *Datario*, qui illico ivit ad *Maglianam*, & retulit hoc Papæ, qui illico miſit pro iſto fratre, ut ad ſe in *Maglianam* veniret, & ſic ivit, ut rurſus idem ſibi dixit, quod prius Datario dixerat. Quo audito Papa ſtupefactus eſt, & dixit: *Si voluntas DEI eſſet, quod pateretur, ſed quod caveret quantum poſſet.*

Itaque inde ad paucos dies veniens Romam ægrotare cœpit, & cum ægrotaret, ſæpe dicebat, ſolens quod interius ardebat, & in finalibus ſuis verbis dixit, quod verum erat, *ſe occiſum eſſe*, & mox moritur. Doluit autem, quod *Cardinalis* ſuus dilectus de MEDICIS ſupereſſet, in multis ærumnis, & faſtidiis bellicoſis.

Camerarius Pocillator capitur.

Et quia ſuſpicio omnino fuit de veneno propinato in vino, fuit captus quidam *Camerarius* pocillator ſive pincerna Papæ, ſimul cum *Canappario* a furore Populi, a ſuſpicione, quia iſte viſus eſt, urbem exire, & captus eſt, & ductus in Capellam, ſed poſtea examinatus, & inquiſitus fuit libera-

Digitized by Google

beratus tanquam innocens, & concluſum fuit, Papam non venenatum, ſed ex catarrho, ut ſupra.

Congregationes quotidie a prima die, id eſt, *Luna*, usque ad alium diem Lunæ, quo exequiæ inchoatæ ſunt, in Capella Sixtina, ut infra dicam. Interea ſupervenerunt aliqui Cardinales, *Vulterranus*, & CORNELIVS, & multa per diverſos in congregationibus iſtis propoſita fuere, quæ per neminem noſtrum, nec aliquem notata fuerunt, licet pauca notatu digna facta ſint, niſi ſuper paratu & expeditione exequiarum, quæ pauciſſimæ in omnibus factæ ſunt, tum quia Camera & ſedes Apoſtolica dicitur exhauſta, & debita in ſumma *octo millium* Ducatorum, & ultra, quaſi *50. quatuor mill. aut LX. mill.* tum etiam ob rapinam officialium deputatorum a Cardinale Armellino, & aliis deputatis, nam quaſi omnes *officiales* iſti fuerunt *mercatores Florentini acutiſſimi.* **Debita Cameræ Apoſtolicæ.**

Exequiarum LEONIS *prima dies.*

Die Lunæ nona Decembris inchoatæ ſunt exequiæ in Capella Sixtina, ut ſic Cardinales propter hyemem melius ſtarent tuti a frigoribus. Vt dixi, paratus iſte fuit miſerrimus in omnibus, videlicet in veſtitu familiæ: nam cum eſſent familiares numero ſupra mille, vix ducenti fuerunt veſtiti. Item in cera miſerior fuit paratus, nam prima die prædicta ſolum libræ mille & centum fuerunt adhibitæ cum ſumma miſeria & neglectu. **Exequiarum modus.**

In dicta Capella feci, quod celebrans eſſet verſa vice ad parietem, ita, ut Epiſcopi & Presbyteri Cardinales neceſſario eſſent in ſiniſtra ingredientium, & Diaconi in dextra. Imago Sixti fuit cooperta cum cœnotaphio & veluto, & bene fuit cum armis LEONIS defuncti.

Oratores cum Senatore in fine ſedilis Diaconorum,

Digitized by Google

Prælati in cancellis hinc inde, ut alias; *Cardinalis* SANCTAE CRVCIS *Epiſcopus Oſtienſis*, *Decanus Collegii*, celebravit & ſalutavit Collegium ſine mitra & nudo capite, ſimiliter & quatuor Cardinales Epiſcopi depoſitis mitris ſalutarunt, quando ipſi iverunt ad abſolvendum apud caſtrum. Miſſæ per Presbyteros & fratres religioſos in Eccleſia nullæ dictæ fuerunt, niſi ordinariæ, & ſimiliter nullæ eleemoſynæ datæ ſunt pro anima defuncti, omnia enim cum miſeria & tumultu, & ſine ordine ullo facta ſunt. Ex cauſa prædicta ſermo hac die non eſt habitus, quia tarde demandatus fuit, & reſervabitur habendus in ultima die, Cardinales omnes ſe per ordinem obtulerant.

Item in congregatione heſterna *Reverendiſſimi Domini* omnes fecerunt me vocari ad ſe, quia ego jam quaſi feſſus & ſenex, ac videns *hunc peſſimum ordinem*, *ſequeſtraveram me ab exercitio ceremoniarum*, *quia ipſum officium jam reſignaveram*, *& propterea*, *cum mihi reſervaſſem emolumenta*, *non curabam amplius me ingerere;*

Quod audientes Cardinales rogarunt me, ut vellem eis ſervire in hoc officio, donec novus Papa factus eſſet, qui poſtea ageret, ut vellet, & ſic mihi omne onus impoſuerunt, ut eſſem præſidens Magiſtris, ſicut etiam eram tempore LEONIS, & ſic onus libenter acceptavi, & incepi ſervire, ac exequias, ut melius ſcivi, & potui, compoſui, licet cum miſeria, ut jam dictum eſt.

Itaque poſt Miſſam hanc hodiernam ingreſſi ſunt Cardinales Capellarem locum in Baſilica, & ibi me proponente lecta fuit *Bulla ſanctæ memoriæ* JVLII *ſuper Papa legitime*, *& ſine ſimonia eligendo.* Bullam hanc legit prius BLASIVS, *Secretarius Collegii* ſolus, absque ullo teſte, qua lecta, vocavit Oratores, ſi qui eſſent in Baſilica, alioquin Prælatos ſex: unus autem ex eis ego fui, & *Epiſcopus Imolenſis*,

lenſis, *Signinus*, *Spoletanus*, *Tifernas & Alcinenſis*, rogati, qualiter omnes ipſi Reverendiſſimi Cardinales tunc numero 28, jurarunt tactis ſcripturis ipſius Bullæ, quod ſervarent tenorem ipſius Bullæ. Et quia non omnes Cardinales, qui ſperabantur interfuturi electioni Papæ, erant præſentes, ego dixi, bonum eſſe, ſi adhuc eadem Bulla ſemel atque iterum legeretur coram Oratoribus, & omnibus Cuſtodibus futuri Conclavis, & etiam, quando ipſi Cardinales in procinctu eligendi Papam novum, quod omnibus placuit.

Succeſſive quotidie facta eſt Miſſa exequialis per Epiſcopos, deinde per Presbyteros cum abſolutionibus apud Caſtrum more ſolito.

Et quia pompa videbatur eſſe admodum vilis ob defectum ceræ, dedignantibus Cardinalibus præſertim affinibus defuncti, ego conſului, quod deputaretur unus Cardinalis particularis affinis pro expeditione exequiarum, & fuit deputatus *Cardinalis* de SALVIATIS, qui honorem communem curavit, & poſuit in tertia ſuper Caſtro 40. & ad latera 50. & ſuper ſepulcro 4, & faculæ ſuper Caſtro pro medietate primæ diei, & ſex Torciæ ſuper cancellis capellæ Sixtinæ, ubi celebrarunt, & feci cooperiri de panno velluto ſepulcrum Xiſti.

Item, ego etiam feci deputari unum Cardinalem conclavi faciendo, qui fuit *Cardinalis de* CAESARINIS, qui animoſe incepit.

Item etiam feci fieri duos caminos in duabus ſalis, **Conclave extruitur.** & feci fieri 40. cellas, videlicet 31. in Capella, & novem extra tam æquales omnes longitudinis a pariete usque ad liſtam albam utrinque, quæ longitudo eſt palmorum 23. & latitudo fuit palmorum 10. & modicum plusquam tertia pars, & feci ſuper ſolari fieri tabulatum, & ſimiliter feci cooperiri cellas ex tabulis ſubtilibus, quod omnibus placuit,

cuit, & feci claudi feneſtras cum telari, ex tela cerata ſupra feneſtras vitreas

Item propoſui, quod propter multas fraudes, quæ committuntur in aperitione portellæ, quando introferuntur fercula, bonum eſſet, quod una rota apud portam fieret more Monialium, & placuit omnibus & commiſerunt, quod fieret omnino cum duabus portis hinc inde, ut cuſtodes unam clavem haberent, & aliam Magiſtri Ceremoniarum.

Item, propoſui de cuſtodibus & conclaviſtis, & variæ opiniones fuerunt, ut res fuerit indiſcuſſa.

Die *Martis X.* Cardinalis CORNELIVS ex Venetiis ſupervenit, & die Mercurii XI. quinque alii Cardinales ſupervenerunt, videlicet, SEDVNENSIS, SVEVVS *de* MEDICIS, *Vice Cancellarius*, *de* PETRVCCIIS, SENENSIS, CORTONENSIS, FLORENTINVS, & CIBO *Januenſis*.

Die Jovis duo Cardinales ſupervenerunt, videlicet GERMANVS & MANTVANVS, ambo infirmi, quotidie habita eſt Miſſa exequialis, cum abſolutione per Presbyteros cum Presbytero celebrante, & per Epiſcopos cum Epiſcopo celebrante.

Cera data eſt Cardinalibus & Prælatis præſentibus cum miſeria, & ſuper Caſtro raræ faculæ, & rariora intorticia, & niſi Cardinalis SALVIATVS deputatus providiſſet, forſan nulla facula, nec nulla intorticia poſita fuiſſent, & tamen computata fuiſſent in expenſis, ex cauſa ejus, quem ſupra dixi, pauciſſimi veſtiti ſunt.

Die Lunæ venerunt nova cum literis ex *Papia* allatis per ſervitorem transfugam Cardinalis Hiporigienſis, qui ſignificabat interceptum ſe Papiæ a quodam SVEVO ſervitore *Cardinalis*, qui, ut ſcripſit, habuit in mandatis a Dominis

Digitized by Google

minis ſuis non relaxandi eum, donec Papa creatus eſſet, ex qua novitate totum Collegium maxime commotum eſt, & cum jam omnia parata eſſent pro ingreſſu in conclavi, die Mercurii proxima ſtatuerunt, quod omnino expectaretur ille Cardinalis per octo dies, & ſic vocato Oratore Ducis Mediolani, qui die præcedenti urbem per Staffettam ingreſſus fuerat, impoſuit Collegium, ut omnino ſcriberet Duci ſuper liberatione prædicti Cardinalis, alias procederetur contra, prout de jure, & ſic prorogatus eſt ingreſſus in conclave per octo dies.

Eadem die unus *Cardinalis* ex multo odio, quod, ut credo, ille habet, dixit mihi, quod Cardinales aliqui, qui noviter urbem advenerant, mirabantur, quod ego Prælatus Epiſcopum auderem me intromittere in officio Ceremoniarum, cum me egomet ipſe propoſuiſſem, quod Prælati non poſſent eſſe Conclaviſtæ Cardinalium, & quod propterea abſtinerem, quaſi ipſe non vellet, quod ego ingrederer, ut forſan poſſem ſervire in aliquo fratri meo *Cardinali de* GRASSIS.

Ego converſus ad ſeniores, dixi totum illud, quod mihi dictum fuerat, & ſubdidi, quod ego innitebar decreto eorum in congregatione facto, per quod ipſi omnes, nemine diſcrepante, non ſolum me deputaverant, ſed etiam me rogaverant, ut eis ſervirem: quin etiam dixi, quod habebam ſuper hoc Bullas meas, quibus Papa LEO mihi reſervavit præter omnes fructus officii etiam locum in Capella, & extra eam, & titulum Magiſtri, & præeminentiam ubique, ſicut habebam antequam reſignaſſem, & quando intendebam illum locum habere, quo audito ſeniores cognita malignitate ſubriſerunt, dicentes, velle, quod ego ſerviam eis, qui me de conſenſu univerſali omnium elegerant,

Digitized by Google

rant, & ſic me confirmarent præter Bullas meas, quas ego oſtendi, ſed eas noluerunt aliter videre.

Die *Martii IX.* exequiarum *Cardinalis* SANCTAE CRVCIS iterum cantavit Miſſam, quia *Cardinalis* de GRIMANIS, cui fuerat ea Miſſa reſervata, graviter infirmus erat. Intra Miſſam conſervatores ſupervenerunt, & voluerunt ſedere ſupra Oratorem Bononienſem, non voluit eis cedere, licet ipſi quaſi per vim vellent ejicere.

Et tandem ipſi Conſervatores fecerunt aliud Caput Seſſionis ſuæ, id eſt, verſus Cardinales, ut ſic ipſi omnes viderentur eſſe ſupra Oratorem Bononienſem. De qua re omnes riſerunt, licet in veritate ego demandati Collegii jam prius dixeram Conſervatoribus, ut non comparerent in talibus, ne propter rixam de præcedentia hujusmodi inter eos oriretur ſcandalum, ſed non voluerunt obtemperare. Aliqui Cardinales adverſum me reſpiciebant, quaſi ego componerem differentiam talem.

Ego reſpondi, Oratores dicere, paratos eſſe deferri Senatori, qui eſt primus Magiſtratus Romanorum, quia forſan eſt, etiam vellent ipſi Conſervatores, quod ad aliquos dies poſtea etiam cederetur Capurionibus, & ſic omnes tacuerunt.

Finita Miſſa, habitus eſt ſermo per Dominum ANTONIVM *de* SPELLO, *Acolytum* & *Rocbetto*, & cappa veſtitum; ipſe ſermo fuit brevis, compendioſus & accommodatus, & in fine facta abſolutio fuit per quatuor Cardinales Presbyteros, licet ipſi jam ſurrexerant ante ſermonem, ut abſolverent, ſed ego feci ad loca ſua redire.

Canonici *Sancti Petri*, officio finito, acceperunt pannum, ex velluto nigra, qui erat ſuperpoſitus ſepulcro Sixti,

Sixti, licet Cardinalis ARMELLINVS clamaverit, ſe illum habere velle.

Ego reſpondi, ad Canonicos pertinere, quicquid Eccleſiæ & ſepulcro oblatum fuiſſet, niſi ab initio facta fuiſſet proteſtatio de repetendo, quo caſu, ſi Canonici acceptaſſent proteſtationem, reſtituere tenerentur ipſum pannum aliter nequaquam. Et ſic Canonici pro ſe tenuerunt pannum.

In fine abſolutionis habita eſt congregatio brevis, ubi Collegium decrevit, quod de cætero fieret congregatio in domo *Decani Collegii*, quando intimaretur eis ex mandato ipſius Decani.

Orator *Venetus* conqueſtus eſt, quod Caballarii intercepti ſunt quotidie inter vias.

Item *Orator Mantuanus* expoſuit, quod *Vrbini* FRANCISCVS MARIA erat in via verſus ſtatum ſuum, ex quo fuerat per Papam LEONEM ejectus, & quod veniebat cum manu forti & gentibus in exercitu magno &c. Et ambo prædicti petierunt, ut ſupra per Sacrum Senatum provideretur.

Ego habui ab initio exequiarum Ducatos auri in auro pro me, & totidem pro ſocio meo per manus PHILIPPI *de* STROCIIS, & centum alios etiam habui pro emtione ſupellectilis neceſſariæ in Conclavi, ſicut de more eſt.

Et ſic finis exequiarum bonæ memoriæ LEONIS *Papæ X.* in pace cujus anima requieſcat, Amen.

F I N I S.

EX

EX DIARIO PARIDIS DE CRASSIS.

Contra electum Corcyrenſem, qui prædictum Auguſtini librum ſub ſuo nomine vulgavit.

Vid. MABILLONII *Muſæum Italicum Tom. II. p. 587.*

HOdie, nempe XI. Martii, anno MDXVII. cum mihi dictum eſſet, librum ceremonialem noſtrum, quo reſpublica noſtra Eccleſiaſtica regitur & gubernatur, fuiſſe Venetiis impreſſum, & ad Vrbem remiſſum omnibus venalem: dolui vehementer, & priusquam aliquid dicerem Pontifici, ſuper hoc conqueſtus fui cum Cardinalibus, qui in die creationis annuæ papalis expectabant Pontificem venturum ad Miſſam. Et aliqui, imo multi ex eis commoti, ſcandalizati ſunt, quod Ceremoniæ ſacræ & Myſteria eorum divulgata fuerint: ſic ut ceremoniæ noſtræ, quæ erant quid ſacrum, fiant quid publicum &c. Et in fine dixerunt Papæ dolentes. Papa autem prima facie turbatus, dixit ſe facturum quid Cardinalibus placeret. Et quia Cardinalis SANCTAE CRVCIS forſan fuerat cauſa, quod imprimeretur liber ille; dixit *non malum eſſe*. Tandem Papa commiſit Cardinali de GRASSIS, *protectori officii ceremoniarum*, ut ſimul cum auditore Cameræ provideret, ne amplius aliquod volumen venderetur usque ad diem conſiſtorii: quia tunc exquiſitis votis omnium Cardinalium concluderetur. Et ſic factum eſt.

Deinde cum collatione facta de illo impreſſo cum noſtro, inveniſſem, multa fuiſſe ad libitum addita, & plura ſimiliter caſſata; retuli Papæ præſentibus Cardinalibus in conſiſtorio ſequenti: *ac Papa vidit* ac magis commotus eſt. Et vocato iterum Auditore cameræ, mandavit, ut omnia volumina impreſſa apud ſe habeat & ſic retineat, donec aliud ſibi dixerit. Sicut ſupra dixi, XI. Martii ſcripſi, *electum Corcyrenſem* publicaſſe librum ceremonialem contra jus fasque, & Papa mihi commiſit, ut ipſum librum diligenter viderem ac colla-

collationarem cum *originali*, ſi quid eſſet additum vel imminutum, quod illud ſignarem ac referrem. Itaque eo totaliter viſo & ſignato, feci hanc meam epiſtolam, quam præmiſi quaſi invectivam contra ipſum Corcyrenſem temeratorem libri ſacri, & eam Papæ dedi in manibus: & legit & approbavit, mandans mihi, ut in primo conſiſtorio recitem cauſas, quibus motus fui; & exaudiret præſente ſenatu petitiones meas, quæ ſunt, ut ipſa epiſtola de verbo ad verbum hic poſita, ſic videlicet:

Epiſtola
PARIDIS DE CRASSIS AD LEONEM X.

SANCTISSIMO D. N. LEONI PAPÆ X. PARIS DE GRASSIS, *Epiſcopus Piſaurenſis, ceremoniarum magiſter*. Inter ſacras ſolemneſque Romanæ Eccleſiæ ceremonias, *beatiſſime Pontifex*, a juventute mea verſatus tuo ac tuorum beneficio prædeceſſorum, illis jam ad XVI. prope annum præfectus, piaculum ingens, & id quidem calumniæ & ignominiæ plenum, facturus videor, ſi tranſeat ſub ſilentio, & conniventibus oculis patiar, illas per libros ſacrorum rituum nuper ſub nomine cujuſdam falſi & temerarii auctoris impreſſos, corrumpi, ac in contemptum Apoſtolicæ Sedis divulgari; atque anteceſſores meos, qui eiſdem præfuere ceremoniis, illaſque mihi tanquam per manus dedere ſuis laboribus, ſuis vigiliis ac ſtudiis, contra jura legeſque defraudare æquo animo feram ſub feliciſſimo Sanctitatis veſtræ Pontificatu, cujus ingenii dotes ita longa experientia omnes didicimus, ut jam non dubitemus eam (ſi qualia hæc ſunt, intelligat) pro ſua erga Deum pietate, pro ſanctæ Sedis Apoſtolicæ majeſtate ac innata juſtitia, non ſolum non paſſuram; ſed, ſicut ego ea pro criminis magnitudine ſine hac verborum deteſtatione præterire non poſſum, ita illam acriter vindicaturam. Nam quemadmo-

Digitized by Google

dum juſti cujusque principis eſt curare, ne quisquam ſuo jure fraudetur: ita, ſi diligenter inſpexerimus, ad quempiam alium non magis ſpectat, quam ad Romanum Pontificem, ne ſacræ ſuæ ceremoniæ maculentur, neve aliqua in parte alterentur, ac præſertim, ne corrumpantur: ſed & quod omnium Principum eſt, ne prolatæ in vulgus, velut proſtitutæ, pontificalium ſacrorum exiſtimationem minuant, flocci faciant, & contemnantur. Quod ſi inprimis tua ac ſacroſanctæ Sedis Apoſtolicæ res agitur, B. P. ne pigeat obſecro, hæc, qualiacunque ſint, quæ temporis anguſtia curſim collegimus, perlegere. Inveniet profecto in his, non quæ verborum contextu auribus grata & jucunda; ſed quæ ad rem tuam maxime pertinentia ſint & neceſſaria. Verum antequam ab eo exordiar, quod hæ ſacræ ceremoniæ in vulgus minime prodendæ ſunt: reſpondebo illorum opinioni, qui exiſtimant, religionis Chriſtianæ ceremonias ad publicam mortalium utilitatem eſſe divulgandas, moti forſan vel eo argumento, quod ipſa divini Numinis deductio & cætera Eccleſiæ ſacramenta, libris Pontificalibus impreſſa & publicata ſunt. Quippe illa ad omnes Eccleſias & ſingulos quosque ſacerdotes pertinent, nec omnino recondi poterant. Hæc ad Romanam Eccleſiam tantum, ejusque Summum Pontificem, ſuosque duntaxat ad id operis vocatos miniſtros. Sed utinam etiam & illa, quæ dixi, ſecretiora forent & magis recondita. Non enim ea quotidie ad *profanas manus in ſacerdotii contemptum, nec ad alienas ſectas in noſtræ religionis irriſionem devenire videremus.* At quoniam reprehendi magis poſſunt, quam corrigi, revertamur ad rem noſtram integram adhuc, ne hoc malo exemplo & ipſa labefactetur. Novit jam pridem S. T. omnem Romanorum Pontificum auctoritatem, omnem majeſtatem hujus ſacroſanctæ Sedis pendere *ex animis opinionibusque Principum & Prælatorum.* Dum enim illi Summos Pontifices non

non tamquam mortales homines, ſed tamquam Deos in terris exiſtimant & credunt: illis ſe ſponte ſua ſubjiciunt, illis parent, illos ſuſpiciunt ac venerantur, & etiam adorant; incredibilique quadam afficiuntur admiratione, cum aliquando audiunt aut vident ſupra humanum opus ab illis per eas, de quibus agimus, ceremonias in ſanctorum numerum quempiam referri; Pontifices tanta ſolemnitate tantaque obſervatione eligi atque ſanctificari, Imperatores coronari, Reges inungi, Cardinales aſſumi, Patriarchas, Archiepiſcopos Epiſcopoſque conſecrari, ac cætera effici, quæ tum rerum magnitudine, tum varietate divinitatem quandam præ ſe ferre videntur. Quod ſi ſacrorum arcana pandantur, & ſacræ publicentur ceremoniæ, illico futurum eſt, ut omnis opinio minuatur, ut pontificia auctoritas elangueſcat neceſſe eſt. Suberit extemplo Summus Pontifex vel uniuſcujuſque plebeji hominis cenſuræ. Alius ritus non recte a majoribus ordinatos redarguet: alias non obſervatas traditiones objiciet: alius morem cultumque ſacrorum perperam interpretabitur: alius geſtus deridebit & ſubſannabit. Et cum anteceſſores tui conſueverint, *pro tempore, pro loco, pro neceſſitate ceremonias quandoque mutare*, non erunt Summi Pontifices ſui arbitrii, neque ſine vulgi murmuratione id exequi poterunt, utcumque res familiari cognitione in contemptum adducent. Quod ne fiat, non minus curandum a Nobis, qui vero lumine fidei illuſtramur, quam curatum ſit olim *a gentilibus in ſuis ſuperſtitionibus, quibus quaſi peculiaris mos, omnibus arcana ceremoniarum nec velle, nec audere in vulgus edere*, aſſerentibus non licere profanis noſſe deorum myſteria, ſemper fuit: in quibus nulla major quam fides ſilentii deberetur. Quod ut cætera innumerabilia taceam, quæ circa hæc a Macrobio, Apulejo, Valerio, Plutarcho, ac cæteris antiquis auctoribus referuntur; memoriæ traditum eſt, Tarquinium

Regem, M. Tullium quod librum ſecreta civilium ſacrorum continentem, cuidam Sabino deſcribendum dediſſet, Colſo inſulam in mare abjici juſſiſſe. Quod ſi apud eos tanto ſupplicio libri ſola deſcriptio vindicata eſt, qua pœna apud Nos erit afficiendus, qui non ſolum ſacra deſcripſerit, ſed etiam deſcripta corruperit, ac corrupta divulgaverit? Adde quod ille triumvir illis eisdem ſacris præerat, licebatque illi eundem librum legere & attrectare; hic noſter ab omnibus ceremoniis alienus, ex ſacris penetralibus furto librum hunc ſurripuiſſe facile credi poteſt. Nam cum INNOCENTIVS VIII. ſumma induſtria collectas in hunc librum ceremonias, non ignorans quam retinenda & occultanda forent ſacrorum arcana in palatii ſacrario, ac interiori Bibliotheca magna cum diligentia obſervanda repoſuiſſet, ut inde per illos tantum, qui præeſſent, quando opus eſſet, incorrupte haurirentur, idque hucusque obſervatum fuiſſet: quomodo ad hujus manus pervenerint, non liquet ſatis. Illud certiſſimum eſt, quod hic novus homo, & modo ſacris initiatus, unus inventus eſt, qui quod nemo alius etiam inter ſacras ceremonias educatus unquam auſus fuiſſet, auderet non ſolum librum hunc in profanas manus edere, ſed etiam multa ſubtrahere, nonnulla addere, quæ plurima immutate & corrumpere. At dicat ipſe obſecro, ubinam iſtas ceremonias, quas immutabat, didicerat? quo auctore, quo magiſtro, qua facultate nitebatur? nam ſi liber ipſe ceremonialis a Sede Apoſtolica approbatus jus & legem facit, *ut in Clementinis tit. de jurejurando* ſancitum eſt, & nulli præterquam Principi licet, ea quæ juris ſunt, immutare: qua audacia hunc impulſum dicemus, ut cum ſecundum conſtitutiones nomen adhuc ſuum neſciret (appellavit enim ſe ubique electum Archiepiſcopum, cum electum tantum appellare debuiſſet, nec licebat ante pallii aſſumtionem quemquam Archiepiſcopum nominari) hanc juris

juris mutationem ſibi licere putaret? Deſcribebat profecto bonus vir, quod minime intelligebat. Si enim eadem non ignoraſſet, neque ambulaſſet in tenebris, non poſuiſſet *ſiniſtram* pro *dextra*, non *fidelem* pro *filialem*, non particulas *negativas* aut *disjunctivas* aliquando omiſiſſet, quæ ſenſum perverterent aut depravarent: non præteriiſſet *fanones, vexilla, colores*, collegia, nec immutaſſet *juramenta, benedictiones, unctiones*, & cætera quæ de ſubſtantia ſunt, & characteres imprimunt, quæ nullo pacto immutari debent aut poſſunt. Sed quid in his moror, *ad mille* & *ſupra*, B. P. *corruptiones* enumeravimus in libro hoc ſuo nuper impreſſo, dum illum cum exemplari protocollo *Pientini præſulis*, veri auctoris, contulimus. Nec verbis noſtris fidem habeat S. V. librum ipſum quem protuli intueatur. Signata ſunt loca aut aſteriſco, aut linea, aut litura. *Nulla prorſus pagina errore vacat*. Quæ omnia non minus pro pietate tua erga Deum reprobare & repellere debet S. T. quam pro tua juſtitia curare, ne defuncto eidem præſuli Pientino, viro doctiſſimo, ac de Sede Apoſtolica bene merito, vis & injuria inferatur, ſuisque vigiliis, ſuo nomine ſpolietur, ac ſuo honore privetur. Is cum plures annos magiſtratum ceremoniarum egregie & ſcite exercuiſſet, ab INNOCENTIO VIII. prædeceſſore & affine tuo ab hujusmodi magiſtratu vocatione accepta, eisdem tamen ſtipendiis *Senas*, tamquam in ſeceſſum literatorium, *ad Romanæ Eccleſiæ ceremonias in librum* hunc colligendas miſſus eſt. Laboravit *triennio* vir gravis & ſummæ experientiæ: demum incredibili ſtudio, & exacta diligentia abſolutum librum ejusdem Pontificis nomini antepoſitis ſuis epiſtolis dedicavit, contentus vel eo nomine, quod apud poſteros non auctor, ſed quaſi collector aut compilator ſacrarum ceremoniarum diceretur. Nec exiſtimavit bonos pater aliquem ſuo tantum nomini invi-

Digitized by Google

ſurum. Sed o mores hominum! non erubuit ſub tuo Pontificatu electus ille Corcyrenſis ejus patris, cujus potius debuiſſet obſervare memoriam, abradere nomen & epiſtolas, ac ſuas ita inſerere, ut ſe libri hujus ceremonialis auctorem credere ſecutura poſteritas crederetur. Quis enim in hoc libro nuper impreſſo præterquam unus CHRISTOPHORUS MARCELLUS nominatur? Quodnam *Pientini præſulis* auctoris, aut alterius cujusvis legitur nomen? Quin etiam ſubtraxit iſte, qui tam impudenter alienos ſibi labores vindicat, verba illius optimi patris, quibus in capite de clericis ceremoniarum imperfectionem ſuam excuſabat; dicentis inter alia: *utinam tam bene officium meum ſuſtinere ſciviſſem, cum in eo fui, quam bene imperfectum meum cognoſco.* Eat igitur, etſi non dolo, non fraude id feciſſe autumer, dicat ſe ſuas epiſtolas ad ornamentum tantum appoſuiſſe, non ut laudes alienas uſurparet. Sed interrogetur obſecro, cujusnam ſit illa lucubratio, quam adeo efficaciſſimis verbis a S. T. accepi in prima epiſtola efflagitat? utrumne intelligat breves epiſtolæ ſuæ, an totius operis lucubrationem? Interrogetur, inquam, a quo abſoluta maxima pars operis videri poterat, cum tot & tanta priore libro peregerit, ut ipſa altera epiſtola ampullarum, vel a quo ultimus abſolvitur liber, ut ejus verbis utar. Putabatne ſimplex vir, dum opus alienum ad verbum tranſcribebat, futurum, ut nunquam in furto deprehenderetur; an id magis ingenium fortaſſe opinabatur, quam mutum reddere, vel fateri, per quem profeciſſet? An exiſtimabat potius tantum opus, paucis admodum immutatis verbis & rubricis, ita ſuum fieri, ut veri auctoris nomen penitus aboleretur; Primum ſe omnium hæc ad uſum & voluptatem communicaſſe commemorat. O egregium opus! o laborioſam concinnationem.

Exe-

Digitized by Google

Exequias juſte emendavit; *albam*, album; *genuflexum*, ſupplicandum; *officiales*, magiſtratus; *pileum*, galerum concinnavit. Pro *lignis*, tignis ſuppoſuit: pro *cuſino* pulvino; pro *bacili*, vaſe; pro *perfectis*, peracta; pro *platea*, aream; pro *armis*, inſignia; pro *rubeo*, purpureum inſeruit. Hæc & hujusmodi ſunt frivola quidem & inania, quæ iſte ſuis ſesquipedalibus verbis ſe concinnaſſe jactat; ac ſi pura, nuda, clara & ſimplicia non magis religio expoſceret, quam iſta verborum lenocinia. At ſi concinnaturus erat, cur non omnia concinnavit? cur non eodem ubique modo, pro Papa, Pontificem, pro proceſſionibus ſupplicationes ſubegerit? modo easdem dictiones reliquit intactas, tanquam pertæſus etiam longam concinnationem eorum librorum, quorum auctor haberi volebat. Quid? quod ubique nomen & excuſationem ac epiſtolas autoris deleviſſet. Non delevit etiam hoc juramentum FRIDERICUS III. Imperator, qui adhuc regnat, dum *Senis eſſet*, præſtitit. Quid & illud intactum reliquit? Ceremonias in coronandis regibus ſervandas *in libro Pontificiali, quem nuper emendavimus, plene conſcripſimus:* ut in altero ſcil. dolus & mendacium appareret, defuncto jam diu imperatore; in altero furtum confiteretur. Niſi mallet geminare Pontificalem librum illum, ita ut hos fecit ſibi attribuens. Præteriit ultra hæc multa his non minora ſive negligentia, ſive ut omnia pariter confunderet. Nam & ſe interfuiſſe coronationi ejusdem imperatoris, & vidiſſe Cardinales *Nicenum* & *Atrebatenſem*, ac ſerviſſe PIO II. per annos plurimos, & ſuo tempore nullum Romanum Pontificem præter SIXTUM IV. conſecratum ſatis impudenter autumat, ac ſi dicat nec PIUM III. nec te LEONEM X. noſtro tempore fuiſſe conſecratos. Quæ cuncta ut primo auctori apprime conveniebant, ita huic ſuppoſititio & ejus libro omnem fidem adimunt. Aut enim illa non erant

amo-

Digitized by Google

amovenda, aut hæc quoque cum illis abradenda fuerunt, ut concinnatum undequaque opus videretur. Aſt o ſi ipſe Pientinus auctor revertatur, & nunc ſua jura repoſcat, nonne iſte operoſus concinnator, tamquam Horatiana cornicula, alienis omnibus pennis deplumatus, cum ſuis tantum corruptionibus remanſurus eſſet, futurusque omnibus ludibrio; At putabit forte ea ſibi licere, ſi epiſtolas ſuas cum a ſe concinnato opere ad S. T. direxiſſet, ejusque ſacratiſſimo nomine culpam ſuam pertexiſſet, eos imitatus, qui ut impune furati ſint, furta magiſtratibus elargiuntur. Sed non vidit ingenioſus in alienis operibus auctor, quantum Beatitudinem tuam offenderet, dum tamquam inanis gloriæ nimis appetentem eam in locum abraſorum nominum ingerit, ſuique criminis participatione coinquinare contendit, non ſolum invidis & malevolis cauſam contra eam invehendi præbet, ſed etiam ejus ſucceſſoribus abradendi LEONIS ſanctiſſimum nomen cum tua ignominia, ac cum laude ſua auctorum nomina reſtituendi materiam relinquit. Quod ſi his, quæ maxime Sanctitatem tuam movere deberent, non moveris, *ſanctiſſime Pontifex*, nec afficit te contemptus Apoſtolicæ Sedis, ac Pontificiæ dignitatis, qui ex hac arcanorum invulgatione illico irrepturus eſt, moveat te quæſo tua erga Deum pietas, nec eam una cum ipſis ceremoniis ab iſto inſolenti jactatore corrumpi patiaris. Moveant te *Pientini Epiſcopi* manes ſui labores, ſuæ vigiliæ jura repoſcentes. Moveat te demum INNOCENTII VIII. prædeceſſoris tui affinisque memoria, cui tu tantum debes, ut fortaſſe nemo magis. Is enim ſuum abs te, tum jure affinitatis & gratitudinis, tum æquitatis & juſtitiæ reponi petit. Is librum ſuum integrum & incorruptum deſiderat, & in arcanis reſervari, ut vivens inſtituit, efflagitat.

Obſe-

Digitized by Google

Obſequere eorum umbris, *beatiſſime Pater*, tam juſta, tam pia, tam ſancta, poſtulantibus; &, quæ tua juſtitia eſt, rejecto & exploſo etiam ſub anathemate, iſto impudenti uſurpatore cum ſuis corruptionibus, libros ſuis auctoribus reſtitue. Futurum eſt enim, ut plus veræ laudis, plus gloriæ adeptura ſit S. T. in eorum nominibus reponendis, quam ſi quodlibet egregium opus a vero auctore ſibi dicaretur.

Hanc epiſtolam cum in manibus Papæ dediſſem, legiſſetque libenter & avide, & acceptaſſet rationes & argumenta, in ea per me allegata; verſus ad Cardinales aliquos, qui ſibi forte adhærebant, dixit, me rationem habere ſuper petitionibus meis: & librum ceremoniarum nuper *impreſſum omnino comburi, ſimul cum falſo auctore,* ſicut poſtulaſſem, aut ſaltem ipſum auctorem corrigi & caſtigari omnino debere, prout præſentibus videretur. Itaque ad primum conſiſtorium rem & cauſam differre, ut in ipſo Conſiſtorio proponerem, prout propoſui audientibus omnibus; & tandem Papa mandavit tribus Cardinalibus, videlicet R. D. ANTONIO DE MONTE, *tit. S. Praxedis*, & D. PETRO DE ACCOLTIS, *S. Euſebii Anconitano*, & D. ACHILLI DE GRASSIS, *S. Sixti Cardinali Bononienſi*, protectori officii ceremoniarum, fratri meo, ut petitiones meas ad partes plenius intelligerent, & me, prout juris fuerit, ac ſibi videretur, expedirent, tam ſuper libro comburendo, quam auctore caſtigando, & ad Urbem citando perſonaliter & comparando. Itaque quid ſequetur, hic etiam ſucceſſive adnotabo.

Digitized by Google

EXCERPTA

Ex

PETRI MONNODI trattato del titolo Regio dovuto alla Ser Caſa di Savoia, inſieme con un riſtretto delle revolutione, del Reame di Cipri. Tor. 1633. fol.

Pag. 57.

Anzi ne' regiſtri di Papa BENEDETTO XII. ſi trova una Bolla data alli ſei di Aprile del 1339. in favore del Conte *Aimono*, Padre del Conte Verde, nella quale dichivra il Pontefice, che trovandoſi il Conte di Savoia preſente alla coronatione del Papa dovra egli tenere *il primo luogo* dopo li Rè e ſe non vi ſerà che un Rè, bara queſti alla dritta, & il Corte di Savoia alla ſiniſtra. *Ipſum D. Papam cum de coronatione exibit per Franum, ducet Comes Sabaudiæ, niſi Reges ibidem fuerint eum ducentes; unico tamen Rege ad hoc præſente & ducente, idem D. Comes ab altero latere Papam ducere debebit.* In fatti che i Prencipi di Savoia haveſſero la precedenza in Roma ſopra tutti gli altri d'Italia, ne fanno fede i Regiſtri autentici delli Maeſtri di ceremonie ne' quali ſi trova l'ordine de' Duchi. Nella libraria del Cardinale SIRRETTO, vene ſuo due aſſai antichi. PARIDE de GRASSIS Maeſtro di ceremonie di Papa GIULIO II. e LEONE X. nel ſuo diario lo mette parimente nel modo che ſegue:

ORDO DUCUM.

Dux Britanniæ.
Dux Burgundiæ.
Dux Bavariæ, Comes Palatinus.
Dux Saxoniæ.

Mar-

Digitized by Google

Marchio Brandenburgenſis.
Dux Auſtriæ.
Dux Sabaudiæ.
Dux Mediolani.
Dux Venetiarum.
Dux Bavariæ.

Duces Franciæ, Lotharingiæ.
Dux Borboniæ.
Dux Aurelianenſis.
Dux Genuæ.
Dux Ferrariæ.

Pag. 67. ad Ann. MDXV.

Seſſione decima in Lateranenſi concilio dixit Papa LEO X. quod vellet intelligere de Sabaudis & Venetis ac Mediolanenſibus, quis eſſet tam de jure noſtro, quam de conſuetudine major, & quid faciendum mihi videretur, ut omnes iſti Oratores ſimul in Seſſione eſſent, & ſine controverſia manerent. Reſpondi, de jure noſtro eſſe, prout patet in *libris Cameræ ac Cancellariæ, & noſtris libris, quod* DUX SABAUDIÆ, eſſet *primus* in ordine, & DUX MEDIOLANI eſſet *ſecundus*, & denique DUX VENETIARUM eſſet *tertius*. Quod cum novum ac mirum videretur Papæ prima facie, non credidit mihi, ſed ego allatis libris oſtendi ſic eſſe in ordine ſcripturæ, quæ in talibus deciſionibus attendenda eſt. Verumtamen addidi, aliter in obſervatione eſſe, videlicet, quod DUX MEDIOLANI ſponte olim ceſſit VENETIS, ſed non vult deferre & cedere Sabaudiæ Duci, nec minus Venetorum Dux, unde controverſia ſemper fuit, & eſt, inter hos, & ne ſcandala intervenire poſſent inter eos conſueviſſe Pontifices aliquo

Rrr 2 modo

Digitized by Google

modo obviare, ut eſt, quod Papa rogari faciat hunc & illum ad non comparendum tali die in tali actu, quia alter cum altero Oratore non habet cauſam rixæ. Quod ego ſæpe feci tempore JULII; & legi, ſic etiam factum fuiſſe ſub ALEXANDRO & PAPA; voluit videre tales libros, quos ego oſtendi ſibi præſertim de ſimili caſu an. 1493. *die prima Januarii in vigilia S. Trinitatis,* quia ibi ALEXANDER rogare fecit Oratorem Venetum, ut tunc abſtineret, quia Sabaudiæ Orator paucis diebus eſſet in urbe manſurus &c. Et ſic fuit, & propterea mihi impoſuerat, ut idem dicerem Oratoribus, Veneto & Mediolanenſi, qui erant parati obedire, ſed tandem concluſum fuit, quod omnes Oratores ſimul irent in loco ſolito, ſed Sabaudi eſſent facientes medium magnificum Julianum Papæ fratrem, & tunc Capitaneum Eccleſiæ, quaſi eſſent una copia, & placuit omnibus, & ita factum fuit, quoad eundum, in ſedendo vero in loco ſeſſionis in latere dextro, inter omnes Oratores alii ſedentes more ſolito, ſed quatuor Sabaudi eſſent in latere ſiniſtro ſocii, quod ſi Conſervatores ibi veniſſent, Papa vocaret eos ad gradus ſolii ſui, ſed ego providi: quia poſui duo ſedilia longa, & in uno, quod eſſet propinquius Diaconis Cardinalibus, ſederunt Sabaudi, & in alio ſederunt Conſervatores cum Baronibus Romanis, & ſic omnia bene facta ſunt. PARIS de GRASSIS in diario LEONIS X. *ad ann. 1515. pag. 105.*

FASCI-

FASCICULUS
RERUM HISTORIAM AC STATUM CURIÆ ROMANÆ,
QUI INPRIMIS SECULO XVI. FUIT, ILLUSTRANTIUM, CONTINENS

I. LUCÆ HOLSTENII notas ad Pontificale Romanum.

II. EXCERPTA, quæ a ſummis Pontificibus, aut ſacris conciliis decreta ſunt circa vitam ac mores Romanæ Eccleſiæ Cardinalium.

III. NARRATIO HISTORICA, quo pacto urbs Roma 6. d. Maj. anno MDXXVII. ab exercitu *Caroli V.* oppugnata, capta, direpta & vaſtata fuit, cum ORATIONE habita in Senatu Romano, prælectis literis a *Carolo V.* ad eundem ſcriptis.

IV. INSTRUCTIO PAULI III. data THOMÆ CAMPEGIO, Epiſcopo Feltrenſi, & aliquibus doctis Viris, cum eo in Germaniam ituris. Romæ 5. *Octobr.* MDXL.

V. EXTRACTUS PROCESSUS, contra Cardinalem CAROLUM de CARAFA, imperante Pio Papa IV. inſtitutus.

VI. MEMORIALE CARDIN. BELLARMINI, ad CLEMENTEM VIII. continens res, quæ Pontifex reformare debeat.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD LECTORES.

PRimum in præſenti faſciculo locum dedimus *obſervationibus ac lectionibus variantibus*, quas ex PONTIFICALI ROMANO eruit LUCAS HOLSTENIUS, prout teſtatur exemplar manuſcriptum, ex quo hæc excerpta deprompſimus. Videbantur ea ad præſens inſtitutum, verſantibus nobis in recenſione præcipuorum aulæ Romanæ ritualium librorum, bene referri potuiſſe. Non ultimus inter illos eſt PONTIFICALE, qui liber ceremonias ac ritus in Præſulum Eccleſiaſticorum muneribus ſervandas exhibet, magnique ſemper in Romana Eccleſia æſtimatus eſt. Jam INNOCENTII VIII. ætate emendatio hujus libri ab AUGUSTINO PATRICIO ſuſcepta fuit, de quo ſuperius, in *diſſertatione præliminari de Autore Diarii & libri ceremoniarum* §. 8. pluribus actum. Reviſio ejusdem Pontificalis facta autoritate CLEMENTIS VIII. qui ſingulari conſtitutione Romæ anno MDXCVI. edita, cavit, nullo unquam tempore in toto, vel in parte mutandum, vel ei aliquid addendum, aut detrahendum eſſe, ac quoscunque, qui pontificalia munera exercere, vel alias, quæ in dicto Pontificali continentur, facere, aut exequi debent, ad ea peragenda, & præſtanda ex hujus Pontificalis præſcripto & ratione teneri. Repetiit hanc ſanctionem URBANUS VIII. anno MDCXXXXIV. lata nova conſtitutione, in qua a nonnullis Cardinalibus, & aliis Viris doctis accuratiorem recenſionem libri factam fuiſſe refert, addita lege, ne extra urbem Pontificale aliquis typis excudere, aut evulgare audeat, niſi facultate in ſcriptis accepta ab Inqui-

ſito-

Digitized by Google

rum reſpondeant: nihilominus jucundum erit, priſcam hujus dignitatis ſimplicitatem ac ordinem intueri.

III. Exhibemus tertio loco, *Narrationem hiſtoricam expugnatæ ac direptæ urbis Romæ ab exercitu* CAROLI V. Triſte ac lugubre factum, cujus vix recentiora ſecula ſimile viderunt aut memorant. Reperiuntur triſtiſſimæ hujus cladis variæ relationes. Duas inſeruit SIMON SCHARDIUS *tomo ſecundo collectionis ſuæ Scriptorum Germanicorum.* Altera edita a JOACHIMO CAMERARIO, quæ ab *A. Palæoſpyro* ipſi transmiſſa erat: altera etiam a *Schardio* producta, eodem volumine legitur. Alias lingua Italica ſcriptas, recenſuit *Celeberrimus* FABRICIUS in *centifolii Lutherani parte altera pag. 581.* Germanico idiomate conceptam, & a reliquis variis modis diverſam conſervavit GOLDASTUS in politiſchen Reichs-Händeln, *Parte XII. num. VIII. pag. 443.* quam ex biographia GEORGII FRUNSBERGII erutam ſuſpicamur. Ea vero, quam hoc loco exhibemus, & reliquis circumſtantiarum narratarum copia præſtare deprehendimus, primum in lucem protraxit CASPAR BARTHIUS, atque cum *Petri Aretini Pornodidaſcalo,* Francofurti an. MDCXXIII. impreſſo publicavit. Seorſim excuſa eſt *Francofurti,* ſumtibus *Joannis Ammonii,* anno 1627. ex qua editione præſens quoque deſcripta. Adjecimus orationem, quæ in Senatu Romano habita fuit, occaſione literarum, quas CAROLUS V. ad Senatum Romanum ſcripſerat, ut culpam direptæ urbis a ſe declinaret. Habita illa fuit ſine dubio a Viro maximæ apud Romanos autoritatis; ex ea patet enim, autorem brevi ante illud excidium publico nomine ad Cæſarem in Hiſpaniam miſſum fuiſſe. Cæterum acerbiſſimum dicendi genus, invectivæ injuriæ, quas late ſpargit, immemor reverentiæ Cæſari debitæ, ab editione nos deterrere potuiſſent: niſi condonandum aliquid eſſet dolori, qui in eam animum abripuit impo-

Digitized by Google

tentiam, ut ſui oblitus tam virulenta verba in Imperatorem, Nationemque evomeret Germanicam, quæ tamen ab homine privato, & in furorem quaſi acto dicta, Majeſtati Cæſaris, & Gentis gloriæ nihil derogare poſſunt. Interim cum calamitates & circumſtantias iſtius temporis vivide exprimat, varia ſingularia, & hactenus incognita referat: operæ pretium omnino videbatur, eam publicæ exponere luci. Non confundenda autem hæc eſt oratio, quam ex manuſcripto damus, cum JOANNIS STAPHYLÆI *Sibarienſis Epiſcopi* oratione, quam ad Rotæ Auditores d. 15. Maj. anno MDXXVIII. direxit, a JOH. WOLFIO *tom. 2. lection. memorabil.* SCHARDIO *tom. 2. Script. German.* GOLDASTO *in politicis imperialibus Part. 22. pag. 1020.* recenſita, nec cum alia oratione, quæ ab iisdem autoribus P. M. Profeſſori publico adſcribitur, in quibus æque modeſtiam ac animi moderationem deſideres, nihiloſecius aliquoties in Germania recuſæ fuerunt.

IV. Comparet ſub *quarto* numero INSTRVCTIO PAULI PAPÆ III. THOMÆ CAMPEGIO, *Epiſcopo Feltrenſi, Legato Pontificio* in Germaniam cum aliquibus doctis Viris ad Colloquium, ex decreto Conventus Haganoici Wormaciæ habendum, ituro. Quam ægre huic colloquio annuerit PAULUS III. refert SARPIUS, *in hiſtoria Concilii Tridentini Lib. I. p. m. 81.* neque diſſimulavit PALLAVICINI *in hiſtoria Concilii Tridentini lib. 4. cap. 12.* Sunt autem ejusmodi inſtructiones, ſive mandata, genuini indices animi, deſiderii ac votorum mittentium, & quandoque arcana recludunt conſilia. Sunt & alia ſimilia ſcripta ad manus, quæ recentiora reſpiciunt tempora. Inprimis inſtructio Cardinali CARAFFAE, Nuncio Pontificio anno MDCXXIV. data, Coloniam tunc petenti: nec non Inſtructio Cardinali GINETTI, anno MDCXXXVI. Coloniam, pacis univerſalis tractandæ cauſa, miſſo tradita, quæ non parum ad illuſtrandas res germanicas

nicas

Digitized by Google

nicas iſtius ævi faciunt: ſed ab illis divulgandis, variis moti rationibus, abſtinuimus.

V. Ordo tangit aliud monumentum Hiſtoriæ Romanæ, nempe EXTRACTUM PROCESSUM, contra CARDINALEM CAROLUM de CARAFFA, cujus triſtia fata ſatis nota ſunt. Accuſabatur graviſſimorum delictorum, inprimis quod dolo ac fraude PAULUM Pontificem ad belli conſilia induxiſſet, imo belli ipſius occaſione, ad quosdam inviſos ſibi, inſontes abuſus eſſet. Numerantur in præſenti ſcripto undecim crimina, quorum Cardinalis reus agebatur, in quibus diluendis atque refellendis occupatur Autor hujus libelli, Cardinalis defenſorem agens. In illo non tantum multa leguntur, quæ ad hiſtoriam Pontificatus PAULI IV. faciunt, verum etiam procedendi ac inquirendi modum contra Purpuratos in Curia Romana degentes egregie illuſtrant. Non enim ab inquiſitionis infamia, neque pœnis immunes eſſe Cardinales, minime obſtantibus eximiis privilegiis, quibus a Pontificibus ornati, plurima teſtantur exempla, inter quæ Proceſſus contra CAROLUM & ALFONSUM, Fratres de CARAFFA, autoritate PII IV. inſtituta referri meretur. Id unicum cardinalitiæ dignitati conceſſum, ut de illorum capite Cardinales inquirerent, quorum octo nominati, qui quæſtioni præſiderent. Lethalem tulit ſententiam CAROLUS, ab ipſo Pontifice decretam. Executionem funeſti decreti retulit ſequentibus GRATIANUS in libro *de caſibus Virorum illuſtrium*, quæ hic excerpere non piget. Ad Carolum, inquit, dormientem intempeſta nocte, patefactis repente cubiculi foribus, adierunt miniſtri rerum capitalium, atque ipſo ingredientium ſtrepitu expergefacto, & quid hoc rei eſſet, quærenti mortem indicant, duabus modo horis ad componendum animum conceſſis. Securus de ſalute, ac tantum de libertate anxius Carolus fuerat, eum inexſpectata res vehementius perculit. Fertur primo

mo atroces edidiſſe clamores gemitusque, & Philippi perfidiam Coſmique incuſans, proditores eos ſuæ ſalutis appellaſſe. Deinde ſumptis veſtibus, & corpori circumdatis, exiliens lecto, inambulare cœpiſſe, vultu oculisque adeo trucibus, adeoque immane gemens fremensque,ut, qui circumſtabant, magnopere terrerentur. Pluribus per iram & crebros queſtus confectis, & repetitis ſpatiis demum deferveſcente paulatim, ac reſidente animi æſtu, & uno miniſtrorum abeuntis temporis, quod breve præfinitum eſſet, receptum animum tandem morti accommodavit. Admiſſo Sacerdote, delicta ei ſuo ex more eſt confeſſus, veniaque accepta, rite eo ſe ſacro procuravit. Sumpto inde quotidianarum precationum libello, abjiciens ſe in terram, ad dimidium horæ tacitus legens, ac ſæpe pectus ſuum pugno pulſans, ſigna dedit placantis ac propitiantis Deum. Poſtremo allata in ſella conſedit, ſeque juſſæ mortis exactoribus permiſit. Tum carnifex propere laqueum collo injecit. Verum dum conſtringere, ac peragere rem æquo plus feſtinat, ſeminecato jam eo, frangitur laqueus, qui dum nectitur iterum, componiturque, audita Caroli vox, ſceleſtum increpantis, atque haud dubie eo caſu commotum obluctantemque cum morte, ſudario in os injecto, faucibus obſtructis laqueo, manu linteo ægre confecit. Ita Carolus iterato ſupplicio, duplici pene morte eſt necatus. Corpus mane ſummo in D. Mariæ Transpotinæ fanum illatum ac terræ mandatum eſt.

VI. Addimus MEMORIALE Cardinalis BELLARMINI ad CLEMENTEM VIII. cum ejus Reſponſionibus: in quo non pauci abuſus curiæ Romanæ notantur. Illud nondum typis exſcriptum obſervavimus, dignum quod imprimeretur. Hisque finem præſenti collectioni imponimus, reliqua, quæ in lucem quoque produci merebantur, in aliud tempus reſervantes.

II. LUCÆ

I.

LUCÆ HOLSTENII NOTÆ AD PONTIFICALE ROMANUM, ROMÆ ANNO MDXCV. EDITUM.

Pag. 2. Ad verba: *Nullus præſentet niſi unum aut duos, non plures.* Quid in villis oppidisve?

\- 5. Oratio, *Deus, qui Apoſtolis tuis dediſti Spiritum*, &c. dirigitur ad Chriſtum, ut ex concluſione patet, *qui cum Patre* &c. at in miſſali & breviario feria II. Pentecoſtes tribuitur Deo Patri.

\- 10. Ordinandi debent ſe præſentare cum candelis accenſis, *dele* accenſis.

ibid. de ordinatione extra tempora, *adde*, in dominicis & tempore paſchali non dicitur *flectamus genua.*

\- 11. Legitur mandatum apoſtolicum, *an ſufficiat ante primam ordinationem?*

ibid. adde: ſi in ſabbatho quatuor temporum fiat officium de feſto duplici, miſſa ordinationum erit de feria ſine commemoratione feſti.

\- 14. Oremus fratres cariſſimi &c. oculos eorum *aperiat* an legendum *eripiat.*

De Exorciſtis.

\- 26. In oratione, Deum precemur omipotentem &c. per unigenitum filium *ſuum*, lege *ejus.*

\- 36. In fine Litaniarum, an ſuper unum Subdiaconum dicantur tres illæ preces, ut hunc electum benedicere, ſanctificare, conſecrare &c. Vide benedictionem Abbatis *pag. 146. ed. pr.* & *pag. 118. ed. nov.* ubi duplex †.

\- 38. In imagine demendæ ſunt ſtolæ diaconales a tangentibus calicem delendæ.

Digitized by Google

De Diaconis.

Pag.44. Oremus fratres chariſſimi additur † in voce bene † dictionis, ſicut in aliis ordinibus, niſi ſufficiat in fine ejusdem orationis. Sed in concluſione pro *filium ſuum* lege *ejus.*

- 52. Et miniſter flectamus genua, lege, *miniſtri*, ut ſupra. Correctum hoc in editione noviſſima *pag.42.*
- 54. *ed. nov.* In imagine ſint extinctæ candelæ.
- 57. *col.2. l.3.* ne nos *lege* nec vos *lin.7.* nobis *lege* vobis.

ibid. in imagine ſtolæ, ne ſint ſacerdotales.

- 65. Qua ratione complicatur planeta ſuper humeros?
- 66. Veni Creator Spiritus &c. ut in breviario.
- 67. In imagine manus non ſunt ligatæ, uti debent, & deeſt hoſtia in patena.

ibid. duplex lotio manuum Epiſcopi conſideratur, vide pag.96. verſ.14.

- 69. Miſereatur &c. *dele* omnibus.
- 70. Indulgentiam &c. *dele* omnium.

ibid. Corpus &c. cuſtodiat te, *lege* animam.

ibid. Quilibet R^t. Amen. negatur in Rituali.

- 73. Et vitam æternam *dele.*
- 74. Nocturnam talis diei, caractere ruffeo.
- 75. An tres Miſſæ poſt primam oratio? & aliquando contra rubricas?

De Conſecratione Epiſcopi.

- 78. In imagine duo aſſiſtentes non ſedent, uti debent.
- 83. Ejusque Vicario D.N. *dele* & lege ut ſupra in juramento *pag.79.*
- 89. Col.2. lin.4. inferiori *lege* interiori.
- 95. In imagine caput electi cinctu ligandum.
- 102. Pſal. Ecce quam bonum &c. cum interpretatione breviarii.
- 106. In imagine deeſt conſecrato manipulus.

Pag.

Digitized by Google

Pag.107. Accipe Evangelium &c. conſideranda concluſio de Deo.
- 108. In imagine ſtare debent aſſiſtentes.
- 111. In imagine qui tenent librum, deponant pluviale.
- 114. Deus omnium fidelium &c. Eccleſiæ tuæ præeſſe voluiſti &c. vox nimis ampla.
- 118. In imagine abſint aſſiſtentes Epiſcopi, nec ſedere debet Epiſcopus imponens pallium, ut dicitur etiam *in Ceremon. Lib. I. c. 16.*
- 122. Dominica in Albis utitur pallio non *in Ceremoniali.*

In Conſecratione Eccleſiarum & virginum ut in Ceremoniali.

At in aliis feſtis B. Mariæ cum Caſtallo 150.

De Benedictione Abbatis.

- 128. Pſal. Magnus Dominus cum punctis Breviarii. Miſerere &c. Ecce quam bonum &c.
- 139. 7. Pſalm. ut in Breviario.
- 147. Qui Moiſem famulum tuum ad gubernandas Eccleſias præpoſitus inſtituiſti.
- 150. Sanctifi † catione videtur delenda † ne amoveantur manus Epiſcopi juxta rubricam.
- 157. Baculo Abbatis debet addi velum dependens, ſeu ſudarium in Imagine.
- 160. Bis dicitur de Epiſcopo, quod dat in fine benedictionem ſolemnem, dele quod primo dicitur.
- 162. Annulo Pontificali *lege* Abbatiali.
- 166. Pſ. Exurgat Deus &c. ut in Breviario.
- 180. Deus cui omnis &c. da error typographiæ.
- 214. In imagine ſint poſteriores ſine corona.
- 217. Scandalis non pareat. An, pateat?
- 222 In imagine duo tantum Epiſcopi comitari debent regem, reliqui ſedere cum Archiepiſcopo.

Pag

Pag.227. Inculcabilis. An conculcabilis 258.
- 243. In imagine deeſt corona capiti regis.
- 255. Et debet velari regina.
- 259. In imagine regina a Siniſtris ſit.
- 266. In imagine male Epiſcopus ungit.
- 281. In imagine Epiſcopus ſit ſine paramentis ſacris.
- 284. An mittatur ſal ter in aquam?
- 285. In imagine miniſtri non ſint in Albis, & in ſequentibus imaginibus, ut in dedicatione Eccleſiæ.
- 286. Quam dilecta, ut in Breviario.
- 289. Niſi Dominus ædificaverit &c. ut in Breviario.
- 290. Miſerere mei Deus &c. ut in Breviario.
- 293. Fundamenta &c. ut in Breviario.
- 288. Sculpit ſignum crucis in nomine Patris &c. notandum eſt ſemel ſignum crucis. *vide Rituale Rom.*
- 293. Flectamus genua; adde: niſi ſit Dominica vel tempus Paſchale, quod in ſequentibus obſerva.
- 295. Lætatus ſum &c. ut in Breviario.
- 297. Sane ſero, ſane veſperi.
- 298. Ad caput cujuslibet crucis. An ad pedes?
- 299. Quid ſi ſervire Eccleſiæ non poſſit?
- 300. In imagine an Crux deterenda? vide 342. & Rit. Rom. nulla mentio in præparandis.
- 302. Flectamus genua, adde niſi ſit Dominica vel tempus Paſchale.
- 312. Benedictus D. Deus Iſrael &c. ut in Breviario.
- 314. In imagine debet Epiſcopus ſcribere Græcas literas.
- 315. An neceſſario cum Eccleſia ſit Altare conſecrandum?
- 318. Commiſtio ſalis & cineris &c. an ibi notandæ 3. Cruces, vel una?

ibid. Commiſtio vini &c. eadem quæſtio. filium ſuum, lege ejus.

ibid. Judica me Deus &c. ut in Breviario.

Digitized by Google

Pag. 322. Sanctificetur † &c. in fine nomine Patris † adde, & de manu benedicit.
ibid. Quid ſi altare circuiri non poſſit.
- 327. Miſerere mei D &c.
- 328. Lætatus ſum &c.
- 329. Exurgat Deus &c.
- 330. Qui habitat &c.
} ut in Breviario.
- 346. Imago eſt diverſa a rubrica. vide 409.
- 349. Subdiaconus ſit ſine ſtola in imagine.
- 357. Cantate Domino &c. ut in Breviario.
- 359. In nomine Patris &c. an Crux unica?
ibid. Conſecratus &c. Unica crux pingenda. Imago ibi non eſt ad rem.
- 360. Conſecretur &c. ut in folio præcedenti.
- 363. Signetur &c. unica Crux.
ibid. Ab illo benedicaris. An trina Crux?
- 364. In imagine deeſt mitra capiti Epiſcopi.
- 366. Quam dilecta &c. ut in Breviario.
- 367. Sanctificetur &c. unica Crux.
- 369. Bonum eſt confiteri &c. ut in Breviario.
- 370. Sanctificetur &c. unica †
- 371. Eructavit &c. ut in Breviario.
- 373. Sanctificetur &c. ut ſupra.
- 374. Deus noſter refugium &c.
- 375. Fundamenta &c.
- 376. Lauda Jeruſalem &c.
} ut in Breviario.
- 379. Sanctificetur &c. ut ſupra.
- 391. In nomine Patris &c. an tres cruces?
- 393. Chrismati Chrismate, uti 434.
- 398. Deus Deus meus &c. ut in Breviario.
- 400. Ipſam viſitantibus. Ipſum vis.
- 410. Conſecretur &c. ut in præcedenti.
- 412. Signetur &c. ut 363.

Digitized by Google

Pag.414. Sanctificetur &c. ut 367.
- 416. Idem.
- 418. Idem.
- 419. Corde. Corda.
- 432. In nomine Patris &c. ut 391.
- 433. Imago non eſt ad rem.
- 441. Imago continet ſuperflua.
- 442. Imago debet habere Aram portatilem.
Sanctificetur &c. ut ſupra.
- 443. Imago non eſt ad rem.
- 445. Sanctificetur &c. ut ſupra.
- 446. Et ipſis perventis. Cum pervenerint.
- 447. Imago non eſt ad rem.
Sanctificetur &c. ut ſupra.
- 448. Sanctificetur &c. ut ſupra.
- 449. Conſecretur &c. ut ſupra.
- 453. Metalli materiem. Lapis eſt.
- 454. Lapideum metallum.
- 455. Quid quando plures aræ conſecrantur?
- 456. Imago habet Diaconum a Siniſtris cum ſtola male induta.
- 464. Et Lux honor. Lux & honor.
Pares & lux & auctor.
- 477. Expectantiſſimus judicatur.
- 492. Conſecrat &c. unica Crux.
- 494. Conſecrare &c. ut ſupra.
- 501. Agno † vincente. Cur Crux?
- 504. Cur in benedictione Crucis miniſtri cum Dalmaticis in imagine? In præcedente benedictione calicis ſine eis?
- 505. Pluviali alba.
- 511. In imagine deſiderantur Dalmaticæ miniſtris.

Pag.

Pag. 513. In qua urna autem Manna cæleſte cum tabulis teſtamenti &c. Vide an.
- 514. Virga Aaron in arca teſtamenti.
- 522. Commixtio ſalis & aquæ ut 284.
- 525. Sanctificetur &c. ut alias.
- 529. Ante Sonitum, ad Sonitum.

ibid. Cum Jordanis retroacta fluenta.
Pars cum Jordane retro & fluente fluent.
- 537. Ante Sonitum, ad Son. &c.
Evangelium ſecundum Lucam ut in Miſſali.
- 550. In imagine ſtola deeſt Confeſſariis.
- 551. Imago non concordat cum rubrica; dentur candelæ; ponit eſſe extinctæ.
- 556. Infra oſtium. Intra oſtium.
- 565. In imagine Epiſcopus debet junctis manibus ſtare.
- 570. Imago non habet menſam, ut in rubrica, & ibi poſita non eſt ad rem.
- 572. Imago reformanda ut præcedens.
- 573. Calicem ſeu vaſculum, dele ſeu vaſculum.
- 575. Thuriferarius in imagine debet præcedere, neque debent videri tria vaſa.
- 581. Imago deficit in multis.
- 585. Complacuiſſe, an complacuiſſes?
- 586. Cum oleo. Eum oleo.
- 594. Dele. Denunciant indulgentiam &c. Signat altare, adde, non.
- 600. Dele, tempori convenientibus, ſeu Evangelium ſecundum Lucam, ut in Miſſali, & 608 611.
- 602. In imagine ſedere debet Epiſcopus ad altare &c.
- 610. Per patres confirmantur non in diœceſim, & 603. ibidem nota.
- 621. Officio, beneficio, lege, & beneficio, de quo convinctus eſt &c. utrum ſuo loco dicatur?

Digitized by Google

Pag. 628. Non eſt etiam vis. Obſcura locutio.
- 640. Excommunicatus non eſt in ſuo habitu.
- 643. Cogitavit, an Cognovit?
- 662. Cantat orationem; adde cum Dominus vobiſcum.
- 663. Quem Eccleſiæ. Huic Eccleſiæ.
- 668. Erit juſtus; cur non ut ſupra: Erunt juſti?
- 669. Pervento, cum pervenerit.
- 684. Tertio quamlibet lecti partem, an 12. uti dicitur a parte ſua dextera incipiens. Cerem. Epiſcopus a parte dextera lecti, cap. 38. ſed cap. 11. concordat cum Pontificali.
- 692. Scrutinium. Scrutinium non eſt in uſu.
- 704. De barba tondenda.
- 705. De officio Pſalmiſtarum.

II.

EXCERPTA

QVAE A SVMMIS PONTIFICIBVS, AVT SACRIS CONCILIIS DECRETA SVNT CIRCA VITAM AC MORES ROMANAE ECCLESIAE CARDINALIVM.

Ex MARTINI QVINTI *Decretis, Anno ſui Pontificatus octavo.*

CARDINALES munditia vitæ alios præcellant, ac ſobrie, juſte, pieque vivant; non ſolum a malo, ſed a ſpecie mali ſe abſtineant, pœnam in aliorum exemplum ſubituri, ſi vitam ſuo ſtatui minime congruentem ducere comperti fuerint.

Humilitatem continue exerceant, Prælatosque benigne ac honorifice pertractent ſecundum diverſitatem ſtatuum eorumdem. Domui ſuæ ſe bene præeſſe oſtendant, familiamque tam Clericorum, quam Laicorum, honeſtam, honeſtisque

que veſtibus incedentem nutriant, Sacerdoteſque ac Levitas, in teſtimonium bonum ſecum habeant.

Protectiones Regum, Principum, Comitum, aliarumque perſonarum ſecularium non aſſumant: aſſumptaſque non exerceant, ut liberius ipſi *Sanctiſſimo* in conciliis ac aliis actibus valeant aſſiſtere.

Pro ordinum Religionum quorumcunque, aut perſonarum partium protectione nihil pecuniæ percipiant, etiam a ſponte offerentibus.

Nullas ſupplicationes ipſi Sanctiſſimo præſentent, niſi pro pauperibus, vel pro perſona ſua, ſervitorum, conſanguineorum vel affinium, vel familiarium ſuorum.

Non ducant ſecum ultra XX. familiares Equites Clericos, & Laicos continuos commenſales, cum ad Palatium equitant, vel ſe ipſos viſitant, aut alio in loco conveniunt.

Non portent in præſentia Papæ *Cappam*, vel aliam veſtem ſuperiorem coloris rubei.

Procurent reparationem Eccleſiarum ſuorum titulorum juxta poſſe ſuum in iis, quæ divinum cultum per Religioſos, devotos, ac honeſtos clericos perfici ac augeri faciant, ne ſanctorum loca, in quibus ipſi commode reſidere nequeant, per negligentiam deſerta remaneant.

In Eccleſiis ac Monaſteriis ſibi commendatis abſque excuſatione congruum numerum Canonicorum, vel Monachorum pro divinis officiis celebrandis habeant, ædificiaque, poſſeſſiones, & jura in ſtatu convenienti conſervent.

Ex Reformatione SIXTI IIII.

Cardinales dum ſunt in Capella, abſtineant ab indecenti riſu, & immodeſto motu; contrafacientibus ſit pœna ſola erubeſcentia.

Digitized by Google

Cardinales munditia vitæ, morum honeſtate, ac gravitate alios præcellant, habentes zelum Dei, fideles ac liberi in conſilio ſint exemplares, vigiles, ſoliciti, in divinis officiis peragendis, ac Miſſarum celebrationibus in cappellis eorum ſeparatis a locis communibus orationibus tantummodo dedicatis cum Dei timore in bonum exemplum, ac doctrina aliorum.

Familia, menſa, ſuppellex rerum & equorum numeroſitate, pompis, vel aliquo exceſſu irreprehenſibilis ſit, domusque, & quæ in domo ſunt, ita moderate ſint compoſita, ut alii non ſcandalum, ſed frugalitatis exemplum ab eis capere poſſint, illisque contenti ſint, quæ ſacerdotalem modeſtiam redolent.

Non permittant eorum lectos pannis ſericeis, vel laneis pretioſis circumornari, neque utantur mulierum figuris contextis.

Præſentes Cardinales per ſe: abſentes vero per Vicarium idoneum ſingulis annis titulos ſuos, clericosque, ac populum Eccleſiarum titulo ſuo ſubjectarum viſitent, & cum diligentia inquirant, & provideant pro cultu divino, bonisque ipſarum Eccleſiarum vitaque ac moribus clericorum, & parrochianorum, eosque dirigant, ac hortentur ad bene honeſteque vivendum.

Pro augmento cultus divini, ac ſalute animarum Cardinalium quilibet Cardinalis in vita vel in morte tantum titulo ſuo relinquat, ut ex eo ſaltem unus Presbyter commode ſubſtentari poſſit, conferatque in reparationem tituli ſui ruinoſi, quantum & facultate poſſunt, & liberalitate valent, pro cujus rei adjumento Pontifex ipſi titulo uniet aliqua beneficia ruralia, in terris Eccleſiæ conſiſtentia.

Non

Digitized by Google

Non mittant ſuos familiares ad nuntiandum promotiones factas Prælatis proviſis, nec pro commiſſionibus Eccleſiarum, aut ſententiis aliquid recipiant præter eſculenta & potulenta, ſecundum juris diſpoſitionem.

Pro proviſionibus Eccleſiarum non faciant relationes in Conſiſtorio, niſi aſſumendi ad Eccleſiam ſint illis qualitatibus dotati, quæ a ſacris Canonibus, & præcipue a conſtitutione Concilii Auctore ALEXANDRO III. requiruntur.

Cum ad Palatium equitant, aut ſe ipſos viſitant, vel in alio loco conveniunt, non ducant ſecum ultra XXX. equites familiares continuos commenſales, quorum XII. ad minus ſint in ſacris conſtituti.

Bene præſint domui ſuæ, familiamque honeſtam habeant, honeſtis veſtibus ornatam, puniantque habentes beneficia Eccleſiaſtica, ſi uſi fuerint veſtibus frappatis, & virgatis, neque protendentibus usque ad genu, & ultra.

In conviviis ſint ſobrii, ac modeſti, illisque cibis utantur, qui ſine luxu & pompa ad refectionem magis, quam ad gulam ſint aptiores.

In menſa audiant lectionem verbi divini, non ſonos muſicos, non cantus ſeculares, nec fabulas hiſtrionum, ut ſpirituali ac corporali cibo refecti glorificent Deum.

Abſtineant a venationibus clamoroſis ac accipitribus alendis, ac ſonitu cornuum, ac latratu canum, quæ non ſine ſcandalo a ſecularibus videri poſſunt, cum Deus non in ferarum venatores, ſed in hominum piſcatores honeſtæ vitæ exemplo, & divini verbi prædicatione illos elegerit.

Obſervent conſtitutionem B. GREGORII, editam in generali Synodo, ut ſcilicet clerici habitu togati, & converſatione modeſti, ſeu religioſi viri cameræ eorum præſint.

Digitized by Google

ſint. Orationi & lectioni vacent ſecundum PASCHALIS verba.

Exequiæ Cardinalium moderate fiant, ita, ut omnis impenſa non excedat ſummam mille florenorum.

Cardinales in capella, quando divinis officiis interſunt, ſilentium ſervent, ſineque riſu aut inanibus ſermonibus contemplentur, quæ dicuntur in Miſſa. Non habeant paramenta tam pretioſa, ut æquari, aut ſuperari videantur paramenta Pontificis.

In ædificiis fabricandis ſervent modum convenientem dignitati ſuæ, non ſumptuoſe, vel ſuperbe, ſed pro neceſſitate ſua & familiæ ſuæ.

ALEXANDER VI. *ſuper reformatione Cardinalium.*

Cardinales ſint contenti una tantum Eccleſia Epiſcopali, vel Metropolitana, cujuscunque valoris ſit.

Cardinalibus, qui ex Eccleſia, quam habent, aut ex ea, aut aliis beneficiis Eccleſiaſticis, vel ex penſionibus ſummam ſex millium ducatorum annuatim pro reditu recipiant, & nihil amplius poſſit eis commendari, aut concedi; habentes autem ultra dictam ſummam, teneantur dimittere infra ſex menſes in favorem perſonarum qualificatarum, quibus eis videbitur.

Dimittant ac libere renuntient in manibus Papæ, & ſacri Collegii omnes terras, & arces, ad vitam eorum obtentas, ut temporalibus curis exonerati liberius ad regimen univerſalis Eccleſiæ cum Pontifice inſiſtant.

Legati

Digitized by Google

Legati ne ad pompam & lucrum, ſed ad terrarum Eccleſiæ tranquillum ſtatum electi videantur perſonaliter, & continue in loco ſuæ legationis reſideant, quod ſi non fecerint, careant emolumentis, geſtaque per ipſos, vel officiales ſuos nullius ſint momenti.

Nulla legatio ultra biennium prorogari poſſit, ſtatimque peracto biennio vacare intelligatur.

In electione Pontificis pro voto ſuo nihil temporale, vel eccleſiaſticum poſſint recipere; quod ſi acceperint aliquid temporale, teneantur inter pauperes diſtribuere, & ſi illud fuerit aliquod Beneficium Eccleſiaſticum, in eo nullum titulum, neque jus acquirant, & in pœnam erroris in ſequenti electione Pontificis, quoad vocem activam & paſſivam ſint inhabiles, nulla diſpenſatione Pontificis, vel permiſſione, & licentia Collegii profutura.

Subditi alicui Principi, vel habentes in ejus terris reditus mille Ducatorum, vel ultra, cum tractatur in conſiſtorio ſecreto aliqua materia, quæ pertineat ad eum Principem, dummodo illa etiam concernat Pontificem, vel Eccleſiam, intrent in cubiculum Pontificis, donec materia diſcutitur.

Abſtineant ac omni ludo illicito, ac a jure prohibito, a venatione clamoroſa, & ab aucupiis a ſacris canonibus vetitis.

Prohibeantur ab ingreſſu conſiſtorii, qui bis a Pontifice admoniti de dictis ludis, & venatione non ſe correxerint.

Cardinales qui tanquam cardines, & Eccleſiæ columnæ cum Pontifice totius Eccleſiæ regiminis pondus ſubſtinere debent, non frequentent curias ſeculares Principum ſine licentia, in ſcriptis a Pontifice obtenta, neque eorum ſint Secretarii, aut protectores, ne miſceant ſecularia cum Eccleſiaſticis, memoresque ſint verbi Evangelici: *Quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo.*

Prohibeantur quoque ab ingreſſu Conſiſtorii bis admoniti, qui nocte ſine lumine per urbem incedunt, vel interſunt

haſtiludiis, vel larvis, comœdiis, aut actus gentilitatem imitantes, ante ſe fieri conſentiunt. Hoc enim, *teſte Concilio Nanetenſi*, diabolicum eſt, & ſacris canonibus prohibitum. Numerus familiarium non excedat octuageſimum, inter quos XII. ad minus ſint in ſacris conſtituti, equitatura ſint XXX. præter mulos clitelarios.

Pro relatione in conſiſtorio facta, vel facienda, vel pro ſententia lata, Cardinales ſint contenti muneribus a jure permiſſis, eſculentis ſcilicet, & poculentis, quæ paucis diebus poſſint conſumi.

Relationes ſuper proviſionibus faciendæ, ipſis Cardinalibus, per --- ternum, unum, juxta laudabilem morem committantur.

Tibicines, & Muſici, Buffones & Hiſtriones, non ingrediantur domos Cardinalium, neque in cubiculis eorum ſerviant pueri, vel adoleſcentes, juxta illud *Bernardi* ad Eugenium tertium: *Diſcant a te Coepiſcopi tui, comatulos pueros, & comptos adoleſcentes ſecum non habere.*

Reſideant in Romana Curia, & qui ſunt extra Italiam, redeant infra quatuor menſes, qui in Italia, infra duos menſes; alioquin amittant fructus beneficiorum, & emolumenta officiorum ſuorum, ac privilegia ipſis conceſſa, exceptis illis, qui ob officium a Sede Apoſtolica ſibi injunctum, vel de licentia Pontificis abſentes erunt.

Exequiæ Cardinalium computatis omnibus, non excedant Summam mille quingentorum florenorum.

Cardinalibus non dentur in Commendam Beneficia, non excedentia valorem centum Ducatorum, exceptis vacantibus per obitum ſuorum familiarium, quæ retinere poſſunt ad unum menſem, ut aliis pro ſuo arbitrio poſtea conferant.

Ex JULII III. *Reformatione non publicata.*

In Collegium Cardinalium non ſunt cooptandi niſi viri gra-

graves, docti, modeſti, quique in diſciplina eccleſiaſtica cum laude verſati fuerint, neque eorum numerus niſi ex maxima & rationabili cauſa augeatur, in eorumque creatione canones quoad ætatem uniuscujusque ordinis ſunt obſervandi. Frater germanus Cardinalis viventis ſit inhabilis ad dignitatem cardinalatus, ita ut eodem tempore duo fratres germani in collegio nullo modo eſſe poſſint. Qualitates Cardinalium ſunt hæ: bonum de ſe exemplum hominibus præbere, domum ac familiam ſuam bene diſponere ac regere, pauperes amare, fovere, oppreſſos ſublevare, atque defendere. Pontificem maximum in adminiſtratione officii pontificialis prudenter atque amanter adjuvare, eique cum honore ac fide, omni metu ac temporali favore ſepoſito, conſilia dare, aulas Principum vitare. Titulorum ſuorum Eccleſias frequenter viſitare, ac tam in temporalibus, quam in ſpiritualibus, ſi opus fuerit, reparare, Eccleſias, eorum adminiſtrationi commiſſas, per idoneos vicarios, ac ſuffraganeos regi & gubernari facere. Beneficia præſertim curata bene meritis conferre, privilegiis ſuis minime abuti, omniaque alia facere domi & foris, quibus oſtendant, ſe merito cardines orbis chriſtiani appellari.

Non habeant niſi unam Eccleſiam in titulum vel commendam, vel adminiſtrationem, & ſi plures habuerint, teneantur dimittere, & unam retinere, exceptis Cardinalibus Epiſcopis.

Non gaudeant privilegiis Cardinalium, niſi apud Pontificem reſideant, vel de ejus licentia in Eccleſiis ſibi commiſſis maneant, vel aliqua rationabili cauſa, per Pontificem in ſcriptis approbata, abſentes ſint, & ſuper hoc obſervetur Decretum PAULI III. in Conſiſtorio XVIII. Februarii MDXLVII. promulgato; viſitent aliquo tempore anni per vices Eccleſias ſibi commiſſas, ita ut munus ſuum in Eccleſiis particularibus obeant absque detrimento univerſalis Eccleſiæ regiminis.

In propoſitionibus Eccleſiarum referendis in Conſiſtorio,

Digitized by Google

maximam diligentiam adhibeant in requirendis vita, & moribus promovendorum, proceſſumque ſuper hoc cum depoſitione teſtium factum tribus Cardinalibus ex quolibet ordine antiquioribus mittant, unaque cum eis ſummum Pontificem ante relationem de contentis in proceſſu informent.

Ex Baſilienſi Concilio.

Numerus Cardinalium ſit adeo moderatus, quod nec ſit gravis Eccleſiæ, nec ſuperflua numeroſitate vileſcat. Non excedant numerum XXIIII. urgente tamen magna Eccleſiæ neceſſitate, vel utilitate, poſſint adjici duo viri inſignes, in quibus vitæ Sanctitas, & eximiæ virtutes refulgeant.

Aſſumantur Cardinales ex omnibus Chriſtianitatis Regionibus, ſint viri in ſcientia, moribus, ac rerum experientia excellentes, non minores XXX. annis. Magiſtri, Doctores, ſeu Licentiati, exceptis filiis, fratribusque ac nepotibus Regum, & magnorum Principum filiis, quibus cum circumſpectione, & maturitate morum ſufficit competens literatura.

Non ſunt aſſumendi Cardinales nepotes, ex fratre vel ſorore Romani Pontificis, nec alicujus Cardinalis viventis, non illegitime nati, non corpore vitiati, aut aliquo crimine, ſeu infamia notati.

Electio Cardinalium non per vota auricularia ſolum, ſed per ſcrutinium fiat, illeque intelligatur electus, in quem Cardinales per ſubſcriptionem manus propriæ collegialiter conſenſerint, cumque ſuæ dignitatis inſignia receperint, juramentum præſtet, ſi præſentes fuerint in publico conſiſtorio, ſi vero abſentes, in manibus alicuius Epiſcopi.

In vita vel morte relinquant propriis titulis tantum, unde communiter una perſona ſuſtentetur Eccleſiaſtica.

Munus

Digitized by Google

Munus proprium Cardinalium Epiſcoporum ſit indagare, quæ regiones hæreſibus, erroribus, ſuperſtitionibus infectæ ſint; Presbyterorum vero, ubi mores & diſciplina Eccleſiaſtica deficiat. Diaconorum autem, qui Reges & Principes, ſeu populi bellis infeſtentur.

Viſitet quilibet Cardinalis, ſi præſens ſit, ſingulis annis proprium titulum; & ſi abſens, per idoneum vicarium.

Si inſpexerint Papam negligentem, aut remiſſum, aut agentem, quæ ad ſtatum illius non decent, filiali reverentia, & charitate tanquam Patrem obſecrent, ut officio paſtorali, honorique ac debito ſuo ſatis faciat; ſi vero Pontifex aliquem ex Cardinalibus reprehenſione dignum, cognoverit, paterna charitate, & juxta Evangelicam Doctrinam corrigere ſtudeat.

Benigne ac honorifice pertractent Prælatos, ad Romanam curiam venientes, eorumque negotia apud Pontificem gratis ac liberaliter expediant, ac foveant, non præbeant manus ad oſculandum, nec patiantur fieri coram ſe genuflexiones Sacerdotum, quos in famulatu non retinent, nec aliquem Prælatum in domo, niſi a propria ſede expulſum, vel pauperem, vitæ neceſſaria non habentem, & tunc cum charitate & honorifice eum tractent.

Non ſint perſonarum acceptores, vel advocati, nec ſint Principum, aut aliorum contra quemcunque cum pretio, vel ſine, partiales protectores vel defenſores.

Principum autem, aut Religioſorum gratis, & ſine ullo quæſtu juſta negotia promoveant.

Gravitatem ac modeſtiam cum affabilitate ſervent, pietatem autem ad omnes.

Digitized by Google

Affines ſuos, præſertim bene meritos, aut pauperes negligere non debent, non tamen ipſos opum aut beneficiorum multitudine ita accumulent, ut aut alii ſcandalum patiantur, aut bona ab Eccleſiis profecta, in carnem & ſanguinem, ultra quam neceſſitatis ratio poſtulat, effundantur.

Familia, Menſa, ſupellex rerum, & equorum, ne numeroſitate, faſtu, aut pompis ſit aliquo modo reprehenſibilis.

Cardinales non legati ubicunque rubeis veſtibus non utantur, nec mulas ornent ſerico vel auro.

Non habeant pueros miniſterio cubiculi, ſed Clericos, vel quosdam ex Monachis electos, qui teſtes ſint in ſecreto ſuæ converſationis.

Cardinalibus non aliæ cauſæ, quam cathedralium Eccleſiarum, aut Monaſteriorum, aut Principum, aut Communitatum, ſeu ſimiles per Papam delegentur.

Familiares ſuos ad Prælatos proviſos non mittant, ut inde munere accipiant.

Poſt mortem ipſorum nihil pro annulo in aſſignatione tituli ipſis traditi exigatur, cum labores eorum pro Eccleſia id mereantur.

Ex Lateranenſi Concilio.

Cardinales ſobrie, caſte, ac pie vivant; ſint vigiles divinis officiis, Miſſarumque celebrationibus intenti, habeant Cappellas in loco honeſto domus, familia, menſa, ſupellex non faſtu aut pompa ſit reprehenſibilis.

Prælatos, & inſignes Viros ad Romanam curiam venientes, benigne ac honorifice pertractent; eorum negotia apud Pontificem gratioſe liberaliterque commendata ſuſcipientes.

Non habeant in domibus ſuis indecorum miniſterium Epiſcoporum, Prælatorumve, ne dignitas in vilia deſcendat exercitia.

Non ſuſcipiant partialitatem aliquam, neque protecto-

res

res fiant Principum, aut communitatum, aut aliarum perſonarum contra quemque, niſi pro juſtitia, æquitate, ac pro conditione ſuæ dignitatis, vacentque omni diligentia in ſedandis ac componendis inter quoscunque litibus, oppreſſosque & injuſte gravatos pro viribus ſuis, & officii debito adjuvent.

Viſitent, ſi præſentes ſint, perſonaliter, ſi vero abſentes, per idoneum vicarium, loca ſuorum titulorum ſaltem ſingulis annis ſemel, invigilantes circa cultum divinum & Bona Eccleſiarum, explorantesque vitam & mores Clericorum, aut Parochianorum, quos ad honeſte vivendum debeant.

Donet quilibet Cardinalis in vita, vel in morte relinquat ſuo titulo, quantum ſit ſatis ad Presbyterum unum commode ſuſtentandum, & ſi Eccleſia reparatione indigeat, donet vel relinquat quantum ſibi videbitur.

Bona Eccleſiarum temere non effundant, ſed ea in ſanctis & piis operibus exponant, quorum cauſa permagni & opimi redditus per ſanctos patres ordinati fuerunt, Eccleſiis ſibi commiſſis de idoneo ac ſufficienti Vicario, ſeu ſuffraganeo cum mercede competente provideant.

Procurent Eccleſias ſibi commendatas, vel Abbatias, ſive Prioratus debite inſerviri eos familiares, equosque ſuis impenſis alant, quos ſua facultas conditioque ac dignitas patitur, ne luxus aut avaritia vitio notari poſſint.

Oſtendant ſe optimos Rectores eſſe ſuæ Domus, quæ debet eſſe patens hoſpitium, portusque ac refugium proborum, & doctorum maxime virorum, & pauperum nobilium, honeſtarumque perſonarum; ſintque de qualitate familiarium ſuorum curioſi, ne ex alienis vitiis turpem ſibi contrahant infamiæ notam.

Habeant Sacerdotes & Levitas honeſtis veſtibus, usque ad talum demiſſis, indutos, habentesque in cathedralibus dignitates, ac canonicos, ac primam dignitatem in collegiatis habentes, qui ſuis ſervitiis inſiſtant. Cardinaliumque Cappellani

lani caputium, in publicum deferre teneantur, ſcutiferis vero ſupra talos veſtes concedantur.

Parafrenarii vero, qui in continuo motu ſunt, expeditis veſtibus uti poſſint.

Curent ſcire quæ regiones hæreſibus, erroribusque infectæ ſint, ubi divinorum mandatorum eccleſiaſtica deficiat diſciplina, quique Reges, Principesque ac populi bellis infeſtentur, aut infeſtari timeant. Hæcque omnia Romano Pontifici referre ſtudeant.

Legati perſonaliter in ſuis legationibus adeſſe teneantur, nec per locumtenentes eas exercere poſſint, niſi de Mandato Pontificis, pro aliquibus gravioribus negotiis in Romana curia retineantur, vel ad alia loca mittantur, ſub pœna amiſſionis emolumentorum.

Omnes Cardinales in Romana Curia reſideant, exceptis iis, qui ratione ſibi officii injuncti, a Sede Apoſtolica, vel mandato & licentia Pontificis, vel juſto metu, vel alia rationabili cauſa abfuerint.

Expenſæ funebres Cardinalium, computatis omnibus, non excedant, Summam mille quingentorum florenorum.

Non revelent Cardinales vota data in Conſiſtorio, aut quæcunque ibi geſta ſunt, quæ in odium, præjudicium, aut ſcandalum alicujus redundare poſſint, ſub pœna perjurii, ac inobedientiæ; ſi autem aliquis in hoc, vel cum a Pontifice fuerit ſibi ſuper aliqua re ſilentium indictum, contrafecerit: ultra inobedientiam, ac perjurium latæ etiam ſententiæ excommunicationem incurrant.

Ἀλωσις

III.

Αλωσις Romæ, ſive narratio Hiſtorica, quo pacto urbs Roma ſexto die Maji Menſis, Anno a nato bono publico MDXXVII. ab exercitu CAROLI V. Imperatoris, Duce Carolo Burbonio, oppugnata, capta, direpta vaſtataque ſit, ex fide dignis exemplaribus Italico, Hiſpanicoque idiomate ſcriptis fideli opera, ſtudioque in linguam latinam translata, ut fuſius pluribusque circumſtantiis, ad rei geſtæ veritatem pertinentibus, pertractata vix usquam reperiatur, Hiſtoria admiranda nec inanis miraculorum Dei.

Hiſtoria direptionis urbis Romæ.

ANno MDXXVII. ſumma penuria rerum neceſſariarum, tam quoad adminiſtrationem belli, quam victus & ſtipendiorum procurationem, Cæſaris *Caroli V.* exercitum Bononia cedere coegit, & iter verſus Romam inſtituere. Quo in itinere copiæ parum, aut nihil commeatus habuere, ut, quam ad Placentiam egeſtatem famemque perpeſſæ fuerant, ne comparari quidem cum iſta indigentia poſſet; quæ cauſſa exercitum rapido agmine Urbem petere adegit, ubi vi aut bonis verbis remedium malorum inventurum miles ſperabat. Hoc ſtudio Monaſterium Sancti Onofrii prope mœnia Urbis appulere, ubi aliquot dierum fame ſitique confecti, nonnihil vini offendere, reficiendis viribus oppido opportune. Eo loci inter medios hoſtes poſiti periculis undique imminentibus patebant. A fronte Pontificis legiones cum *Urſinorum* copiis, totaque Romana potentia infeſta omnia faciebant. A tergo magnis itineribus ſequebatur, cum reliquo exercitu Pontificis, Dux *Urbini*, ſane robur ipſum nervusque Papalis potentiæ: quippe eæ copiæ amplius triginta millibus facere dicebantur, collectæ ex veteranis Gallis, Venetis, Italisque. Præterea omnes circum Principes Civitatesque hoſtili in Cæſarem animo erant, ſolis *Senis* exceptis, quæ civitas Imperatoris majeſta-

tem, quantum in ſe erat, egregie ſervabat. Princeps *Borbonius*, Cæſarei exercitus ſummus Dux, bis feciali miſſo in Urbem nomine *Caroli,* primum petiit, apertis portis Imperatorium militem per urbem aliorſum iter facere ſinerent, quæque commeatui opus futura eſſent, argento commodo ſoluto, impertirentur; id quod contemtui habitum, ſannisque inſuper irriſum negatumque fuit. Secunda dehinc poſtulatio Borbonii fuit, Urbem Imperatori ejusque militi nulla conditione patefacerent, aut quæ expugnationem mala ſecutura eſſent, obſtinationi ipſorum propriæ accepta ferrent. Ad hoc *Rencius*, Pontificii præſidii Præfectus, fecialem muro abſcedere juſſit, neque unquam redire, aut ſuſpendio vecordiam mandatorum luiturum. Ea reſponſione recepta, inclytus Dux Cæſareæ militiæ convocatis exercitus primoribus, ſigniferis, quique auctoritatem longis ſtipendiis habebant, conſilium iniit, quid facto opus foret, deliberans. A fronte a tergo, circumque undique hoſtibus incincti impeditique erant, imminebant ingentes *Urbini* Principis copiæ, quæ vel ſolæ delendis ipſis ſatis erant, nec longe jam aberant aliæ etiam vicinarum Civitatum. Concluſum eo conſilio eſt ſuburbium, quod *Burgam Novam* vocant, ſummo mane ſequentis diei, quoquo modo fieri poſſet, injectis ſcalis penetrandum. Parati ad id equites ne calcaribus quidem poſitis ſumma alacritate peditem ſequebantur. Deerant idonea murorum demolitioni tormenta, & ſuburbio expugnato, intra quod communire ſe poſſe, ſperabant, facilius commeatum & pecuniam a Pontifice obtenturi erant. Neque ad audaciam augendam parum faciebat diſſidium intra mœnia Italorum & Germanorum præſidiariorum, quod ipſis incognitum non erat. Capiendum certe ex re ipſa conſilium, militem, hoſte fameque preſſum, mirifice inflammabat. Res non promptius concluſa, quam audacius feliciusque patrata eſt. Nebula, Sole oriente, denſior altero mane inſurrexerat, quæ com-

Digitized by Google

commode incurrentem militem tegebat. Veles primum nullo tumultu, injectis muro ſcalis, eos tenuit; ſequuta mox gravis armatura uno impetu mœnibus tranſcenſis, Armamentarium Pontificis occupavit, ubi ingens copia muralium manualiumque tormentorum inventa, hoſtem armis ſpoliavit, incurrentique militi ſubſidio fuit. Levis Germanorum armatura portam S. Spiritus pari ſucceſſu expugnavit, quam ſequutum robur exercitus ante medium diem Palatium Papale, totumque ſuburbium, tenuit. Cæſa eo incurſu quinque amplius Italorum præſidiariorum millia, ſtipendio Pontificis merentia. Cæſareo exercitu trecenti, fere omnes Hiſpani, deſiderati ſunt; inter quos fortiſſimus Princeps Dux ipſe *Borbonius* dum ſcalam animando militi promtius inſcendit, globo manualis tormenti trajectus occubuit. Ita ſuburbium totum breviſſimi temporis ſpatio direptum eſt, paucis captivitati ſervatis, cum furens periculo & ſucceſſu exercitus nemini parceret. Pontifex ipſe tam inopinata rerum alteratione perculſus, cum omnibus ſuis ſtipatoribus, Cardinalibus, Epiſcopis, aliiſque magnatibus, cognatis partim ſuis, Caſtrum ſancti Angeli præpete fuga petiit. Ea fuga ſupra pontem S. Angeli plurimi de plebe, viri, fœminæ, puerique, Equitum, militum, civiumque concurſu eliſi extinctique imminentem urbi direptionem fato prævenere. Proinde metu conſternatus populus unde vel quorſum fugiendum foret, non poterat perſpicere, pars manus infeſtas hoſtium dum vitare ſtudet, incurrit. Summa, maxima pars palantium a duobus Hiſpanorum ſignis, quæ ad id deſtinata, miſeros ſequebantur, interemta atque deleta eſt. De Caſtello nulli ictus tormentorum audiebantur, licet oppido omnis generis machinis inſtructum eſſet, cum præcipiti Romanorum fuga hoſtes ab civibus urbanoque populo diſcerni minime poſſent. Cum jam ergo Romani, qui tali periculo tam prope eſſe minime credere potuerant, Pontificiis pollicitationibus alia omnia per-

Digitized by Google

perſuadentibus, extrema rerum perpeſſi, in reſiſtendo nullam ſpem haberent, victore pro lubitu per omnes angulos graſſante; *Albertum* Marchionem Brandeburgenſem ſummis precibus eo tamdem commovere, ut, velut Germanici ſanguinis Princeps, & ob hoc exercitu gratior, furentem militem alloqueretur, & ad inducias pacemque hortaretur. Facturos quæ placuiſſent Romanos, quæque poſſibilia ſint omnia, modo de reliquo direptionibus cædibusque abſtineretur. Non defuit *Albertus* petitioni, ut qui tot miſerorum hominum infantiumque ſanguini interitum bonis verbis amoveri poſſe crederet, quin ad exercitus Cæſarei præfectos de accipienda ingenti pecuniæ ſumma, & ſanciendis aliquot dierum induciis verba faceret. Verum furibundus miles vix Principi ipſi pepercit, quin futuras cædes ipſius ſanguine auſpicaretur, ut ægre elapſus ad mortem poſcentibus omnia bona, quæ in urbe tum habebat, diripienda reliquerit. Quin & poſtea captus Germani cujusdam tribuni verſutia Hiſpanorum manibus ſubductus eſt, alioquin certo certius periturus. Recente adhuc furore in aliam quoque urbis partem per Pontem Sancti Pancratii victores irruperunt; ſervatis ordinibus omnia obvia ferro flammisque proſternentes, ſpoliis, cædibus, direptionibus, captionibus, omnia late vaſtantes. Quos captos habebant quemque ſecundum cenſum cenſebant, neque ulla ſpes effugii erat, donec a quoquo exacta auri ſumma coram deponeretur. Tota Roma ſupra ætatem trium annorum nullus mortalium inventus eſt, qui non pro capite ſuo certam pecuniæ ſummam dependere coactus fuerit. Nonnullis accidit ter cenſeri, aliis tertio amplius quam ſolvere poterant, quibus non credebatur illico gladiis tranſacti vitam precio mutabant. Pauci elapſi turbis ſunt. Viginti amplius millia facultatibus exactione perditis, Urbe, in exilium, ſolo corpore non ſpoliati, exceſſere, ut fide digni homines ſopito tumultu, rationem poſtea iniverunt. Nemini omnino homi-

hominum pœna iſta pepercit. Non Hoſpitali ipſi ſive Noſocomio Germanorum. Adeo furor militaris omnia pervagabatur. Eodem deinceps die per pontem Sixtinum ſummo fortunæ favore ipſum caput urbis irrupere. Id vi ſtatim occupatum exemplo ſuburbiorum & ipſum tractavere. Aliquot Cardinales, Epiſcopi, Mercatores, prædivites, Monachi, Veſtalesque capti, occiſi, cenſiti, ſpoliati: Virgines ſacræ ſtupris corruptæ. Libri magnarum opum rationes, reditus, expenſasque continentes, diſciſſi disjectique numquam poſt uſui dominis ſuis fuere. Bullæ Papales, Chartæ ſigillis Pontificiis munitæ, vetera magnatum Privilegia conſciſſa, pedibus proculcata, dentibus etiam diſrupta ſunt. Ingens malum miles mercatoribus & fæneratoribus dedit, Syngraphis Chirographisque peſſumdatis quibus maxima pecuniæ ſumma credita debitaque continebatur. Nec ulla re major auri vis periiſſe tum putanda eſt, ſtabula Equorum, Aſinorum, mularumque Papalibus bullis, literisque magnatum, Negociatorumque opplebantur, ne quis ſtramentorum inquirendorum labor eſſet. Templa etiam Sanctorum, Petri, Pauli, Laurentii, &c. omnibus parietum & Secretariorum, ſacellorumque & altarium ornamentis nudata & ſpoliata ſunt. Reliquiæ omnes ſi quæ auro argentove aptæ erant, detracto metallo, ſparſæ humi conculcatæque; Infulæ, Calices, immo quicquid auro argentove inductum indutumve erat, raptum, profligatum, perditumque eſt. Adeo ut tota urbe nullus calix ulli templo ſuperfuerit, unde divinæ res procurarentur. In ipſo ſancti Petri fano, ad gradus altaris, & in ipſis penetralibus ſacræ ædis ſupra bis centum homines trucidati ſunt; inter quos ſpiculatores non pauci Helvetii, ex iis qui corporis cuſtodes Pontifici ſemper adſunt. Direptio tantæ tamque opulentæ urbis quatuor decemque integros dies Hiſpano & Germano militi ſatis fuit, cæſis, ſpoliatis, direptis omnibus, unde ſpes lucri affulgebat. Inerant civitati non pauci mili-

Digitized by Google

tes, qui animo ſemper in Cæſarem propenſo fuerant, neque unquam Pontificis partibus contra ipſum favere voluerant; verum his fides ſervata nullo emolumento fuit, cum contra victor clamaret; quid ita non muros acceſſerint, immittendis urbi ſociis, ſi conſtanti in Imperatorem fide fuerint? His tot ærumnarum exantlatio nequaquam contra ſævitiam prædatorum profuit. Neque ſexus, natio, aut dignitas ulla jam reperiebatur, quin mulieres, viri Græci, Judæi, Barbari, Principes, Cardinales, Epiſcopi, Laici, Clericique eodem omnes pondere æſtimarentur. Genus tormenti apud Italos increbuit, quod ipſis barbaro vocabulo *Strapacorda* vocatur; hoc affici dum vitæ parceretur, tum beneficium erat, tamen uſu compertum eſt plures negatam pecuniæ ſummam eo cruciatu coactos, pendiſſe. Nonnullos qui, quod exigebatur, tergiverſando exire moliti eſſent, milites teſtibus fune colligatis ſublimes ab ipſis ſuſpendere. Novi cruciatus, nova ſuppliciorum genera inveniebantur, ut rapinis prædisque dudum concepta ex fame & penuria rerum neceſſariarum rabies apud victorem militem ſedaretur. Uti ſemper inexpectata poſt enormem egeſtatem abundantia feroces efferosque reddit mortalium animos, ut vindictæ cupidi etiam innocentibus immineant. Inter Hiſpanos fuere, qui, (ut gens ea belluinæ libidinis eſt, neque ullis legibus tenetur, quoties licentia explendæ voluptati non deeſt,) puellas nondum puberes, neque decimo ætatis anno completo, ad ſtuprum rapuere, tamque horrendis modis hinc inde divulſas tractavere, ut major earum pars ſpiritum fœdiſſimæ hoſtium libidini contradiderit. Ea res Germanorum nonnullis in exercitu potentibus, nunciata, ita eos commovit, ut immania facinora manu ulti ſint, interfectis qui peſſimo exemplo diſciplinam militarem temeraverant. Epiſcoporum Procerumque Eccleſiaſticorum aliqui, cum præſcriptum auri pondus non extemplo penderent, inſtar furum cruciario-

riorumque manibus poſt tergum revinctis manipulatim per exercitum, poſt vicatim per urbem, traducti ſunt, ut ſpectaculo cæteris eſſent, ne quod victores exigebant, quisquam perſolvere detrectaret. Plurimas ſacrarum virginum, ut quæque forma & familia conſpicuæ erant, Hiſpani abductas concubinatui ſervaverunt; Nonnulli Romanorum poſt vitiatum corpus filias ab iis ſuas redemerunt, vel & redimere coacti ſunt, pretio XX. XXX. vel plurium aureorum, ex placito eorum, quorum voluntas imperium erat. Inter hos reperti ſunt, qui pretium redimendorum liberorum, cum exactionibus militum depauperati prorſus forent, per exercitum commendicaverunt. In eo rerum ſtatu Roma XV. dies ſine magiſtratu, ordine, juſtitia, imperio, diſciplinaque fuit, prout potens erat, quoque jus manu ſibi faciente; nihilque libidini avaritiæque ſuæ negantibus, qui, cum ſemper magna victus anguſtia fuiſſent, tum ex voto, licet fere præter ſpem, prædivitum hominum facultatibus imperabant. Civium multa millia corpore ſolo ſalvo, cum redemtis ex inceſtu, adulterio, ſtuproque, conjugiis liberisque, nihil ſupereſſet, unde viverent, Anconam, Venetias, Neapolim, in exſilium abiere. Urbe adeo vaſtata atque diruta, ut ægre integram vel unam aliquam domum inveniſſes; nec ſpecies tantæ majeſtatis reſtabat, quanta ante pauciſſimos dies Terrarum Orbis Imperii fundatricem conſervatricemque etiamnum teſtabatur. Cardinalium nonnulli capti, domibus direptis luxuriæ diu congeſta inſtrumenta palam fœdari videre. Cardinalis *Sena* Palatio ſuo extractus magno auri pondere vitam redimere compulſus eſt. Ipſæ ædes vectibus dolabrisque effractæ, portæ combuſtæ, theſauri ingentes elati, rapinæ furentibus, ut quæque manus militum confidentior intraverat. Hiſpanorum globus Cardinalis *Ponceti inſignes* & celebres divitias diripuit, auro argentoque ſervato, pretioſis vaſis, ſupellectili, lectis, pulvinaribus, & quicquid hujus cenſus erat, per vicos diſperſis,

Digitized by Google

ſis, quæ meliorum cupidine & abundantia avaritia militis contemnebat. Duo alii purpurati Patres *Ara Cœli*, qui Ordinis S. Franciſci fuerat, Cardinaliſque *Minerva*, Dominici quondam monachus, cenſiti, exacto auro perſoluto, dimiſſi ſunt, nec cognitum eſt niſi perpaucis, quo pretio captivitatem redemerint. Dominici Maximi ſummæ inter Romanos nobilitatis viri duo filii, major annorum ſex & viginti, veteri proſapia ſua digno obitu parentem antevertere; irrumpentibus enim latronibus ſenemque vinculis conſtricturis obvii ambo eousque dimicando obſtitere, donec uterque confoſſus morte ad patrem aditum patefecit. Inſignis hic aſtutia Hiſpanorum fuit; exploratoribus enim præmiſſis ditiſſimas quasque domos potentiorum civium cognitas habebant, quas poſtea velut forte fortuna oblatas, dum in acie ſtans Germanus miles hoſtem operitur, ipſi primi diripuere, ſpoliisque præſignibus aliorum periculo potiti ſunt, dominos ædium indicta capitibus pecunia mulctavere, ſine damno poſtea futuros ipſorum defenſione tutos, dejerantes. At Germanorum manipuli fortiores, ubi res ab aliquot diebus cognita fuit, furentes deceptione, globatim Hiſpanorum domicilia irruperunt, quodque illi dolo præceperant, iſti vi rapuere, non ſine cædibus mutuis, Victoria tamen Germanorum partibus favente. Nec fando legendove perceptum eſt, mille retro annis exercitum aliquem tot pretioſis ſpoliis ditatum fuiſſe, nec ullis tanti temporis hiſtoriis compertum tantillas copias tot prædivitum Principum Civiumque fortunis direptis adeo locupletem prædam feciſſe. Quæ celeberrima Annalibus veterum expugnatio Hieroſolymorum fuit, eam ne minima quidem parte cum iſta direptione comparari poſſe, Romanorum fœminæ filiæque arbitratæ ſunt. Earum nulli fere quovis genere libidinum & crudelitatum parcebatur. In oculis maritorum dilectiſſimæ conjuges ab Hiſpanorum lixis conſtupratæ ſunt, clamantibus utrisque tolerabiliorem vel crudelis-

Digitized by Google

deliſſimam mortis ſpeciem eſſe, ſed furore hoſtico parum animum advertente. Filiæ neptesque Magnatum Procerumque, ſummis familiis thoro deſtinatæ, ſpem conjugii ſobolisque nobiliſſimis juvenibus debitam, inceſto concubitu ſpurcorum prædonum perdidere. Neque tam immania facinora humano more perpetrabantur, divulſæ disruptæque impuberes puellæ exſecrabili exitu florem ætatis poſuerunt. Ut in his acrior & fœdior Hiſpanorum furor fuit; Ita Germanorum in vexandis Sacerdotibus magis improbus. Nihil ludibriorum plebs militaris omittebat, quin ſacrificis omnique Clero vicatim prodiens & geſticulando ceremonias templis ſolemnes exprimens, ægre, prout poterat, faceret. Præcipue duo urbis loca iis ludis velut deſtinata erant, area Templi Petrini, & Campus Floræ, quibus ſingulis diebus inſultabatur, moleſte ferentibus Hiſpanis tantam, ut putabant, impietatem: neque ſemel res ad manus venit; cædibusque ludis tam frequentibus plerumque litabatur. Supellex pretioſa, gemmas aliaque cimelia tam vilia copia ipſa fecerat, ut quæ X. vigintique aureis parata non fuerant, uno dimidiove venalia haberentur. Vici omnes oppleti pretioſi operis & materiæ utenſilibus, quæ magni olim conſtiterant, pedibus præeuntium ſuppoſuerunt. Intexta auro tapetia, lecti bombyce texti, veſtes argento ductæ, lino pretioſiſſimo facta umbracula & mille luxuriæ inſtrumenta cœno lutoque oppleta paſſim proculcabantur. Cadavera occiſorum, quorum ſupra decem millia numerata ſunt, paucis tamen e Cæſariano milite inventis, quatuor aut quinque diebus ſepulcris caruere, tandem conſtipata & acervatim congeſta obruta potius humo, quam ſepulta, fœdiſſimo fætore omnia turpaverunt. Unde poſt orta peſtilentia crudelitatem Victoris cæſorum hoſtium tabo ulta eſt. Sacrarum ædium theſauris adeo privilegium nullum erat, ut effoſſo B. Petri Conditorio aurum in eo quæſitum perhibeatur. Crucis ſpecies quæ ejusdem Apoſtoli aureæ portæ affixa

 erat,

Digitized by Google

erat, detracta eſt; nihil ſanctitatem tot ſeculorum habens non violatum & profanatum. Decem diebus inter hæc elapſis, urbem appulit Dux Venetæ legionis Alexander de Vitela, Imperatori ſtipendia facere cupiens. Is cum mille peditum equitumque agmine in fidem Cæſaris præſtito ſacramento receptus eſt. Plurimi álii hujus exemplo idem ambibant, ſed nemini eo pervenire conſenſum eſt, licet undique magnis manipulis milites convolarent. Alexandro cuſtodia corporis Cardinalis *Columnæ* commiſſa eſt: Taceri non debet, quod nonnulli Germanorum militum globi ludibrio circumſeſſi in arce Pontificis, facinus exhibuerunt. Ii mulabus equisque catervatim inſidentes cum omnem urbem ſpectaculo ridicularum geſticulationum, opprobrio ſacerdotum fictarum, attraxiſſent, prope Caſtrum S. Angeli tamdem conſtituere. Tum unus inter eos vultus majeſtate & corporis proceritate paullum cæteris conſpectior, induto habitu Pontificali, Corona triplici capiti impoſita, infulis ſtolisque pretioſiſſimis involutus, pompa Papali, equo ſe generoſiſſimo collocari fecit. Aderant non pauci magnatum Cardinaliumque veſtimentis exornati, pars Epiſcopalibus mitris, pars cocco, albisque tunicis, pro ſe quisque ſacerdotum Proceres exprimens: neque non ſatellites hinc inde equitantem circumcurſabant, tympanis tibiisque undique perſtrepentibus; plane ut Summi Pontificis agmen, ipſum ſtipans proequitantem, videre dixiſſes. Cum Caſtellum vel & aliam aliquam domum acceſſiſſent, qua Procerum captivorum aliquis obſidebatur, porrectis digitis benedicebat populum. Ubi laſſus equitandi fuerat, ſella parata humeris ſatellitum imponebatur; nonnunquam grandi poculo correpto, Captivo Pontifici propinabat, ſaluti ipſius & perpetuæ cuſtodiæ. Secuti ficticium Papam omnes Cardinalium, Epiſcoporumque, inſtar fidorum filiorum, patris hauſtum excepere; ſimul juramento ſe agmenque omne devincientes præeunte verba Præſule; nulli ſe umquam templo ædi-

Digitized by Google

ædificando affuturos, Cæſari tamquam legitimo ſolique ipſorum Principi, obtemperaturos, fidemque ſervaturos; nullis umquam dolis inſidiisve Romanum Imperium, quod nunc eſſet, infeſtaturos. Verum quod ex præſcripto Apoſtoli Pauli ipſis conveniret, obedientiam Magiſtratibus, inſtar Chriſti, Petri, & omnium vere Chriſtianorum, cum ipſius vitæ periculo firmam conſervaturos. Quod contra Pontifices Romani cum omni Cardinalium ſuorum choro ſemper ſenſerint, Excommunicatis Reipublicæ Chriſtianæ neceſſariis Imperatoribus non alia de cauſa, quam quod horribili & inaudito ipſorum faſtui regia capita ſubmittere detrectarent. Hinc orta innumerabilia mala adeo Divinam iram in genus mortalium exacerbaſſe, ut nulla non ætas, dum Papæ rerum potiti ſint, civilibus, parricidalibus, ſacrilegisque bellis fas fere omne piumque tradiderit. Jam reſpexiſſe miſeros a tanto tempore Deum, ultriciaque ipſorum arma ſedi omnium ſcelerum intuliſſe, ut videre tandem poſſint, quid meriti ſint, qui Religionem voluptatibus ſuis conſtrinxerit. Eſſe nimirum penes Cæſarem virtutem animosque vindicandorum majorum præceſſorumque ſuorum, quorum capitibus ſceleratos pedes Pontifices impoſuerint. Se quidem (ea proclamatio militaris Papæ tum fuit) ut antea juramento ſanxerit, Imperatori fidum obedientemque dum vita ſuppetat, futurum; Ab obitu vero ſuo jus omne Pontificiæ dignitatis teſtamento, (conſentientibus quos penes ejus negotii cardo verteretur,) *Martino Luthero* transſcripturum; ut is pro lubitu & uſu publico Sedi Apoſtolicæ tot vitia, jam præſulum libidine, & annorum ſerie contracta, exſtirparet, novisque velis, rudentibus, remis, & magiſtris navem Petri inſtrueret; quæ palaret modo velut ludibrio ventorum & æquoris expoſita, inſciis regimis incurioſisque qui ad clavum ſedentes noctu diuque pergræcarentur, parum de tempeſtate ſolliciti. Addidit his magna voce. Cui ea res placeret, quique arbitrium ſuum

Digitized by Google

in ea exſequenda ſecuturus eſſet, manu ſublata clarum conſenſui ſignum daret. Compoſiti ad id milites, toto agmine manibus porrectis vociferati ſunt. *Vita Luthero Papæ. Vivat Lutherus Pontifex.* Ea omnia in oculis Clementis Septimi geſta, quo vultu excepta ab ipſo univerſoque comitatu fuerint, in facili eſt conjectari. Nullo momento ab interitu ſecuri eſſe poterant, qui neque ſpem vitæ ullam habebant, cum victorem tanto jam tempore omnia vaſtantem, ipſisque inſuper inſultantem, audire & videre cogebantur, neque ratio componendæ pacis erat; tanta obſtinatione furor militaris inarſerat. Fuit inter Germanos Veteranos nomine *Grunvaldi* celebris virtute, ſed & mire procax; nulli non facinori exſequendo habilis habebatur. Hic clara voce prope mœnia Caſtelli jactitavit: paratum ſe membratim diſcerpti Pontificis viſcerum partem deglutire, modo ut certus interemti nuncius Luthero venire poſſet, cum tot jam annis Verbum Dei Papæ obfuſcarint, quantumque in ipſis fuit, pro tegmine injuſtæ injurioſæque potentiæ, contra piorum omnium ſententiam, habuerint. Cætera quæ petulantia inaudita furibundus miles Pontificiis auribus occinuit, tam varia, partim fœda & dira dictu ſunt, ut melius omnino ſilentio prætereantur; cum alioquin etiam exemplis acuenda gens ea non ſit, per ſe ſuosque mores inveniundis patrandisque injuriis ſatis ſuperque ingenioſa. Vetuſtiſſimam ædiculam Palatii, in qua ſolemni more plurimis retro Pontificibus ſacra peracta fuerant, ſtabulo equino aſinarioque lixæ commutavere. Bullæ Papales, indulgentiarum teſtimonia, Reſcripta Antiſtitum ſtraminis loco jumentis cubilia præbuerunt. Ingentium Regiorumque redituum & theſaurorum inſtrumenta irrecuperabili damno inſtar putris fœni conſumta ſunt. Principem Borbonium, Ducem exercitus Imperatorii, fato in expugnatione ſuburbii functum, in S. Sixti ſacrario, quo Pontifices cum omnibus Cardinalibus ſuis magna pompa ſacra face-

facere ſoliti, contumulaverunt; enſe principali, de more familiarum talium, brachio ſuppoſito. Ne ſcilicet etiam poſt diſceſſum exercitus, qui tanto eum honore affecerat, Pontifici deeſſet, quod memoriam perpeſſorum malorum redintegraret. Octavo die ab expugnatione cum ſpoliis omnia etiamnum ferverent, qui Cæſarearum partium ſemper fuerat, metuque Clementis Urbe exceſſerat, in eam rediit mille circiter equitibus peditibusque ſtipatus, Cardinalis *Columneſius*, pleriſque Papalium partium aſſeclis extreme exoſus, Imperatori vero ejusque ducibus acceptiſſimus Princeps. Viſu digniſſimum id agmen fuit inſigniter ornatum, & quod armis, equis, militumque, egregia ſpecie animum potentiamque Cardinalis bene commendaret. Is fœdiſſimo rerum ſtatu conſpecto, cum a tantillis copiis tam munitam inſtructamque urbem in id loci redactam videret, ut prudentiſſimus quisque multis ad tantæ rei effectum annis opus fuiſſe putasſet, non potuit quin teſtaretur, non Imperatoris aut militum ipſius hoc opus eſſe, ſed Dei omnipotentis, qui perſpicue aliquando mortalibus oſtendere vellet, parva vi magnarum rerum expeditiones in ſua manu eſſe. Annus is, quo hæc geſta ſunt, alter ab eo fuit, quo, licet non direpta adeo, occupata tamen Roma fuit a minori etiam exercitu. Cum enim Cæſaris copiæ Neapoli decederent, Vice-Rex ejus Regni & *Hugo de Moncada*, Hiſpanorum ductor, itinera omnia verſus urbem tam arcte exploratoribus & militum cohortibus inſedere, ut de adventu ipſorum minimo minus Pontifex reſciſcere potuerit. In eo exercitu quatuor non amplius millia peditum, & mille levis armaturæ equites fuiſſe perhibentur. Ii nullo rumore ad urbem delato, ſubito in portis apparuere, quarum quamque ducentorum equitum turma inſeſſam, tutam ubi feciſſent, rapido agmine mediam urbem invaſerunt. Ad Colonam tertiam amplius horam dimicavere, donec repulſis præſidiariis Palatium Cæſareo nomine

 occu-

occuparunt, ipſumque mox ſancti Angeli Caſtrum, in quod Pontifex confugerat. Palatio vi effracto, neminem qui reſiſteret offendentes, omnia diſpoliarunt, ingenti pecuniæ pretioſarumque rerum ſumma in poteſtatem redacta. Id quod Pontifici nunciatum certum eum fecit, ſecus atque perſuaſum habebat, *Moncadam* nihil non armis tentaturum obtenturumque. Itaque legatis ad eum miſſis rem eo reduxit, ut Cæſareus Dux proclamari per urbem juſſerit, nemo ſibi rebusque ſuis de cætero metueret; non enim animo eſſe Imperatori quemquam injuria afficere, præter eos, quibus cum de pace jam ipſius nomine transactum eſſet. Itaque continerent arma, ſi clemente Cæſare uti vellent. Multis ea res amiſſam jam pene ſecuritatem reſtituit; prudentiores eventum alii tam inopinato exemplo non credere, ſed quæ in urbe habebant exportare. Iis ſequenti anno metus iſte plurimum profuit, ſalvis extra muros conſervatis iis, quæ Borboniana expugnatione haud dubio periiſſent. Idem iſte *Moncada* Vice-Rege Neapolitano comitatus tum quoque Romam venit, cum jam urbis ſextum decimum diem in poteſtate Borbonianorum fuiſſet. Erant in copiis ipſius tria millia peditum Germanorum, ſeptem Hiſpanorum; multaque tormenta; neque adventus ejus parum miſero rerum omnium ſtatui profuit. E veſtigio enim, ut tot malorum finis tandem aliquis eſſet, licentiaque penitus omnia perdendi militi demeretur; tres nomine Imperatoris civitati Rectores dati ſunt, quorum ſuum cuique imperandi ſpacium aſſignatum, ut cohiberi duarum, metu peccatura tertia pars poſſet. Cæſariarum etiam partium erat præter *Columneſium*, Cardinalis *Enceferdius*; in ejus domum multi Epiſcoporum, Procerumque & nobilitatis urbanæ omnia ſua bona conſtipaverant, arbitrati, quoniam nota ipſius in exercitu erga Imperatorem fides erat, tutiore ſe loco non poſſe fortunas ſuas collocare. Verum ſpes eos ſua prorſus decepit; Hiſpanorum enim cohortes cum ejus rei notitiam haberent, non deſtitere, quin obſeſſum Cardinalem in poteſtatem

ſtatem redigerent; qui initio quidem ut ſe ſuasque, quæque penes ipſum eſſent, facultates rapinæ eximeret, triginta aureorum millia perſolvere coactus eſt. Mox vero cum Germanorum celeberrimi ductoris *Fronſpergii* filius, *Melchior* nomine, familiaritatis gratia domum Principis ingreſſus eſſet, eaque res ad Hiſpanos enunciaretur; veriti, ne quod divitiarum ibi congeſtum noverant, in Germanorum manus veniret; ipſi prævenire; fructumque laboris percipere voluerunt.

Nocte igitur concubia domum expugnant, arcas, ciſtasque omnes effringunt, quodcunque ferri agique poterat aurum argentumque exportant. Immenſa pecuniæ precioſarumque rerum vis tum direpta eſt; quantam ſcilicet credibile eſt tot opulentiſſimos Præſules civesque in tuto deponere voluiſſe, cum ſpoliari ſuas domus metueret. Summa feſtinatione direptio hæc perpetrata eſt, in vicinas quasdam ædes raptim opibus congeſtis, altera die vacuis iis relictis, quæ quod efferri poſſet, jam non habebant. Neque Cardinali integrum erat ea de re apud exercitum ducesve conqueri, quin metu mortis muſſare & conſentire velut damnis ſuis cogebatur. Poſtridie cohors Germanorum Cardinalis cuſtodiæ inani domui immiſſa eſt. Jam victualium quæque ad edendi bibendique luxum faciebant, tanta ubique copia adfluebat, ut omnibus cellis, tabernis, culinisque magnatum patentibus, potius qui pararent & menſis epulas inferrent, deeſſent; quam qui parta & propoſita conſumerent. Stans ad ſigna in formidinem hoſtium miles undique comportatis vini doliis, diem potando ducebat; domus poſt ſtationem ingreſſus noctem pergræcando jungebat: neque erat quod quis metueret, vel de qua re ſollicitus eſſet, niſi quo pacto immenſam vim auri argentique, quam prædatus fuerat, ſervaret, aut tandem urbe relicta, ſecum aſportare poſſet. Tantæ tamque immani Urbis quodam Orbis dominæ vaſtationi & direptioni ſua prodigia non defuere. Vivebat tum etiam Romæ fatui quidam capitis homun-

muncio, Senis oriundus, extrema paupertate, *Johannes Baptiſta* nomine, adeo indigens, ut ſemitectus, inferiori corporis parte vili panno circumvoluta, per vicos ſæpe incederet. Is, nemine ejus cœpta curante, Jovis die Paſchati proximo, quem viridem vulgo appellant, Anni M.D.XXVII. quo ipſo hæc geſta ſunt, cum Sacramento ſolemni Domini memoria recoleretur, magnaque ceremoniarum pompa Bulla, quæ Cœnæ Domini dicitur, populo prælegeretur, in Templo Petri, magnæ ſe ejus Apoſtoli ſtatuæ impoſuit; Ibi cum paulum conſediſſet, magno clamore Pontificem, Cardinales, Epiſcopos, univerſamque Curiam Romanam allocutus eſt: Verterent dudum aliena ad Deum pectora, luxu, libidine, avaritia, deſiſterent. Quæ mala omnes & pro ſe quisque animo haberent, eo ejicerent, tempus ipſum retrocedendi arcto limite contineri: Imminere Vindicem ſceleribus Deum, qui pati jam non poſſit amplius tam immanium facinorum tam diuturnam continuationem. Quod ſi contemturi, adjecit, hos meos monitus eſtis, neque illico pariturі; ſcire vos volo pro certo, brevi urbem hanc evertendam, hoſtiumque poteſtati tradendam in conſilio Dei omnipotentis concluſum eſſe. Tu vero, qui Pontificem Vicariumque Dei te conſalutari jubes, neque Pontifex, neque Vicarius Dei es. Tune loco pulſo Chriſto, potentiam tibi vindicare impune audeas? Imminet commoti vobis Numinis ira; deſiſtite maleficiis, quodque rectum juſtumque eſſe non ignoratis, id ſequimini. His pluribusque in hanc ſententiam aliis homo, quem pro fatuo omnes contemſerant, quaſi pro concione univerſum Senatum Romani Antiſtitii increpavit. Neque quisquam, præcipue magnatum erat, qui illius ullam rationem habendam cenſeret; quoque riſu rem ſequente; & fatuorum privilegia eſſe, ut, quæ vellent, impune loquerentur dictitante. Ea opinio ſane miſero alioquin homini præſidio fuit; cum fortaſſe, ſi ſecus fuiſſent, ſupplicium vel carcerem non effugiſſet. Cum in ipſo templo

ad

Digitized by Google

ad ipſum talia de eo verba deferrentur, illico, nequaquam in his ſe fatuum eſſe proclamavit, ſed mandatum Dei exſequi, cui ſi parere nollent, periculo ipſorum rem gererent, ſeſe quæ certo ventura ſciret, prænunciaſſe. Sequenti mox Paſchatis die cum ingenti pompa ſacra ſolemni ritu peracta forent, denuo velut ſubſellium ſuum inſcendit; majoreque, quam antehac, vocis contentione eadem aliaque inſuper verba declamavit. Deſiſtite, ait, ſuperbia malisque moribus veſtris, denuo moniti; quod ſi neglexeritis, prædico, univerſa urbe pium impiumque eadem pœna hoſtium poteſtati ſubjiciendos. Addidiſſe non pauca contumelioſa in Pontificem ejusque natales & ſtirpem dicitur; quibus a ſatellitibus auditis, cum templo exire vellet, comprehenſus, fuſtibus pugnisque cæſus, & in Caſtrum S. Angeli in carcerem raptus eſt. Inter vapulandum ſubridens nequaquam illibenti animo ſe pro Domino ſuo iſta ferre confeſſus eſt, quin & majora ſponte perpeſſurum; ſufficere enim conſcientiam ſibi ſuam, qua noſſet Dei mandata pronunciaſſe. Ductus mox in carcerem; at vos, inquit, non diu me iſthic tenebitis, majoris potentiæ vindex veniet, qui hinc me brevi omnino invitis vobis educet. Stetit fides viliſſimi homunculi prædictis.

Paucis enim poſt eum diebus, ſexto videlicet Maji, Cæſareanus miles urbem expugnavit, miſerumque carcere liberavit. Exiens cuſtodia, cum omnia alia facie & in pejus verſa conſpiceret, ſilentio rem tantam ſecum admiratus eſt: Cumque omnia ferri atque agi videret: Boni, inquit, viri, agite, rapite, vertite omnia, quippe tempus hoc vobis deſtinatum eſt; verum ſcitote, omnia revomituros, quæ jam tanto furore deglutitis. Eo audito, duo tresve Hiſpani milites obtorto collo hominem abſtrahunt, cædem minitati, niſi quæ deinceps futura eſſent, ipſis prædiceret; reſpondit ut timore perculſus: nihil ſe prædicendum habere; neque quæ ventura imminerent, ſcire ſuum eſſe. Ea de reſponſione plurimi hinc

Digitized by Google

inde per exercitum ſermones nati ſunt. Fuit dehinc ad diſceſſionem usque copiarum in exercitu, & hinc inde commeans cibo potuque a militibus ſuſtentatus eſt. Prædictiones certe ipſius tam quæ Urbis direptionem, quam quæ exercitus infortunium tetigere, nequaquam irritæ fuerunt.

De Urbis quidem vaſtatione hactenus auditum eſt: Copiæ vero ſpoliis & divitiis ſupra vota onuſtæ, peſſime quoque pleræque interiere; adeo ut miles ne centeſimus quidem quisque patriam ſuam quicquam de eo intulerit, quod tanto pondere ferebat. Orta namque ſubito peſtilentia adeo crebros eos confecit, ut inſtar culicum muſcarumve in publico, perque vicos ſpoliatæ urbis, aut regionum civitatumque, per quas iter faciundum erat, conciderent. Si cui furor mortiferæ tabis pepercerat, is nullo modo quod partum habebat, Italia efferre quibat. Ingens multitudo ab inſidentibus viam latronibus, eo fine in inſidiis latentibus, trucidata eſt; qui miſeri precium cædium ſuarum quisque penes ſe habebant. Quæ res, per univerſam Italiam nota, infeſta iis omnia faciebat. Qui rediere ad ſuos, vetere ſuo artificio victum parare coacti ſunt, h. e. mendicando per pagos incedere, vilique pane & aqua de profluente hauſta contenti, divitiarum triſtem memoriam, nullum vero fructum, uſumve, reportare. Fuerunt nonnulli, qui Deo perſequenti, hoſtibusque inſidiantibus elapſi, alea ingentes opes perdiderunt; Adeo certum eſt male parta male dilabi, fructumque opum ex cauſſa acquiſitarum ſemper pependiſſe. Ita & hac parte, quid vilis ille homuncio prædixerat, ſecundum verba ipſius cecidit. Qui bellis rapinisque diteſcere poſſe ſperant, neſciunt quam viduarum, pupillorumque, & contemti bellatoribus populi clamores cœlum penetrent, quæque pœna horum violatores ſequi divinitus ſoleat, niſi cum, exemplis non credentes, damno, detrimento, quin & excidio ſuo veritatis regulam conteſtantur. Durante Caſtri S. Angeli obſeſſione, Pontifex, qui pluri-

Digitized by Google

plurimis tormentis, ſed parvo commeatu inſtructus inibi erat, nihil non moliri, conari, tentare, dolo & ex animo, ut inducias aliquot dierum impetraret, deditionem etiam ſpondens. Verum omnibus irritis, tamdem bona fide Victoribus ſe tradere coactus eſt, iſtis potiſſimum conditionibus, quarum ſeries ita breviſſime contrahi potuit. Quoniam Fortuna adverſa vel juſta, potius ira Dei eo res redactæ eſſent, ut Pontifex Romanus CLEMENS *Septimus*, ditione Urbis Romæ ejectus, in caſtroque ſuo S. Angeli a Caroli Quinti Imperatoris copiis obſeſſus, ferro fameque ad deditionem compulſus ſit; affirmat, juramentoque ſancit ipſe Clemens Papa ſeptimus, ſe corpus & omnia ſua bona Cæſareæ majeſtati dedere, ut arbitrio ſuo de ipſis diſponere Imperator poſſit. Speciatim vero ipſius poteſtati tradere, quoniam Neapolitanum regnum jam occupaſſet, *Parmam, Placentiam, Modolam, Bononiam, Oſtiam, Vozam, Caſtellanam*; Quodque de ſtipendio veteranis in exercitu Cæſaris reliquum inſolutum ſit, hoc de ſua pecunia Pontificem numeraturum. Quæ ſumma ſit aureorum CCCC. millium. Ita mutua fide data & accepta, Pontifex de Caſtro S. Angeli decedens, poteſtati ſe Cæſareorum Ducum dedidit. Idem facere Cardinales, Epiſcopi, & quicquid Procerum captivum Principem non deſeruerat. Qui præſidio arci milites fuerant, ab iis juramentum exactum eſt, contra Cæſarem numquam merituros. Eorum vicem ſigna duo, alterum Hiſpanorum, Germanorum alterum cuſtodiæ caſtri data ſunt. Pontifici aulæque ipſius licet expoſitis militari petulantiæ, omnis tamen a ducibus honos habitus eſt, quorum plerique mira urbanitate quem captivum habebant, adulati ſunt; culpa ab ſe in militem ſemota, qui fame penuriaque & ſtipendiorum mora efferatus, cum a ſuis quo opus erat, nanciſci non potuerit, vi extremæ egeſtati conſuluerit, & inde ſubſidium petierit, ubi ſumma omnia abundantia eſſe notum habebat. Quod ſi omnino ſanctiſſi-

Digitized by Google

mus Princeps iraſci & ductoribus ipſis vellet, videret cæteros ipſius cauſſa omnia quæ poſſent & facere & facturos eſſe; Summum vero malorum auctorem pœnas conatuum in ipſis ſcalis expugnandæ urbi dediſſe. Sine cujus imperio ſi fuiſſet, res alio omnes ordine procul dubio geſtæ forent. Ita tum quisque quod egerat, cuique conſilio atque opera adfuerat, minime egiſſe videri volebat. Dediti Pontificis nuntius illico ad Cæſarem miſſus eſt. Pauci interlapſi dies erant, cum neſcio quorum clandeſtinis in exercitu conſiliis deſtinatum erat liberatum Papam ab inimico milite, clam Urbe aliorſum educere, non quomodo uſus & conſuetudo poſcebat, congregatis copiarum præfectis, ſed uno alteroque rem ſua auctoritate gerente. Verum forte fortuna de eo negocio Hiſpanus gregarius inaudiverat, is nulla mora indicium tribuno ſuo fecit, qui nequaquam cunctandum ratus, impigre cum cohorte ſua, ubi congregatos hujus conſilii auctores noverat, irrupit, disjectosque & hinc inde diffugientes tanto metu opplevit, ut numquam poſtea ad exercitum redire auſi fuerint. Poterat emolumento Clementi eſſe, ſi urbe tum exire potuiſſet, verum detecta re, miles in dies magis magisque exacerbatus, extrema omnia comminatus eſt. Eoque iracundiæ veniebant copiæ, ut nullo modo pacari poſſe perhiberent, niſi ſtipendia integra ipſis a Pontifice, etiam quæ a decem annis Imperator debebat, ſolverentur. Plurimi tum in exercitu fuiſſe dicuntur, quorum portio mille aureos exceſſerit, ut infinita hæc pecuniæ copia fuerit; quam nullo modo tamen milites quin poſcerent tumultuabundi, perſuaderi poterant. Diximus antea de Urbinate, qui Pontificis reliquas copias ad urbem ducebat. Is ſucceſſu rerum audito hæſit aliquandiu, incertus utram fortunam ſequeretur, cum & fallere felix poſſet, & adverſa præſentis eſſent periculi. Tandem cum univerſo, cui præerat, milite, ad Cæſaris partes conceſſit, ſeptem millia in armis tum habuit, reliquis

quis dilapſis aut aliorſum concedentibus; nam, ut initio quoque dictum eſt, ad triginta millia ſub ſignis ipſius fuiſſe fama erat. In urbe cadavera hominum & jumentorum terra obiter injecta ſemiſepulta manſerant. Ea res funeſtam peſtilentiæ tabem dedit, adeoque præcipitem, ut memoria hominum par lues exſtitiſſe non credatur. Itaque milite jam ſemoto, nemo fere in urbe manere poterat, ita vacua habitatoribus domicilia miſerrimam faciem tam opulentæ florentique paullo ante Civitati dabant. Altera hæc ſtrages Romanos premebat, verum non poſtrema. Sopitis enim morbidæ luis incendiis, tanta annonæ caritas ſucceſſit, ut multis retro ſeculis major comperta non fuerit. Quicquid frumenti horreis principalibus ſuſtinebatur paſcendæ plebi fame furibundæ, effuſum eſt; parvo vero tempore & penuariis omnibus exhauſtis, inuſitata ciborum genera miſeros conſolata ſunt. Ita faſtu ante unum menſem turgida civitas, & cacuminibus cœlum pulſare viſa, ad inferos usque paucis diebus dejecta eſt; Neque qui auctores malorum fuerant, tanta præda gaviſi ſunt; cœlitus peſtilentia ærumnis innumeris in extera regione oppreſſi; fame tamdem refundere coacti, quod avaritia inexpleta velut ingurgitaverant. Hæc conſilio omnipotentis Dei ita geſta ſunt, ut poſteritas velut in ſpeculo coram videre poſſit, Providentiam divinam criminoſum hominum genus, facinoroſis aliis ulciſci & punire ſolere. Neque tamen ideo malis parcere, quod contra malos ipſi ſervierint; ſed expleto uſu, pœnaque exacta, & iis imminere, qui peſſimos peſſime tractarunt. Quæ res documento & conſolationi nobis eſſe debet, cum gnari peccatorum contra ſancta Dei præcepta, bacchari in ſupplicia noſtra hoſtem efferum videmus. Non enim & ipſe meritas pœnas effugiet, cum non ſentiens majori manu ſe torqueri immiſſis frenis velut ſua virtute nos proſternens nihil omittat, quo preſſos plane proterat.

 Hic

Digitized by Google

Hic ordo divinæ vindictæ ab initio rerum conditarum ad noſtra usque tempora per omnia Imperia & regna proceſſit; nec credibile eſt tam diuturno ævo ſervatum, hoc ultimo iri immutatum. Licet ſecuritas mortalium ſucceſſu rerum immanes animos ſumat; hæret tamen male geſtorum in penetralibus conſcientiæ perpetuum opprobrium, quod ſterili timore florentes proſperæ fortunæ ſtimulos comprimat; donec revoluto tempore & maxime felices, teſtimonio proprio meritum, ſequantur interitum.

ORATIO

HABITA IN SENATU ROMANO PRÆLECTIS LITERIS A CAROLO V. POST URBIS DIREPTIONEM SCRIPTIS.

SOlebam antea P. C. nonnunquam Diis immortalibus gratias agere, quod orbata Rep. tantis luminibus ipſe ſuperſtes adhuc eſſem; cum tamen amiſſis omnibus ornamentis, maxima etiam vitæ pericula adiiſſem. At poſtquam recitari audivi literas, quas CAROLUS, *Cæſar deſignatus,* ex Hiſpania *VII. Cal. Auguſti* ad Nos dedit, maximo in dolore ſum, vel mœrore potius, quod ut periculi tot ampliſſimorum Civium, clariſſimorumque Virorum, quos deſideramus, fui, ita etam fortunæ, acerbiſſimique fati particeps non fuerim. Etenim, ut infinitas alias omni in genere miſerias, quas ferre coactus ſum, prætercam, hanc ſaltem nunc miſerrimam turpiſſimamque indignitatem, ut quo primum die poſt patriæ excidium convocati ſumus, ſententiam ipſe dicerem, quemadmodum ad Cæſaris litteras reſpondendum eſſet, qui *nulla ſua voluntate* nos afflictos eſſe teſtatur; cum tamen paucas ante horas, quam everteremur, ſententiam quoque dixiſſem de ratione agendi cum BORBONIO, *Duce Cæſariani exercitus* , vel potius Furia, ac face humani generis, qui

qui nomine ejusdem Cæſaris, certaque auctoritate in Nos invadere probabat, & juſſu, imperioque illius, niſi deditionem faceremus, ſe Urbem inflammaturum, Cives trucidaturum, omnia deleturum, minabatur. Quin etiam, ſi ille ipſe ſceleratus Dux reviviſceret, atque hæc cognoſceret, non dubito, quin fortunæ Populi Rom. miſereretur, etiamſi ab omni humanitatis ſenſu alienus eſſet, quod cum tantis malis in Nos importandis audiens fuiſſet Cæſari, intelligeret, mox ipſum Cæſarem velle ſui teterrimi facti invidiam alio derivare, & culpam tantarum ruinarum in alium, quam in auctorem conferre. Itaque rectius feciſſent Principes Civitatis, ſi Nos huc convenire juſſiſſent ad lugendas miſerias noſtras, non ad deliberationes habendas. Quod ſi hoc tempore quidquam Nos deliberare optaſſem, voluiſſem potius, ut deliberandum Nobis cenſuiſſent, non de reſpondendo ad litteras Cæſaris, ſed ad verba profligatiſſimorum Cæſaris latronum, qui poſt Concordiam cum CLEMENTE *Pontifice Maximo* inſtitutam, poſt ſocietatem nobiſcum initam, poſt omnia amicitiæ jura ſancita, ſemper a Nobis pecuniam efflagitant, ſemper rapiunt, ſemper fortunis noſtris inſidiantur, ſemper jugulant, ſemper diruunt; nec Urbe ſe exceſſuros denunciant, niſi inflammata, everſa, diſturbata, exciſa, & ſolo penitus æquata. Hæc tam horrenda ſuorum facta, hanc tam contumelioſam verborum acerbitatem, hanc tam arrogantem & fœdam crudelitatem Cæſar excuſare debet litteris mittendis? Verbis ſpecioſis uſurpandis? ſuis familiaribus allegandis? Non *audit*, inquiunt: At audivit direptiones; audivit neces civium; audivit cruciatus & carnificinas Sacerdotum; audivit expilationes Templorum, & demolitiones, audivit ruinas tectorum, qui tam immania maleficia vindicavit? qui tanta mala ſedavit? qui tam incredibiles calamitates levavit?

Nihil

Nihil unquam ab eo allatum cognovi P. C. niſi nuntios, ſi verba reſpicias, jucundos, ſin facta, triſtes & acerbos. Nunc has litteras accepimus, quibus multa nobis ſignificat de ſuſcepto conſilio propagandi *Imperii Romani*, cum primum Cæſar ſalutatus eſt; & Ducibus ſuis obſiſtentibus, nos perculſos, conqueritur; ad extremum miſerias noſtras ſe levaturum pollicetur. Et certe, cum has ipſas legerem litteras, me ita varie affectum fuiſſe fateor, ut modo non ſatis conſtituere poſſim, quid agendum ſuadeam, quid reſpondendum decernam, quid denique conſultandum cenſeam, quod vel hominem Romanum deceat, vel hujuſce Ordinis auctoritate dignum judicetur. Sed tamen, ne vanus fuiſſe tantus labor Primorum Civitatis, in nobis convocandis, & fruſtra ſuſcepta de mea ſententia expectatio videatur; dicam omnino, quid cenſeam, P. C. iſtis litteris reſpondendum. Qua in re illas per capita primum nobiſcum recognoſcere neceſſe eſt; ut facilius Principes Civitatis in reſcribendo noſtræ cauſæ ſatisfacere poſſint.

Primum igitur CÆSAR ait, *Illuſtres*, & recte quidem Illuſtres. Nam e nomine Romano ſplendorem Imperio Romano, quod gerit, oriri judicat, idque prudenter. Nihil enim in terris unquam nomine Romano fuit illuſtrius, nihil acceptius, nihil omni mortalium generi gratius. Quandoquidem armati, qui tum ſummæ Reipublicæ præerant, potius orbis terræ patrocinium habere videbantur, quam imperium. Contra, modo nihil infelicius nobis, nihil afflictius, nihil miſerabilius, cum qui armati præſunt, crudelitate & ſpe novarum rapinarum omnia fœdare videantur. Illuſtres autem quonam modo eſſe poſſumus teſtimonio Imperatoris Romani? cum in tenebris omnia jaceant. Nobilitas enim ab illius exercitu deleta; juventus occiſa, artes,

Digitized by Google

artes, diſciplinæque extinctæ; Sacerdotes, quorum auctoritate ipſe Cæſar Imperium obtinet, diſſipati fugaque diſtracti; opes omnis generis ablatæ. Hæc ſi eſſent, illuſtrare nos poſſent, ut alias illuſtrare conſueverant. At Cæſariani latrones vere illuſtres & ſplendidi, quippe qui omnem ſupellectilem, omnem mundum muliebrem, omnem rerum pretioſarum apparatum, omnia domeſtica ornamenta eripuerunt; atque his non contenti, ſacras etiam Divorum ædes donis ſpoliarunt, quibus nunc clypeos, loricas, galeas, decorarunt; atque ita armati, ut per Urbem illuſtres incedunt, ita Illuſtres appellandi videntur.

MAGNIFICI. Si Cæſar ſuperiora reſpicit tempora, jure quidem nos Magnificos vocat; cum præſertim illius milites urbana opera, quæ noſtram teſtabantur Magnificentiam, vix per annum demoliri potuerint. At ſi præſentem intelligit ſtatum, ut omnino intelligit, derideri nos puto. Nam ſpoliati iis fortunis ſumus, quæ ad magnificentiam declarandam pernecesſariæ ſunt. Itaque nullas poſthac divitias, vel in publicorum operum ornatum, vel in amplitudinem, vel in materiæ præſtantiam, vel in æternitatem conferemus. Nihil etiam ſolliciti erimus de ludis faciundis, de ſpectaculis edundis, de Regibus publico hoſpitio excipiundis. Quocirca nec ipſe mirabitur, cum huc venerit, ut Imperii inſignibus honeſtetur, ſi nec ſuo hoſpitio ullam dignam domum invenerit, nec in ſe excipiendo quidquam magnifice a nobis agi viderit.

SPECTABILES. Non ſatis conſtitutum habeo, utrum Cæſar Nos ſpectabiles vocet, quod noſtræ jam miſeriæ ſpectaculo omnibus ſint; an quod ſpectata ſit noſtra conſtantia in tot acerbiſſimis injuriis ferendis. Conſtantiam, dico? neſcio an melius patientiam poſſem dicere, vel ut erumpat ex me vera vox, & dicam ſine cunctatione, quod ſentio, in graviſſimis maleficiis tolerandis remiſſionem animi, ac diſſolutionem. Quotus enim iſtud quisque populus feciſſet, ut amplius

Aa aa

Digitized by Google

plius Imperatorem eum vel appellaret, vel ferret, qui infinitam crudeliſſimorum Barbarorum manum armaſſet in perniciem ſui populi; in quibus ad omne facinus immanis eſſet audacia, præcipuaque rapiendi, & cædis faciendæ cupiditas.

SINCERE DILECTI. Exhilarat ſervitutem noſtram Cæſar tam blandis verbis. Et certe eximie nos diligit, dulcemque ſuum erga nos amorem, his litteris ſcribendis, atque ex animo loqui exiſtimo. Tantus enim Rex, & quidem noſter, nihil ſimulate, nihil ficte, vel loqui, vel agere poteſt. Verum immanes hi Barbari, vita, moribus, inſtitutis, natura, conſuetudine efferatiores, quam veræ unquam belluæ, ſi hilaritatem in nobis ullam perſpicerent, aut ſtultos, aut nimis credulos, nimisve ad fidem faciles judicarent, quoniam ſua importunitate, omnes hilaritatis, lætitiæ, voluptatis, & jucunditatis cauſas e nobis ſublatas voluerunt; dum nos ita miſere affligunt, & omnes fortunas noſtras, ſuam ad libidinem, vel partas, vel reſervatas dictitant.

Romani Imperii dignitas hac a nobis Lege ſuſcepta eſt, ut, quantum per Nos fieri poſſet, ſarcinam hanc, non tam pro noſtra, quam pro Reipublicæ Chriſtianæ ipſiusque Romani Imperii gloria ſuſcepiſſe videremur.

Oneratus quidem Cæſar fuit iſta ſarcina, quæ Romani Imperii honos atque dignitas eſt, cum par fuiſſet, quantum cura, labore, vigiliis, facultatibus, auctoritate, conſilio, opibus Imperii eniti, atque efficere poterat, nihil prætermittere, quod ad Romanorum libertatem, ad Italiæ incolumitatem, ad omnium denique Chriſtianorum felicitatem, pertinere arbitraretur. Onera enim hæc maxima fuerunt Principum Romanorum, qui humano generi ſalutares habiti ſunt. Sed nihil prorſus tale a Cæſare factum videmus. Honoratus ergo Caro-

Digitized by Google

Carolus fuit Cæſaris nomine, & decoratus gloria. Nos onerati ſarcina laborum, vigiliarum, ærumnarum, ſollicitudinum, quibus tamen reſiſtere non potuimus furioſæ immanitati incredibilique ferociæ tot ſicariorum, & parricidarum, quos in nos excitavit. Nullam autem Reipublicæ Chriſtianæ Romanoque Imperio gloriam partam fuiſſe illius Principatu cernimus, niſi forte ille gloriam eam exiſtimat, quam, qui latine loquuntur, ignominiam & exitium appellant. Siquidem Hiſpani & Germani, quibus ille imperitat, finitimos Gallos ſemper habuerunt; Britanni, occaſione temporum, modo Gallos, modo Germanos bello perſequuti ſunt. Pannonii Jaurinum, invictum fere propugnaculum, quo fines ſuos ab excurſionibus Turcarum, & latrociniis tuebantur, amiſerunt; ad extremum cæſo *Aloyſio* LUDOVICO Rege, qui ſororem ipſius Cæſaris duxerat Uxorem, a Solymanno Rege Turcarum, libertate, una cum Regni honore ſpoliati ſunt. CHRISTIERNUS Rex Cimbriæ Cherſoneſi, cui altera ſoror nuptui tradita eſt, Regno opulentiſſimo, & maximo excidit, & vagus exulque diu erravit, ac undique excluſus, vix in FERDINANDI Fratris Aulam recipi potuit. Rhodus, transmarinarum Provinciarum robur atque firmamentum, longa obſidione fatigata, cum ab eodem Cæſare fruſtra opem & auxilium imploraſſet, tandem armis Turcarum ceſſit. Nulla vero Italiæ regio vaſtitate, & quidem miſerabili, vacat. Nulla eſt pars, in quam Cæſariani ſuæ rapacitatis, ſuæ libidinis, ſuæ nefandæ crudelitatis, veſtigia non impreſſerint. *Laus* enim *Pompeja* latrociniis divexata; *Genua* direpta eſt; *Ticinum,* quod Regis Galliæ obſidionem pertulerat, ſuæ conſtantiæ hos fructus tulit. Commiſſo enim prælio, & capto Rege, *Carolus Lanojus,* quem Cæſar & ſuo exercitui, & Regno Neapolitano præfecerat, prædæ reliquit Germanis militibus ſtipendium efflagitantibus. *Cremona* incendiis, ruinis, rapinis miſerabiliter afflicta eſt. *Mediolanum* fere diſturbatum. Cuncta *Æmiliæ* oppida omni

Digitized by Google

genere calamitatum perculſa ſunt. Urbs autem quid non acerbum? quid non miſerum? quid non tetrum? quid non funeſtum perpeſſa eſt? quotidieque perpetitur? Videmus has ſedes ſanctitatis, amplitudinis, mentis, conſilii publici, caput orbis, aram Chriſtianorum, portum omnium gentium, inflammari, exſcindi, funeſtari. Quid poſtea Cæſar? Parere ſe voluiſſe noſtris utilitatibus.

atque ut Romanorum nomen, temporum injuria fere extinctum, in priſtinum ſtatum erigere, idque, rurſus per univerſas Orbis nationes clariſſimum ac celeberrimum reddere liceret,

Expectabamus quidem Romani, omnia hæc tam præclara beneficia a Cæſare; tum quod crebris ipſe litteris ſuam hanc voluntatem nobis ſignificarat; tum etiam, quod maxima ornamenta, quæ Pontifices Romani in eum congeſſerant, adducere eum poſſe videbantur, ut erga Romanos gratus eſſet. Nec opes illi deerant, ut avo, proavo, & reliquis majoribus ejus deeſſe vidimus, ad res tam illuſtres, & memorabiles gerendas; cum ille unus propemodum plus poſſet, quam univerſi chriſtiani generis Reges, & Populi; quanquam certioris noſtræ ſpei illa etiam cauſa videri poterat, quod maleficia, & tetra ſcelera, quæ complures Germani Cæſares, Pontificum Maximorum hoſtes, per ſummam impietatem olim ediderunt, ſperabamus ab hoc ipſo Cæſare, ob miram pietatem, quam præ ſe fert, compenſari debere, reparandis templis, magnificis ædibus exſtruendis, viis muniendis, ornandis publicis ædificiis, exhauſtis domibus replendis, civium celebritate augenda, & aliis pulcherrimis monumentis, quæ tum ad famæ claritatem, tum ad memoriæ æternitatem, inſignia, & admirabilia eſſent, ut Romanorum nomen temporum injuria fere extinctum, in priſtinum ſtatum erigeretur. Verum ſuppudet dicere, Germaniæ clariſſimæ Provinciæ cauſa nulla

Digitized by Google

nulla P. C. aliorum temporum injuria magis pernicioſa, magis funeſta, magis tetra, atque magis Romanorum nomen extinxit, quam præſentium non injuria, ſed atrocitas quædam & diritas. Nunc P. C. filios ante conſpectum noſtrum jugulari vidimus: Nunc ipſi etiam Parentes, affecta ætate, ſummaque ſenectute, per exquiſita tormenta vexati, ad mortem compulſi ſunt: Nunc bona noſtra expoſita diripi, occultata erui, & diſſipari cognovimus: Nunc Pontificem maximum in cuſtodiam haberi: Nunc cujusque ordinis Sacerdotes necari doluimus: Nunc religionis dignitatem violari, & in Dei Majeſtatem illudi perſpeximus. Hoc fuit per univerſas orbis nationes clariſſimum ac celeberrimum nomen Romanum reddere, hoc eſt, clariſſimos & celeberrimos reddere excurſores, & carnifices, illos qui in Nos immiſſi ſunt, ut ſua barbara crudelitate tetram omnem barbariem ſuperarent.

Ut, qui in Chriſtianorum Provincias Religionis Principatum obtinent, quorumque religioſis legibus a Chriſtianis ubique obtemperatur, eorum etiam religioſis & profanis juribus Chriſti nominis hoſtes colla ſubmitterent.

Judicium hoc a gravitate & ſapientia Cæſaris Romani non alienum erat. Talis quoque voluntas decebat eum, qui Carolum illum, graviſſimum & ſanctiſſimum Imperatorem, inter imagines Majorum ſuorum haberet, eundemque primum e Transalpinis ampliſſimi Cæſaris nomine ornatum. Decebat quoque eum, qui ſemper armatus, Pontifici Maximo, tanquam advocatus adeſſe; qui ſemper inunctus patrocinium Sacerdotum, contra Sacerdotum hoſtes profiteri; qui etiam ſemper religioſus, defenſionem religionis ſuſcipere debeat. Chriſtiani quidem religioſis Cæſaris Legibus obtemperant, ſi eæ leges Chriſti præferant religionem. At quid lege Chriſti præſcriptum habemus? Nempe benefi-

Digitized by Google

centiam ſtudere, honeſtate gaudere, manſuetudinem præſtare, pacem ſervare, ſimplicitate & conſtantia uti, alieno abſtinere, a parricidio abhorrere. Sed qui apud Cæſarem auctoritate nunc valent, in nos Chriſtianos, & religioſarum legum non violatores, nec Chriſti legibus uti, nec ejusdem inſtituta ſervare, viſi ſunt. At dicebat, ſe ea velle in Chriſti nominis hoſtes inferre, ut ſuis religioſis, & profanis juribus colla ſubmitterent. Sed Cives Romani, miſeri, colla ſubmiſimus non ejusmodi legibus Cæſaris, verum impiis ſecuribus Cæſaris; totum etiam corpus tormentis, cruciatui, trucidationi, obtulimus eorum, quia noſtris a civibus, nec religionis cultum, nec ſtudium parendi legibus Cæſaris exigebant; ſed magnam pecuniam, majorem etiam patientiam efflagitabant, cum libertate privarentur, cum cruorem profunderent, cum vitam amitterent.

Simulque & Chriſti, & Romani Imperii gloria, beneficio noſtro reſtitueretur.

Chriſti nimirum gloriam reſtituiſſet Cæſar, ſi perpetuo ſuo Principatu Vicarium Chriſti incolumi dignitate eſſe permiſiſſet, atque illius cauſam, omnibus ſuis ſtudiis, laboribus, vitæ periculis complexus, ſociis armis, ſociisque viribus, bellum in oppugnatores Chriſtianorum intuliſſet, non in defenſores, acerrimosque propugnatores. Quin etiam reſtituti Romani Imperii decus eum quærere voluiſſe, ſtatueremus, ſi diuturna pace Italiæ populos recreaſſet; ſi curaſſet, ut Roma ſtaret; ut opes Civium Romanorum integræ eſſent; ut ordo Romanorum Sacerdotum vigeret; ut Pontifex ipſe Romanus, quemadmodum honore clariſſimus eſt, ita etiam opibus, auctoritate, gratia, ſplendore, & poteſtate floreret. Sed Cæſar valentiſſimos Fabros, robuſtiſſimasque operas adhibuit ad diruendam Romam, ut aliam fortaſſe Romam in orbe alio ædificaret, ſibique pararet. Verum hi fabri demoliri optime ſciunt,

Digitized by Google

unt, ædificare autem architectarique neſciunt. Itaque non alibi reſtituetur Imperii Romani gloria, ſi Roma nulla ſit, ubi Romani Imperii domicilium haberi debeat.

Verumtamen a vicinis noſtris ad bellum provocati, civilia arma tamdiu exercere coacti ſumus. Quæ nunc tempora deſignet Cæſar, ignoro. Siquidem poſt obitum *Maximiliani*, usque ad extremum Pontificatus *Leonis* annum, Italia pacata fuit, Transalpinæ autem provinciæ pacatiores; Sex ante obitum *Leonis* menſibus, in Italia ipſe Cæſar, junctis armis cum Leone, *Proſperum Columnam*, cum maximis Germanorum, Hiſpanorum & Italorum copiis, in Inſubres, ac Transpadanos miſit, qui *Odetum Lautrethium*, Præfectum Regis Galliæ, ex Ciſalpinis Galliæ urbibus exterminaret, in Regnumque Mediolanenſe *Franciſcum Sfortiam* reſtitueret. Victor *Proſper* auſpiciis Cæſaris, ac Leonis, Sfortiæ ſuum reddidit Regnum, atque illud pacatum tamdiu obtinuit, quamdiu Proſper vixit. Summo enim, & ſingulari illo Duce vita functo, Cæſariani modo hujusce rei, modo illius ſuſpicione perculſi; ac de novi Dynaſtæ potentia, communibusque fortunis amplius extimeſcere nolentes, eum e Regno exturbarunt. Ergo finitimos Cæſar in Italia bello laceſſivit, armis vexavit, innumerabilibus ferarum gentium copiis invaſit. Quid? quod ipſe LEO *Julium Medicem* Legatum, cum immenſa pecunia e Florentia, ubi publici conſilii auctor erat, in exercitum, ad Parmæ mœnia ſedentem, tranſire juſſit, tum ut certior victoria referretur; tum etiam ut armorum ſuſceptorum fama clarior, & ut ita dicam, auguſtior belli illati auctoritas eſſet. At quam gratiam Cæſarianus ille exercitus, quem permagno ſtipendio affecerat, eidem *Julio*, qui nunc Pontifex Maximus eſt, retulerit, niſi cum maximo gemitu dicere non poſſum; ita miſera, & omni ex parte luctuoſa eſt ipſius Pontificis fortuna.

Quo-

Digitized by Google

Quouſque in poteſtate noſtra fuit, labantem Remp. reſtaurare.

Inſtaurare fortaſſe Cæſar ex Hiſpania collapſam Remp. volebat in Italia; ſed qui in Italia Cæſariani Duces erant, volebant collapſam calcare, proſternere, & penitus atterere. Nec omnino Cæſar exultantium iſtorum prædonum audaciam contundere, ac frangere, nec tantis malis occurrere potuit. Itaque ut ex disjunctiſſimis terris, ac remotiſſimis locorum ſpatiis fieri ſolet, conſilia poſt res afferri ſentimus.

Reſtitutoque priſtinæ libertati Gallorum Rege, maluimus iniquam pacem amplecti, quam bellum æquiſſimum proſequi.

Non contenti Cæſariani Gallos citeriore e Gallia expuliſſe, in ulteriorem etiam, ſuperatis Alpibus, gravem armorum tempeſtatem immiſerunt; dumque *Maſſiliam* obſident, ſentiunt fortunam curſum ſuarum victoriarum nonnihil interpellare. Siquidem Urbs ea, *Laurentii Urſini Cæritis* induſtria egregie defenſa, idem erga ſuum Regem fidei, & conſtantiæ exemplum retulit, quod erga populum Rom. bellis civilibus prodiderat. Nec multo poſt affuit Rex Galliæ, qui obſidentes obſedit. Soluta igitur obſidione, cum hoſtes fugientes inſectaretur, nullum inſectandi finem fecit, quoad uterque exercitus in Circumpadanis Campis in Italia conſtitit. Tum Rex, cum in aciem omnes copias eduxiſſet, communem Martis caſum, ancipitemque belli fortunam tentaturus, nihil Cæſariani potius & antiquius habere viſi ſunt, quam in oppida confugere. Itaque dum Rex *Ticinum* obſidet, Cæſarianus Exercitus majoribus, ex Germania copiis augetur, tum univerſi e Galliæ urbibus erumpentes impetu, in Regia caſtra facto, Rex infeliciter capitur. Cæſar captivum Regem ad ſe in Hiſpaniam adductum liberat, imperatis obſidibus duobus grandioribus natu filiis, & fide accepta, eum quasdam Belgicæ Galliæ

Galliæ urbes redditurum. Egit quidem Cæſar, quod conſentaneum erat virtuti, fidei, & magnitudini animi Regis Chriſtiani, ut Regem, qui Chriſtianiſſimus appellatur, perditum ſervaret, jacentem ſublevaret, captivum dimitteret, & priſtinæ libertati reſtitueret. Verum judicio bonorum, & ſapientum hominum magis Regio animo & more Chriſtiano feciſſet, ſi eundem dimiſiſſet, non dico, quemadmodum alii Cæſares, qui Romæ rerum ſunt potiti, captivos Reges & liberarunt, & dimiſerunt; ſed quemadmodum *Philippus Vice-Comes Mediolanenſ.* Dynaſta, *Alphonſum* Regem dimiſit. Huic enim, cum in faucibus Cajetani Portus navali prælio captus eſſet, ad eundemque Mediolanum adduceretur, in primis Regni finibus præſto fuit, nec illum, ut captivum, ſed ut hoſpitem, magnanimus hoſpes tractavit; deinde infinitis muneribus ornatum abeuntem, usque ad ultimos fines eſt proſequutus. Monumenta enim ſalutis, & clementiæ, ſi in privatis glorioſa ſunt, multo magis commemorantur in Regibus. Quamquam nunc quærendum non eſt de captivo Rege Galliæ, ſed de nobis Romanis captivis, calamitoſis, abjectis, & miſere perculſis. Quid, Captivis? immo ſervis afflictis, ærumnoſis, atque e ſedibus ac fortunis noſtris ejectis, impulſis, elatis, inductis, in fraudem conjectis, & ſimulatione officii, ſummæque benevolentiæ, omni cum perfidia falſis, turpiterque deceptis. Nec ſane (quantum conjectura auguror) unquam licuerit Cæſari gloriari liberaſſe Romanos, uti licere ſibi perſuadet gloriari, Galliæ Regem liberaſſe; cum amplior atque illuſtrior omnino futura fuiſſet ejus gloria, ſi, ut Cæſar Romanus eſt, ita etiam Romanum ſervaſſet Populum.

Utpote qui longe majora pro Chriſti gloria perficere poſſe ſperabamus.

Utinam latrones iſti & furiæ, quas Cæſarianorum Ducum immanis importunitas, incredibilisque furor rapinis, in-

Digitized by Google

cendiis & omnibus exitiis publicis pavit, aliquando hanc Cæſari operam præſtent, ut pro Chriſti gloria bellum adverſus transmarinos ejusdem hoſtes gerant: quod alias ſe ſperaſſe ait Cæſar, & nunc quidem ſperare & velle confido, idque cum aliis de cauſis, tum maxime, ut ſuorum militum animos expiet tam impunis ſceleribus & maleficiis, quæ in hujus Civitatis diſperditione commiſerunt. Quamquam ſpero, & quidem propediem ex hoc loco nos ſpectatores fore juſtisſimæ ultionis noſtrarum injuriarum. Coguntur enim multa Latii Caſtella, atque adeo Regnum ipſum Neapolitanum, defendere adverſus Britannos, Gallos, Helvetios, & alios Barbaros; qui, etſi eadem crudelitatis rabie in bellis, qua Cæſariani, commoveri ſolent, tamen ipſam nunc eo vehementius incitabunt, quo majorem gloriam ſibi paratam cernunt, e monſtris iſtis confectis, quæ invictum robur ad dimicandum ſe afferre jactant.

Dumque ad eam Provinciam accingimur.

Mari? an terra? an utrobique? Mari navalis apparatus nullus viſebatur. Etenim Siciliæ Portus, qui ſemper in aliis hujus generis bellis receptacula fuerunt Claſſium, quæ in Aſiaticos hoſtes ducebantur, toto Cæſaris Principatu ſemper Claſſibus, ſemper militaribus ſtationibus, ſemper claſſiariis, ſemper remigiis, nauticaque omni turba, nudatos vidimus. Ad littora Hiſpaniæ paucæ quædam celeres erant, quæ nuntios Cæſarianis in Italia latrocinantibus afferebant; nec unquam claſſibus, aut firmis præſidiis, adornata fuerunt. In Germanico Oceano vix dum ſex, aut ſeptem naves onerariæ navigabant, quæ merces ex Britannia, Gallia & Hiſpania ad maritimas Germaniæ Urbes importabant. Superum Mare & inferum, quatenus Regnum Neapolitanum alluit, nec navibus, nec claſſibus, nec Præfectis maritimis unquam cuſtoditum eſt: cum tamen Cæſar, ut Rex Neapolitanus, ſuo ex officio,

Digitized by Google

ficio, veterique inſtituto claſſem, & quidem permagnam inſtructamque habere debeat ad Italiæ tutelam, & mare piratis liberum reddendum. Terra maximum ferociſſimarum gentium in Inſubribus exercitum ſine ſtipendio ſub ſignis habebat ſuis. Quamobrem illinc modo Bojos vexabat, modo Cænomanos populabatur, modo in Venetos excurrebat; hinc Aemiliæ vicos exurebat, Etruriæque populis imminebat. Atque ut majorem Italiæ terrorem incuteret, quotiescumque ſolemni jurejurando quippiam confirmare volebat, per ſacram Florentinorum Civitatis direptionem jurabat. Ubique autem greges armentorum cædebantur; reliqui pecoris, quodcunque Barbari iſti nacti erant, epulabantur, Cives necabantur; agri vaſtabantur; Villæ diripiebantur & urebantur; matres familias, virgines, pueri ingenui, abripiebantur; omnia privata & publica urbium ornamenta aſportabantur; denique atrociſſimæ fiebant ſtrages, ubicunque illi veſtigia poſuiſſent. Hæc tam inaudita flagitia, non ſolum odia finitimorum, ſed etiam arma omnium Regum & populorum in auctores excitarunt. Itaque Cæſar eo progreditur, ut dicat:

Ecce, Summum Pontificem arma in Nos, noſtramque dignitatem movere ſentimus.

Cæteros quidem ſuos hoſtes tacitus præteriit Cæſar, non oblivione, ſed conſilio: exiſtimavit enim, non mediocrem invidiam in ſe concitari poſſe, ſi quot fuiſſent, nominaſſet, partim Reges, qui uno tempore ad ſalutem Italiæ afferendam conſpiraverint; partim populos, qui ad libertatem Chriſtianorum afferendam ſocia arma induerint: & eo quidem magis, quod Cæſariani latrones, ac eorum latronum Duces ejusmodi fuerint, ut ſolum Pontificem arma ſibi inferri ſentire non debuerint, quæ tamen poſtrema illata ſunt. Primum Helvetii, & Britanni; mox Veneti & Florentini; tum Galli ob conditiones in recipiendo ſuo Rege parum æquas, ut illi

 ferunt,

Digitized by Google

ferunt, impoſitas, in Cæſarianos fœdiſſimis & crudeliſſimis latrociniis omnia infeſtantes, irruerunt. Ad extremum Pontifex ipſe Maximus, cum illorum militum nefarias & conſceleratas voluntates precibus & admonitionibus tollere, aut ſanare non potuiſſet, experiri ſtatuit, an vi de illorum manibus faces eripere, & gladios extorquere poſſet. Qua quidem in re magnanimos conſtantesque Pontifices imitatus eſt, quorum omne ſtudium omnisque voluntas eo ſpectare viſa eſt, ut miſeræ Italiæ urbes funditus non everterentur, etiamſi illarum cives aliquando nefarias & impuras Barbarorum contumelias, turpitudinesque ſubiiſſent, Hominem igitur voluntatis nunquam pœnitebit, conſilii fortaſſe pœnitebit, quod bellum victor adminiſtrans, & in magno fortunæ beneficio ſibi ipſi defuerit, atque fidem iis habuerit, ſicut paulo poſt docebo, qui omni fide carêre deprehenſi ſunt. Cenſebat autem fœdiſſimos illos excurſores, teterrimos parricidas, acerrimos inſidiatores bello perſequendos, quoad e cervicibus Inſubrum, & Transpadanorum depellerentur, Galliaque Cisalpina excederent, & in avito paternoque Regno eſſe ſinerent *Sfortiam,* quem ipſe alias Pontificii Cæſarianique exercitus Legatus ex auctoritate etiam Cæſaris, Dynaſtam Mediolani conſtituiſſet. Ab ipſo Cæſare nunquam animo fuit alieno, a Cæſariana peſtium colluvione animo ſemper fuit alieniſſimo. Cæſarem enim ampliſſimis honoribus ornavit, auctor etiam fuit *Leoni* Patrueli ſuo, ut Regnum Neapolitanum eidem illi concederet, quod quidem *Julius* Pontifex Max. decreta veterum Pontificum ſequutus, ea lege *Ferdinando* avo materno ratum fecerat, ut, qui ſucceſſor illius futurus erat, Cæſar non deſignaretur. De eodem item multa ac honorifica judicia fecit, quæ publicis omnium gentium literis monumentisque conſignata ſunt: denique illos nunquam audiendos putavit, qui in ſummo belli ardore, Imperium, & maximum honorem Cæſari abrogandum ſuadebant, quod alios

omnes

omnes Pontifices Cæſarum hoſtes feciſſe accepimus. Cæſariana autem monſtra e poſſeſſione Ciſalpinæ Galliæ detrahenda, vexanda, affligenda, diſcrucianda, trucidanda, & perpetuis inferorum ſuppliciis devovenda judicabat.

Ita ut, qui nuper civilia arma poſueramus, plus quam civilia reaſſumere.

Non plus quam civilia, ſed plusquam capitalia, conſcelerata, impia. Et certe non arma, ſed funera, tempeſtates, ruinas, fulmina, faces nobis intentarunt Cæſarianæ iſtæ furiæ, & accumularunt: armis enim arma opponi queunt: armorum vis, armorum etiam præſidio frangi ſolet: arma item auctoritati graviſſimorum virorum interdum cedunt: arma ſemper, quæ ſpe victoriæ adipiſcendæ ſuſcipiuntur, adepta victoria deponuntur. In noſtra autem cauſa vis armorum ducem perfidia habuit, quæ perpetua fuit incendiorum, minarum, cladium, trucidationum, & acerbiſſimorum luctuum.

Novasque copias in Italiam mittere coacti fuerimus.

Quanto ad publicas & privatas Cæſaris rationes magis contuliſſet, ſi has novas, quas ait, copias contra novos hoſtes Turcas, in Pannoniam miſiſſet, non contra veteres in Italiam amicos. Hoc enim affinitas, quam cum *Ludovico* Pannoniæ Rege contraxerat, hoc propinquitas Germaniæ; hoc fides neceſſitudinis; hoc denique auctoritas Cæſaris poſtulabat. Accedit etiam, quod Regem illum omni humana ope deſtitutum, a crudeli nece vindicaſſet, incolumique propterea nunc fama cum ſalute viveret, atque religioſiſſimos illos & optimos viros Pannonios a cæde, urbes ab incendiis, agros a vaſtitate eripuiſſet. Quod ſi minus tot & tanta commoda finitimæ Pannoniæ afferre potuiſſet, Turcas ſaltem Pannonia excedentes ob intolerandam vim frigoris graviter afflixiſſet. At novæ

iſtæ copiæ, quæ circiter XVIm. Cimbrum ac Teutonum fuerunt, miſerrimam quidem peſtem nobis importarunt; ſed talem omnino exitum eos habituros proſpicimus, qualem habuiſſe leginius veteres illos Cimbros ac Teutones, ex quibus iſti procreati ſunt, atque adeo omnes Barbaros, qui tam tetri, tam horribiles, tam noſtri generis hominibus infeſti, Italiam ſibi opprimere poſſe viſi ſunt.

Ni cum maxima ignominia noſtra, Reipublicaque jactura ei cedere vellemus.

Ecquae fuiſſet Cæſaris ignominia, Reipublicæque jactura? ſi peſtiferi milites illius, Galliam Ciſalpinam vaſtare, & Sfortiam in Arcem Mediolanenſem incluſum continere deſiiſſent; ſi etiam pacato agmine in Regnum Neapolitanum reverſi, cunctæ Italiæ benevolentia, omniumque Regum gratia florerent: Illa fuit ſumma ignominia, illud fuit ſempiternum dedecus, & non contemnenda jactura, quod violenta urbium deditione extorta, qui in Ciſalpinis remanſerant, Cæſariani interfecti ſunt. *Laus* enim *Pompeja* primo belli motu intercepta, *Cremona* expugnata eſt, *Genua*, præſidio occiſo, ad Regis Galliæ fidem & amicitiam ſe contulit. *Novaria*, *Derthona*, *Alexandria* ad *Aquas Statiellas*, oppreſſis, qui eas cuſtodiebant, Cæſarianis, *Sfortiæ* cum aliis reſtitutæ ſunt. Quid de *Ticino* dicam? quod ſingularem, eximiamque illam Victoriam ſuperiore bello Cæſarianis attulerat, & tamen ſuæ fidei, & conſtantiæ erga Cæſarem hos percepit fructus, ut capto ſtatim Rege Galliæ, Germanis ſtipendia efflagitantibus, diripiendum *a Carolo Lanojo* datum ſit. At nunc a Gallis demolitione mœnium afflictum, & funditus prope exciſum eſt. *Mediolanum* & *Novum Comum* adhuc in fide Cæſaris ſunt: illi cum legione una præſtantiſſimorum Hiſpani generis carnificum, *Antonius Læva* præeſt, huic - - - cum non contemnenda manu ſemilixonum, & prædonum quorundam, ege-

ſtate

ſtate & ſcelere perditorum. Utraque autem urbs multis operibus ac munitionibus clauſa eſt, ſemidiruta, exhauſta opibus, exhauſta civibus, exhauſta commeatibus; & a Venetis, Gallisque, & Helvetiis ita obſeſſa, ut jamjam in deditionem compulſa Sfortiam Dynaſtam ſuum complexura ſit. Quid deinde Cæſar?

Quo factum eſt, ut, dum Pontifex oblationibus noſtris ſæpius ſpretis, induciisque violatis, una cum aliis Chriſtianis Principibus arma in nos, nihil tale ab eo ſperantes, mordicus continuare ſtudet.

Docebo, docebo nunc, P. C. planumque faciam, quam improbi, perfidi, impuri, fallaces, arrogantes, & fraudulenti Cæſariani Duces in Italia fuerint, qui ſane cum diu facilitate Cæſaris abuſi eſſent, multaque illi a veritate abhorrentia penitusque falſa ſignificaſſent, coegerint nunc illum etiam falſo hæc ad Nos ſcribere. *Lanojus* quidem *pridie Cal. Decembris Cajetam* pervenerat, cum firmiſſimo Hiſpanorum & Germanorum peditatu; quem per annum Cæſar in Hiſpania armarat, ut in Italiam miſſus, quidquid inviolati fortuna ſuperioris belli reliquum nobis fecerat, miſerabiliter vaſtaret. Itaque *Lanojus*, cum in Latium irrumpere ad interitum noſtrum, Urbisque excidium conaretur, a tanto impetu abſtractus eſt copiis Pontificiis, quæ prope *Fruſinum* conſederant; quod oppidum oppugnare adorſus, eruptione defenſorum, & interventu hoſtilis exercitus, profligatus eſt. Interea Pontifex *Amiternum*, totumque fere *Samnium* Cæſari adimit, & claſſe *Salerno* expugnato, *Neapolique* juſta obſidione circumſeſſa, & Hiſpanis, qui præſidio Urbi erant, circumvallatis, propediem Regnum Neapolitanum ad imperium ſuum adjuncturus videbatur. *Lanojus*, cum a fronte victorem exercitum ſe perſequentem, & a tergo omnia ab hoſtibus teneri videret;

Digitized by Google

videret; per *Cæſarem Feromuſcam*, & *Nicolaum Schombergium*, cum Pontifice egit de pace, aut certe de induciis faciundis; quæ poſt longam diſceptationem, his conditionibus pactæ ſunt: *Ut Cæſar & Pontifex ab armis diſcederent, ipſeque Pontifex omnia ex urbibus devictis præſidia removeret; Grandem præterea pecuniam Borbonio perſolveret, in ſtipendium Cimbrum & Teutonum, quos cum lectiſſima Hiſpanorum legione, & Italo equitatu in Bononienſi agro habebat.* Venit in Urbem *Lanojus* X. Cal. Aprilis, ut Pontifex ab eo præſenti ignominioſas inducias & inſidioſas emeret; atque eo ipſo die hominem ad pedes admiſit; tum cum eodem omnia transegit, quæ ad fidem induciarum ſanciendam pertinerent, non ſolum Jove tonante, quo tempore cum Populo Rom. agere apud veteres nefas erat; ſed Diis etiam omnibus reclamantibus, & prope cœleſti clamore prohibente, maximo imbre, tempeſtate, ventis, procellis, turbinibus, inter fulmina ac tonitrua, gementibus omnibus ac timentibus, ne talis ingreſſus *Lanoji* in Urbem perpetuum nomini Romano exitium, ipſique Pontifici funeſtam aliquam calamitatem apportaret. Accedebat etiam, quod *Borbonius*, cum ſemper diſſenſiſſet ab rationibus *Lanoji*, novas inducias, ex auctoritate tamen Cæſaris factas, non probaturus videbatur; cum ille etiam in rebus Italiæ, vel perturbandis, vel componendis, pari Cæſaris auctoritate uti poſſet. Contra *Lanojus*, & Pontificem, & Nos, qui periculi eum admonebamus, quod inſolens Borbonii animus facile conſtare poſſe videbatur, bene ſperare jubebat, aſſeverans, niſi Borbonius pactas confirmaſſet inducias, ſe Hiſpanos & omnem equitatum ab eodem illo abducturum, & affligendum Venetis & Gallis traditurum, qui in *Æmilia* Borbonium frequentibus præliis exercebant. Equidem cum de homine idipſum in curia audirem, tacitus mirabar, quod tantum adhibiturus eſſet conſtantiæ, & diligentiæ, ad honorem Cæſaris in Italia tuendum, & fidei laudem integram præſtandam. Quod

ipſum

Digitized by Google

ipſum ille conjectans, idem rurſus mihi affirmavit, cum nobiliſſimi & honoratiſſimi plerique adeſſent Viri, inprimisque *Hieronymus Monopolitanus*, Pontifex Tarentinus, qui hujusce rei teſtis locupletiſſimus & religioſiſſimus ſemper eſt futurus; quemque ille delegerat ob excellentem recentioris Theologiæ cognitionem, qui expiando animo ſuo præeſſet. Vivit, vivit hic, P. C., & ad Minervæ quotidie eum audimus de rebus divinis concionantem. Illum ipſum de horum verborum quaſi religione quadam conſulere is poterit, qui me fortaſſe propter ſingulare odium in perfidiam iſtorum Barbarorum & fraudes mentiri ſuſpicabitur. Atque hoc quidem ipſum mihi & aliis abs ſe fieri poſſe perſuaſerat, quod eundem equitatum, & Hiſpanorum peditatum in Gallos Ciſalpinos ipſe duxiſſet. Spondebat præterea, ſi contra nos *Borbonius* moviſſet, ſe Urbem omnino junctis iis copiis defenſurum, quarum paulo ante in Regno Neapolitano Imperator fuiſſet. Itaque Lanojus cum L - - - Pontificio *Diæceta* Florentiam tranſiit. Utrique autem Pontifex mandata dederat omnium rerum, quas agi & curari cum *Borbonio* volebat. Ad radices Appennini cum homine in colloquium venerunt; ambos ille contempſit, rejecit, repudiavit, illuſit; pecuniamque ita grandem poſtulavit, ut vix totius Italiæ facultates pares eſſe potuiſſent ad eam pendendam. Addidit præterea, ſibi ex Cæſaris quoque auctoritate jus eſſe ad bellum, contra quem voluiſſet, in Italia vel excitandum, vel ſedandum. At *Diæcetes*, cum ex Cæſaris voluntate pactas Romæ inducias cum *Lanojo*, Duce ſummæ auctoritatis Cæſariano, affirmaret, quas illum quoque Cæſarianum magnæ auctoritatis Ducem ratas facere oportebat, in eum Cimbros concitavit: quorum impetum cum longe proſpiceret, vix equi celeritate adjutus, incolumis, vulnere tamen accepto, evaſit. *Lanojus* autem primo congreſſu, cum audiret, ſe a militibus proditorem inclamatum, nulla amplius ratione ad-

duci potuit, ut ea cum *Borbonio* curaret, quorum gratia miſſus fuerat, & quæ ſe confecturum omnibus receperat. Nec interim Romam rediit, quam ſe omnino propugnaturum pollicitus fuerat adverſus *Borbonium,* ſi copias ſuas, non confirmatis induciis, contra eam duxiſſet: Quocirca Neapolim non iter feciſſet, ſed volaſſet, niſi opportunitas *Senæ* illum retardaſſet. Inde enim quaſi e ſpecula tutiſſima, qui armorum apparatus exitio noſtro imminebant, cognovit, & quæ capitibus noſtris incidebant ruinæ, proſpexit. Nullum quoque Hiſpanorum peditatum, nullum equitatum abſtraxit ab exercitu Borbonii, & Gallis Venetiſque affligendum dedit, ne ita mutilatus Cæſarianus exercitus impar eſſet ad id conficiendum, quod ex auctoritate quoque Cæſaris, alter Dux Cæſarianus ſe confecturum aſſeverabat. Pridie Nonas Majas Urbs miſerum ac funeſtum fatum ſubiit; quo etiam die *Borbonius* mortem oppetiit; idque non modo ſumma, ſed etiam expectata Deorum providentia, ne vivus lætari aliquando poſſet, a ſe devictam principem orbis Civitatem; quæ tamen ſocia Cæſaris, & fide ac amicitia cum Ducibus Cæſarianis conjuncta, & contra omnem belli impetum imparata eſſet; quæque tempus & ſpatium vix dum habuiſſet ad collectitias quaſdam copias comparandas, ut ei, quem nunquam putaſſet hoſtem, reſiſteret. Hactenus a Pontifice quidem nullæ ſunt violatæ induciæ, cum tempus illud interjectum inter *X. Cal. Aprilis, & pridie Nonas Majas* plenum curæ & ſollicitudinis fuerit, quo etiam tempore ipſe Pontifex arma ſua abjecerat ſalutaria, ut inermis pernicioſa Cæſaris experiretur. Conſtat quoque, P. C. uter Pontifex, an Cæſarianus exercitus, non dico inducias illas peſtiferas, ſed omnia vitæ ſalutiſque communis atque etiam humanitatis, jura violaverit? uter fidem non ſervaverit? uter ad pœnam ruptarum pactionum depoſcendus ſit? uter tollendus tanquam piaculum oppreſſorum ſacerdotum? uter is fuerit, ob cujus

delictum

Digitized by Google

delictum ab eo Dii pœnas omnino expeterent? uter denique Diis inviſus, & hominibus execrabilis ſit futurus. Verumtamen Cæſar, ut veriſimilius efficeret id, quod dicturus erat de induciis violatis, ante ſcripſerat, Pontificem conditiones a ſe oblatas ſæpius ſpreviſſe, cum priusquam Pontifex cum Gallis, Britannis, Florentinis, Venetis, Helvetiis fœdus percuteret, illi bellum Cæſariani jam indixerant. Nec conditiones in Hiſpania ullæ unquam Legatis Pontificiis delatæ ſunt; nemo item huc miſſus ad pacem deprecandam: omnes huc venerunt ad bellum denunciandum. Unum excipio *Ugum Moncadium*, qui in medio animorum ardore & armorum intolerabilia Cæſaris poſtulata attulerat, & neſcio quas propoſuerat conditiones Pontifici armorum abjiciendorum, ut fidem illius attentaret, ſuſpectumque ſociis redderet. At erant, credo, Cæſariani in Italia Duces, a quibus æqui & boni quidquam ſperare aut impetrare poſſes. Nihil illis unquam fuit in terris P. C. aſperius, nihil minacius, nihil concitatius, nihil trucius, nihil violentius, nihil ſuperbius, nihil rapacius, nihil fallacius. Tertium abhinc annum *Lanojus*, capto Rege Galliæ, cum *Ticini* eſſet, pacem, & quidem perpetuam, ut ajebat, cum hoc ipſo Pontifice, Cæſar etiam in Hiſpania ſanxit. Interim *Lanojus* magnam auri vim ex fœdere ab eodem Pontifice extorſit, pollicitus ſe ſuis armis *Regium Lepidi*, & quædam *Æmiliæ* Caſtella nobis redditurum, quæ *Alphonſus* Dynaſta Ferrarienſis, nuntiata *Hadriani* morte, in ditionem ſuam redegerat: ſed ea pecunia uſus dicitur ad illuſtriorem captivi Regis, quem in Hiſpaniam adducebat, pompam efficiendam: nec Cæſarianis militibus ullum ſtipendii genus perſolutum eſt, quod ille petierat, ut contra *Alphonſum* exercitum duceret; imo vero eidem etiam *Alphonſo* multam pecuniam imperavit, ut *Ferrarienſem* agrum, ab omni belli injuria vacuum præſtaret; ac interim quantacunque valebat auctoritate, & *Regium Lepidi*

Digitized by Google

& *Æmiliæ Caſtella* eidem Dynaſtæ rata fecit. Nec in Italia unquam apparuit, niſi eo tempore, quo illum venientem ad Pontificem opprimendum, & Urbem delendam, tanquam peſtiferam flammam, *Fruſinates* copiæ arcuerunt. Addit præterea Cæſar Pontificem, cum aliis Principibus Chriſtianis, arma in ſe, nihil tale ab eo ſperantem, mordicus continuare ſtuduiſſe. Utinam P. C. utinam Cæſar vera diceret! nulla quidem nunc impoſita nobis eſſet neceſſitas communium calamitatum deplorandarum: nulla item juſta cauſa conquerendi de Cæſare, aut de ejusdem Ducibus. Pontifex quidem, pactis Romæ cum *Lanojo* etiam victo induciis, confectisque armorum deponendorum pactionibus, victorem exercitum dimiſit; victricem quoque claſſem a Campaniæ littoribus revocavit: expugnata Regni Neapolitani oppida Cæſari reddidit, ut intelligeret Cæſar recentis concordiæ fidem nullo genere retentorum armorum a Pontifice poſſe labefactari. At eo tempore non ſolum Principes civitatis teſtificabantur, Duces noſtri denunciabant, milites prædicabant; ſed etiam hi parietes Urbis loquebantur & perſonabant, alterum exercitum, cui Borbonius præerat, connivente etiam *Lanojo*, Pontificem incautum, imparatum, inermem, everſurum; Civitatem omni præſidio deſtitutam ad nihilum redacturum; Rempublicam deleturum; omnia conculcaturum. Et tamen Cæſar, inquit, Pontificem mordicus perpetuis uſum in ſe armis, cum ipſe Pontifex arma poſuerit, & Cæſariani, ut experti ſumus, ii omnino fuerint, qui in nobis delendis, tanquam belluæ, acerrimis morſibus, intolerabili impetu, vehementiſſima rabie, ſummo furore, graviſſimo incurſu, feritatem exaſperarunt ſuam. Adjungit item Cæſar,

Nosque pro noſtra ac ſubditorum noſtrorum, & Romani Imperii ſalute ac dignitate, copias noſtras manutenere, Nosque a tot hoſtium injuria defendere curamus.

O ſe-

Digitized by Google

O felices orbis prædones! Cæſarem quoque, Pontificis Advocatum, nacti ſunt Advocatum & Patronum ſuum, iis in latrociniis, quæ vel in ipſum Pontificem commiſerint. Equidem P. C. exiſtimabam, Cæſarem triſtiſſimum hoc tempus, quo ipſius milites in Gallia fuerunt, ſi e rerum natura non poſſet evellere, & animo ſaltem excidere; & eo quidem magis, quod ille pro eximia ſua animi moderatione, incredibilique pudore, & ſingulari integritate ea conficere debebat, quæ Pontifex volebat. Subalpini enim Populi *Inſubres, Boji, Cœnomani,* omnes *Transpadani,* atque adeo ipſius *Æmiliæ* Populi, in gremio Imperii noſtri poſiti, cum miſerabilem in modum quotidie magis atque magis necarentur, diſſiparentur, fame, morbo & vaſtitate conſumerentur, ipſum Pontificem ad arma ſumenda compulerunt, qui tamen maturius etiam compuliſſent Thracium Turcarum Regem, nedum Pontificem Romanum, qui Italiæ magna ex parte Princeps eſt, quique pro officio ſuo, cum omnes Chriſtianos, tum vel maxime, qui in Italia naſcuntur, perditos excitare, erigereque debet. Verum Cæſar Gallos Ciſalpinos, omni genere calamitatum preſſos, ſubditos, hoc eſt, vectigales, & ſtipendiarios ſuos appellat. Qua in re omnino ſtatuere poſſumus, illum ſi iniquo animo ſuorum vectigalium querelas audiebat, multo iniquiore noſtras, qui liberi ſumus, auditurum; atque etiam ſi leniter ferebat, ut dedititii ſui, hoſtilem in modum a ſuis militibus vexarentur, lenius quoque, & facilius laturum, eosdem milites, & militum Duces, qui nihil aliud agere didicerunt, quam publicas alienorum Populorum peſtes alere, civium clades inferre, Sacerdotum ruinas moliri, civitatum vaſtitates importare. Norat tamen Cæſar .... vulnera, viderat dedititiorum calamitates, querimonias audierat, pro ſociis contra hoſtes exercitum mittere putabat; imo potius hoſtium ſimulatione contra ſocios atque amicos. Cæſar præterea Romani Imperii ſalutem, & dignitatem, & copias ſuas, per id genus

Digitized by Google

latronum ſe conſervare voluiſſe ait; cum illi propalam dictitarent, ſe a Cæſare annuo ſtipendio fraudatos, & militiæ ſuæ præmia ſibi petenda e Templorum expilationibus, e Civium carnificinis, e nundinationibus juris, e fortunarum direptionibus, ex agrorum populationibus, denique e fœdiſſima Italiæ ſervitute. Nec iis latronibus ſe defendebat, aut contumelias a ſe propulſabat Cæſar, in quem nemo contumelioſus erat, cum tamen cuncta Italia, univerſus terræ orbis exarſiſſet ad eos latrones tollendos, ut everſores Imperii Romani, proditores dignitatis Cæſaris, hoſtes bonorum omnium, & plane natos ad extinguenda omnia jura humana, & vitæ communis inſtituta delenda. Cauſam tamen noſtri excidii demonſtrat.

Milites noſtri Pontificem ad honeſtam pacem nobiſcum componendam, compellere volentes.

Ergo *Lanojus* ficte reconciliata cum Pontifice gratia, in Urbem venerat, ut illum, & nos omnes proderet; aut quas cum eodem Pontifice inducias fecerat, honeſtæ non erant. Sed cur ex Hiſpania Cæſar, ſcriptis ad nos litteris, *Lanojum* mirifice laudavit, quod primo quoque tempore ad auctoritatem Pontificis ſe contuliſſet? Cur illas ipſas inducias, ut nobis honeſtas, & ſibi honeſtiores ſanxit? Cur Neapolitano in Regno, quod paulo ante gravi belli motu concuſſum fuerat, pax ab omnibus Regni primoribus colebatur? Cur in Latio, & tota Campania, nullus armorum ſtrepitus audiebatur? Cur utrinque arma non ſolum poſita, ſed etiam abjecta? Cur etiam Cæſar, *me cauſam Pontificis captivi agentem,* in Hiſpania libenter audivit? Cur denique mihi probanti, illum amicum & ſocium, ut hoſtem habitum fuiſſe aſſenſus eſt? & *Franciſcum Angelum* in Italiam miſit, qui cum *Lanojo* certis rebus imperatis, eundem Pontificem e *Mole Ælia,* ubi cuſtodiebatur, emitteret? At nunc ſcribit, illos voluiſſe compellere Pontifi-

Digitized by Google

tificem ad honeſtam pacem ſecum componendam; cum potius vellent ſanguinem noſtrum haurire, nos a noſtrorum complexu diſtrahere, tecta diſturbare, bona diripere, ſpoliare patria, ex altiſſimo dignitatis gradu præcipitare. Illorum mendicitas aviditati conjuncta, ſaluti, vitæ, fortunisque noſtris imminebat. Quid deinceps Cæſar?

Ducibus nequidquam prohibentibus.

Lachrymis, lachrymis, P.C. nunc agendum, non verbis, ad probandum dolorem, cujus ſenſum Cæſaris oratio in nobis, vel acerbiſſimum excitat; quanquam turpe eſt, Viro forti lachrymas emittere. Qui prohibuerunt Duces? Nemo, nemo, P.C prohibuit eorum, qui jus habebant prohibendi, quo minus invaderemur. Nec enim prohibuit *Lanojus*, quod ſe cum ſuo exer-itu facturum in induciis paciſcendis pollicitus eſt. Nec prohibuit latronum Princeps *Borbonius*, idemque omnium Ducum longe maximus, imo vero tantum odium in nos præ ſe tulit, ut etiam moriens milites cohortatus ſit ad irrumpendum, & victoria utendum, nec *Vrbina*, nec *Nazara*, nec *Maramaus* prohibuit, nec tot importuni & impuri parricidæ prohibuerunt; qui, etſi in Italia nati erant, tamen Barbarorum Duces libenter ſe profitebantur, ut miſeram Italiam exteris gentibus reſeratam, conculcandam etiam darent. Nec prohibuerunt tot Tribuni militum, tot Centuriones, Hiſpani & Germani generis pugnaces, lacertoſi & rapaciſſimi.

Nobisque inconſultis.

Quid neceſſe erat Cæſarianis conſilio Cæſaris, niſi in nobis evertendis, ſi auctoritate nitebantur? Conſilio ad hæc opera tetra & funeſta edenda, ſatis per ſe quidem vigebant, auctoritatem a Cæſare exoptabant, quam ille non modo liberaliſſime tribuit, ſed etiam viribus eosdem inſtruxit, & firmiſſimis præſidiis munivit. Verum Cæſar negat, ſe nominatim hoc illis mandaſſe; propterea ſe imprudente nos afflictos inquit.

Digitized by Google

inquit. At non imprudens generatim mandarat *Lanojo* & *Borbonio* omnia in Italia conficienda, quæ alterutri placuiſſent. Flagrante præterea bello, ſi uterque eodem imperio, eadem auctoritate in Italiam a Cæſare miſſi fuerant, nonne ſperabat, nos, vel ab utroque, vel ab altero opprimi poſſe? ſed nimirum id evenit, quod nunquam eventurum cogitabat, ut alter proderet, alter everteret. O ſingulares & admirandos Duces! O fatalia portenta, prodigiaque Chriſtianorum! Diverſæ illorum erant voluntates, diſtractæque ſententiæ; nec enim conſiliis ſolum & ſtudiis, ſed armis etiam, & caſtris diſſidebant in oppugnando Pontifice Maximo, ſocio, populoque Romano conjunctiſſimo delendo: inter ſe induciis, voluntate, ſententiis, & fortuna congruerunt. Ergo, quod Cæſar nunquam futurum in Italia ſperaſſet, evenit, ut qui Pontifex, hoſtis non ſuus quidem, ſed ſuorum invictus alteri Duci fuiſſet; mox amicus, ab eo ſpecie amicitiæ, alteri Duci proderetur; ut victus, perculſus, captivus, & in perpetuum calamitoſus eſſet.

In Urbem iſtam, quam nos inter cæteras ab omni moleſtia præſervatam optabamus, eum impetum fecerunt, quem ſi fieri poſſet, nos, vel ſanguine noſtro, redimere vellemus.

Quæ tam ſtupida unquam fuerit poſteritas, & nihil de officiis vitæ cogitans, aut rerum uſu carens, quæ putaverit Cæſarem voluiſſe ante nos expertes fuiſſe tantarum miſeriarum, cum nunc vel maxime nos miſeros, ac perditos velit? ut ſtatuere liceat, miſerias noſtras illi ſi non probatas, at gratas tamen eſſe. Ac hujuſce quidem rei hinc documentum poſſumus capere, quod Cæſariani a Pontifice in conditionibus deditionis Centumcellas, & Oſtiam extorſerunt, ut, ſi opus foret, maritimis intercluſis commeatibus, Civitatem fame necarent. Nec ſeptimum poſt menſem liberari eum prius voluit,

Digitized by Google

voluit, quam Hiſpanis, Cimbris & Teutonibus magnum dinumeraverit ſtipendium. O infelicem hominem! O miſerandam Pontificis Romani conditionem! Cum immaniſſimis Barbaris optima fide egiſti. Illi ſingulari perfidia Te afflixerunt; Urbem diſturbarunt; in cædes Sacerdotum & civium furioſe debacchati ſunt; & tamen illis tanquam hoſtium tuorum, non Tui, victoribus, & glorioſa aliqua malitia pro Te perfunctis, commoda tribuiſti, honores detuliſti, præmia conceſſiſti, pecuniam in ſtipendium repræſentaſti. Coactus, dicet aliquis. Hoc ipſe quoque non ignorabam. Sed nunquam P. C. exiſtimaſſem, usque ex Hiſpania Cæſarem ad ſuos latrones in Italiam ſcripturum, ut Pontificem, & quidem Socium, non ante dimitterent, quam illius pecunia ſatisfactum rapaciſſimis & avariſſimis ſuis militibus eſſet, qui eundem oppreſſerant. Placet igitur hoc Cæſari ſtipendium, placet Oſtia, placent Centumcellæ, placuiſſent quoque credo, Veji, placuiſſent etiam magis Parma, ac Placentia; quas item urbes Pontifex in conditionibus deditionis Cæſarianis tradiderat: ſed illarum cives nec gloriæ, nominisque Italiæ, nec libertatis ſuæ obliti; Cæſarianis portas clauſerunt, teſtati ſe potius in Solymanni Turcarum Regis aut Maurorum poteſtate futuros, quam Cæſaris aut Cæſarianorum. Laudem præterea fidei, conſtantiæ, & ſapientiæ ſuæ magis etiam iidem cives augere viſi ſunt, quod affirmarent Pontifici captivo nullum in ſe jus eſſe. Quid de obſidibus dicam? quos in liberando Pontifice quinque ſummi Ordinis Antiſtites imperarunt, *Trivultium*, *Piſanum*, *Gaddium*, *Urſinum*, *Cæſium*. E quibus tres primos *Alarchon*, Hiſpanus Dux, *Cajetam* deportavit, quos culeo inſutos, in mare ſe demerſurum minatur, niſi Pontifex conventione ſteterit; id quod fortaſſe fuerit; ſed tum demum, cum ab illis, ut ditiſſimis Sacerdotibus, magnam auri vim expreſſerit. Duo alii Pompejo Columnæ dati, quos tamen ille fide ac humanitate præſtantiſſi-

 mus,

Digitized by Google

mus, ut Collegas & amicos ſingulari fide præditos, libere per *Imbrivina* oppida vagari permittit. Noſtras etiam clades & ruinas Cæſar vocat impetum; ego, & qui me prudentiores ſunt, P. C. vocare ſolemus feritatem, idque aptiſſime arbitror. Impetus enim aliquando reſidet, feritas, cum nativa ſit, nunquam reſidet, & remittit, nec item extinguitur, niſi extincta fera. Siquidem non aliter quam feras Cæſarianos in nos irruiſſe ſenſimus. Nec mirum: tanta enim aviditate ſanguinis noſtri exſorbendi tenebantur, ut, quamvis denſior caligo per matutinam nebulam oborta eſſet, tamen quaſi cœlo ſereno atque illuſtri in nos invaſerunt: atque hoc ipſum, quod tamen duos circiter menſes cœlum obduxerat, reliquum earum nubium fuiſſe ſuſpicari lubet, unde tanti imbres demiſſi ſint, qui fatalem exitio noſtro *Lanoji* in Urbem ingresſum prænuntiabant. Et ſane, quemadmodum illius tempeſtatis vis, cœlique perturbati obſcuritas, animos noſtros offuſos habuit, quo minus veritatis lucem, ac tantas proditorum inſidias diſpiceremus; ita hujus novæ caliginis facies conſpectum lucis ſubitis illis propugnatoribus noſtris in omnes partes ademit. Quid item Cæſar addit? illum impetum, ſi fieri poſſet, vel ſanguine ſuo ſe redimere velle. O Dii immortales! quæ de Cæſare Romano audio? quæ, Romanus, illi reſpondere cogor? Non redimit calamitates noſtras edicto ullo humano, & æquo, vel potius, quod neceſſe eſſet, minaci & contumelioſo in tales prædones, omnium ſcelerum maculis notatiſſimos; & redemerit ſanguine ſuo? Auctoritate P. C. illius opus eſt nobis ad exturbandas peſtiferas illas belluas, non ſanguine. Sanguinem autem ipſe ſuum reſervet ad bella, quæ contra Chriſti hoſtes ſe ſuſcepturum confirmat. Adverſus enim illos Imperator Chriſtianus ſanguinem omnino ſuum profundere debet.

Noſtro-

Digitized by Google

Noſtroque mœrori ac luctui, nec modum ullum, nec finem certe videremus, ni malum hoc majus bonum ſequi poſſe ſperaremus.

Nullam P. C. vaticinandi artem nec in me unquam fuiſſe ſenſi, nec in aliis eſſe poſſe judicavi; ſed providentia animi, uſu rerum, cognitione caſuum humanorum, aliquando ſolemus eventus futuros ita animo proſpicere, ut præſentes cernimus. Itaque hujus generis augurii laude fretus, videre mihi videor, Cæſarem perpetuo mœrore afflictum, perpetuoque luctu profligatum fore, quia hoc malum nunquam majus bonum ſequetur: quod tamen idem Cæſar ſperat ſequi poſſe. Ecquando enim ex malis bona dimanarunt? Cogitationes quoque noſtræ in eos, qui tam luctuoſam peſtem nobis moliti ſunt, quo unquam tempore lenes, placidæ, quietæ, humanæ eſſe poterunt? quis item ſollicitudines conſolabitur noſtras? aut dolores abſterget? aut animos a moleſtia vindicabit? quæ nationes exteræ, qui Reges nobis miſeris opitulabuntur? cum ſentiant Imperatorem Romanum fraude ſuorum militum, Romanorum deſertorem eſſe; Unde commoda emanare incipient, quæ ad afflictam noſtram fortunam aliqua ex parte ſublevandam idonea ſint? Quis etiam civis exiſtimabit ſibi lætandum hoc nuncio & ſignificatione literarum Cæſaris, ubi ſpes commodorum proponitur, nec unde fructus colligi poſſint, oſtenditur, luctus autem cauſa ſemper ſuboritur? Itaque vereor, ne Cæſar in perpetuo, uti nos, luctu futurus ſit; cum præſertim, quam lætitiæ affert cauſam, nunquam eſſe poſſe judicemus.

Aperta via, tum ad pacem univerſalem, tum ad arma in perfidos Religionis noſtræ hoſtes convertenda.

Imo clauſa, obſeſſa, & obſtructa via ad pacem communem;

nem; & aperta, patefactaque ad bellum communiter adverſus eum gerendum. Ex pace enim propemodum communi, cum a Cæſarianis bellum excitatum ſit, bellum quoque contra Cæſarianos, & Cæſarem communiter fiet. Siquidem Britanni, Galli, Helvetii, Allobroges, Subalpini omnes populi, Veneti, Florentini, Ferrarienſes, Mantuani, tota denique Italia erecta, concitata, parata, armata animis, ad ſpoliandum Cæſarem Imperio, auctoritate, copiis. Concurritur undique ad commune incendium reſtinguendum: Omnes propemodum Chriſtiani, ad publicas injurias vindicandas, mente, voluntate, ſtudio, virtute, voce conſentiunt. *Odetus Lautretius*, Gallicus Dux, in *Truentum* amnem transgreſſus eſt cum innumerabilibus Barbarorum copiis, ut bellum Neapolitano in Regno adminiſtrans, Cæſarem tandem aliquando armis expellat ex ea Italiæ parte, quam jure amittere debet, ob latrocinia, cædes, & ſacrilegia, quæ Cæſariani Romæ commiſerunt. *Juliani*, & *Auguſtani* in convallibus Pyrenæorum montium magna ex parte ab ipſo Galliæ Rege in poteſtatem ſuam redacti ſunt. *Belgæ* armis Gallicis & Britannicis urgentur. Nec deſiderant hi Reges & Populi alios perfidos noſtræ Religionis hoſtes, quibus bellum inferant, quam Cæſarianos, omnis perfidiæ Duces, ac magiſtros, omnibusque religionibus infeſtos, & vitæ bonorum hoſtes acerrimos. Horum jugula petunt milites Barbari: horum ſanguinem ſe item exſorbere velle dictitant efferatæ gentes, quæ propinquos ſacerdotes in urbe amiſerunt; hos confodere noſtri avent, ut injurias ab iis ſibi factas ulturi; in quibus nec famæ pudor, nec ſupplicii humani, aut divini metus inerat. Non igitur bellum reſtinctum, ut Cæſar ſcribit, ſed inflammatum eſt potius, atque ſic inflammatum per totum illius Imperium pervadit.

Idque tandem in veſtrum, ac Reip. honorem & commodum facturum vobis pollicemur.

In expectationem novæ fortunæ nos erigit Cæſar; ſed tem-

tempus beneficiorum ſuorum non præſtituit. Satis quidem hæc ſcite: nec enim illud facile incidere poſſe arbitrabatur. Sentiant alii, P. C. de magnificis hujusce Cæſaris pollicitationibus, quidquid aut pro libidine animi velint, aut pro ſtudio partium ſentiendum judicent. Ego illum erga nos talem futurum ſuſpicor, quales CD. abhinc annos, Cæſares alios Germanos fuiſſe legimus. Hi enim omnes magna ex parte, ſi hoſtiliter ingreſſi ſunt urbem, quæ mente ſcelerata, ac nefaria cupiverunt, adepti: hæc omnia loca tum acervis cadaverum, tum magnificentiſſimorum operum ruinis complerunt. Sin autem amice excepti ſunt, de pernicie civium, & exitio urbis tam acerbe, tamque crudeliter cogitarunt, ut neceſſe fuerit illos amice exceptos, tanquam hoſtes expellere. In honorem etiam Reip. noſtræ & commodum ait fructus ſuorum bellorum redundaturos. Quam Rempubl. noſtram intelligat, ignoro. Remp. paulo ante tenebamus, cui præerat Pontifex Max. Hanc video oppreſſam, everſam, perditam, & pene delectam. Noſtri modo nihil ſane video, præter vitam hanc miſeram atque miſerandam. Noſtrum quoque dicerem ſolum hoc, ubi veſtigium imprimimus, nudum & deſertum, ſi per Cæſarianas belluas liceret; quæ quidem nulla ratione patiuntur, ut quidquam noſtrum dicamus, quod extra noſtra corpora ſit.

Denique Epiſtolam concludit ſuam Cæſar his verbis:

Quare vos, ut omnem præteritæ calamitatis dolorem deponatis, bonoque animo ſitis, hortamur.

Augetur quotidie magis atque magis dolor a Cæſarianis. Et tamen Cæſar nos cohortatur, ut dolorem deponamus. Præſentes quoque calamitates graviores, acerbiores quotidie præteritis infliguntur, & præteritas oblivione conterendas ſuadet; imo præſentium calamitatum ſenſus memoriam veterum refricat. Hic quoque ſtatus miſer proxi-

 mum

Digitized by Google

mum magis miſerum cogitatione reddit. At quanto latius fuiſſet, Cæſarem ſuis militibus per litteras perſuaſiſſe, ne novum calamitatum dolorem nobis afferrent, quam ad nos ſcribere, ut hauſtarum calamitatum dolore liberaremur; cum, ſi retineatur dolor, animus noſter magis ſollicitus nunquam reddetur, qui omni ſollicitudinum ac moleſtiarum genere obrutus, nunquam emerſerit; ſin abjiciatur, deformatæ patriæ aſpectus abjectum dolorem, & quidem vehementiorem, revocare coegerit.

Speretisque, incommoda hæc multa cum dignitate & gloria vobis reſarcienda eſſe.

Speremus, P.C., quando Cæſar ita vult, & vivimus. Nam vitæ propria eſt ſpes. Verum Dii meliora! ut ita nunc ſperemus, quemadmodum ante excidium ſperavimus. Etenim induciis pactis, maximam ſperavimus futuram pacem; ſentimus deinceps maximum fuiſſe bellum, & in bello luctuoſiſſimas calamitates. Per quos igitur certa tantorum commodorum affulſerit ſpes, & ſpei fructus, amicitiæque commoda? An per Cæſarem? Minime vero; cum rebus, quæ in Italia geruntur, non interſit: An per Cæſarianos milites? cum multa ipſi agant, quæ per Duces agenda eſſent. Malam illis peſtem! clamori enim veſtro aſſentior, & eo quidem magis, quod tales ſe eſſe profitentur, ut militiæ finem, non victoriam, ſed ſanguinem judicent; ſanguinem, inquam, non ſolum hoſtium, verum etiam amicorum, atque adeo ipſius Cæſaris, ſi in illo hauriendo ſpes auri eſſet. An per Cæſarianos Duces? O certas ſpes, quibus aluerunt Pontificem & Nos ipſos; dum quotidie pollicentur, eductis iſtis latronibus, magnam & pernicioſam Urbis ſentinam ſe exhauſturos! O fidas dextras, quibus plurimos ſacerdotes, & ſacerdotum Antiſtites trucidarunt! O ratum religioſumque fœdus, quod cum iſtis fecimus! Hoc ſi Duces Germani violare

conati

conati ſunt, Ducum credo Hiſpanorum ſanctitas a ſcelere revocavit. At Cæſar pollicetur, tanta incommoda multa cum dignitate & gloria ſe velle reſarcire. Quo quæſo pacto tanta bona, tanta fortunæ, tanta belli ſubſidia, tanta pacis ornamenta diſſipata iterum colligentur, & ſuis reddentur Dominis? Sed dixeris: Cæſar per æſtimationem pecuniam pendet. Vix, P. C., totius Hiſpaniæ, & Germaniæ, totque Inſularum, quibus ille imperitat, factæ actiones dimidium privatæ jacturæ reſarcire poterunt. Tot quoque magnificas ædes, tot Divorum templa ac delubra, quibus funeſtos ac nefarios ignes Cæſariani intulerunt, qua memoria Cæſar ex Hiſpania miſſa pecunia reficiet, ac inſtaurabit? Ut præterea civium profuſus ſanguis eluatur, num elui prædicatio crudelitatis, in ſacerdotes editæ, poterit? Quæ item vetuſtas tollet operum circa *molem Æliam*, quó Pontifex confugit, tetra monumenta, ſceleris indicia, latrociniique veſtigia? Aliorum denique maleficiorum, quibus commemorandis nemo exitum inveniret, quo beneficiorum genere compenſatio fuerit, aut eſſe poterit. Sed ipſe adſcribit, qua ratione nos felices ſit redditurus.

Nos enim Imperium, Regna, Dominiaque omnia, ſanguinem denique ac vitam ipſam noſtram nunquam non ſumus expoſituri, ut Carolo V. imperante, priſtinum Romanæ dignitatis, gloriæque incrementum aſſequantur.

Quinque ad nos defert Cæſar, ut dignitatis & gloriæ Romanæ acceſſio afferatur: Imperium, Regna, Dominium, Sanguinem & Vitam. Magna hæc quidem præſidia ſunt ad omnem amplitudinem vel aſſequendam, vel confirmandam. Sed ego unum de iis opto, quod fortunæ noſtræ opportunum, Cæſari glorioſum, Italiæ gratum erit. Hoc autem Imperium

Digitized by Google

perium eſt. Illius enim auctoritate cuperem, ut prius Nos Cæſar vivos vellet, quam mortuos; prius liberos, quam honeſtos; prius ſalvos, quam florentes; prius domi noſtræ tenues, quam alienæ locupletes, & omni copiarum genere abundantes. Invita in hoc loco verſatur oratio P. C. quoniam nonnullorum civium perverſa judicia damnare oportet, qui exiſtimabant, ſummoveri oportere ex Urbe ſacerdotes, quod ſuperbia, rapacitate, religionis ſimulatione nulloque mandradorum ſacerdotiorum judicio vivi, ac mortui æternis ſuppliciis mactandi eſſent. Recipiendos autem Cæſarianos, qui, etſi peſſimi ac teterrimi eſſent, multo tamen commodiores ſacerdotibus viderentur. Ingreſſus Cæſarianorum in Urbem P. C. & commoratio omnem ſubſtulit admirationem. Siquidem publice aut religioſa fana diruerunt, aut in illis non dirutis, præter veſtigia violatæ religionis, nomenque Divorum nihil reliquerunt. Hoſtium ſpolia, monumenta Imperatorum, decora atque ornamenta templorum inpoſterum, his præclaris nominibus amiſſis, in inſtrumento, ac ſuppellectile Cæſariani exercitus nominabuntur. Privatim nimirum tales & Hiſpanos, & Germanos experti ſumus, ut nec pudor a turpitudine, nec metus a periculo, nec ratio a furore, nec fides a crudelitate revocaverit. Imperet igitur Carolus V. & locupletiſſimum teneat Imperium; ſed quemadmodum Cæſares alii Germani imperare conſueverunt: de iis loquor P. C. quorum Principatus orbi ſalutaris fuit. Hi enim omnes Urbis imperio abſtinuerunt, Pontificemque Maximum dignitatis ſuæ ducem agnoverunt, honoris principem coluerunt, amplificatorem gloriæ experierunt, rerum gerendarum favorem habuerunt, denique auctorem ornamentorum Imperii ſui retinuerunt. Gravem præterea teſtem amoris ſui, & egregiæ erga nos voluntatis dat,

Prout,

Digitized by Google

Prout, inquit, hæc latius Nobilis, fidelis, Nobis dilectus Petrus a Verei, Baro S. Juliani, Camerarius, ac Dapifer noſter, vobis noſtro nomine referet.

Præclaram iſte faciem Aulæ Cæſarianæ, & auctoritatem Purpuratorum ejus, ſecum attulit; atque nos, credo, a morte ad vitam, a deſperatione ad ſpem, ab exitio ad ſalutem excitavit. Nam miſſus eſt in Italiam a Cæſare, ut Reipublicæ ſubveniret, Italiamque fractam malis, mutam, debilitatam, abjectam metu, ad ſummam libertatis, priſtinæque dignitatis ſpem erigeret. O ſapientem Legatum, & magnæ induſtriæ virum, præſentisque auxilii hominem! Tribus menſibus poſt ſuum in Urbem adventum, litteras Cæſaris nobis reddidit, & illius nomine hæc nuntiavit. Nec id ſane mirum P. C. Dapifer enim cum iſte Legatus ſit, ſimul ac nos Senatores, non commeſſatores offendit, nonnihil perturbatus eſt, & gravate, tardeque Cæſaris mandata confecit. In extremis demum litteris Cæſar ſcribit:

Cui vos fidem habebitis.

At majorem fidem Cæſarianis militibus habemus, qui impiis ſuis latrociniis & cædibus exultantes, nunquam ſermonibus ſuis cædes ſuperſtitum Civium, & templorum ac tectorum incendia, eructare deſinunt; nec quæ eructant in evomendo tardiores ſunt. Ita enim compoſitis rebus nos affligunt, ut quotidie graviora ac tetriora timeamus, quam eo die, quo primum in Urbem irruperant, & timuerimus, & experti ſimus.

Recognovi ſingula capita P. C. epiſtolæ Cæſaris, & ſimul demonſtravi, quantum vel ipſius dignitati, vel noſtræ fortunæ conveniret, ut ea hoc tempore ille ad nos ſcriberet.

Ee ee Reli-

Digitized by Google

Reliquum eſt, ut idem quoque ipſe noſtris e litteris cognoſcat, qua ratione tantis, quibus oppreſſi ſumus, ruinis nos levare poſſet, id quod ſine controverſia ſe facturum affirmat, & pollicetur.

Summa autem eorum, quæ reſcribere mea ſententia debeant Principes Civitatis, hæc ſunt:

Gratas illius quidem litteras nobis fuiſſe; ſed longe gratiores futuras fuiſſe, ſi ad nos id attuliſſent, quod tantis in acerbitatibus omnino expectabamus, ut arceret ab aris, templis, tectis, mœnibus Urbis iſtos optimi cujusque carnifices, latrones Ialiæ, ſcelerum fœdere inter ſe ac nefaria ſocietate conjunctos; eriperet quoque conjuges, ac liberos noſtros e cæde miſerrima; Virgines, quæ exemplo Veſtalium ſanctiſſimæ ſunt, ex acerbiſſima vexatione; templa atque delubra, hanc communem omnium gentium deformatam patriam, patriam tamen ex fœdiſſima flamma ac vaſtitate; redderet *Oſtiam*, redderet *Centumcellas*, ut maritimi commeatus libere ad Urbem importarentur; redderet fortunas ablatas, quæ colligi poſſent; quæ non poſſent, æſtimatione ſolverentur, idque per poſſeſſiones militum ipſius & Ducum nobis aſſignatas. Ita enim, ſi amiſſarum omnium fortunarum compenſatio non fiet, earum ſaltem fiet, quæ ad vitam tuendam aptæ fuerint: diruta templa e cenſibus ſacerdotum, qui in toto illius Imperio ſunt, curaret inſtauranda: mitteret honeſtiſſimos quoque e Sicilia, Sardinia, Regnoque Neapolitano, qui Urbem incolerent, ut domus, civibus nobiliſſimis interfectis, exhauſtæ, a nobiliſſimis quoque replerentur, & quæ everſæ ſunt, ab locupletiſſimis reficerentur; pateret noſtris exteriſque gentibus tutus ad Urbem acceſſus: poſtremo in id toto animo incumberet, ut Pontifex Maximus, qui ſimul ac cuſtodia liberatus eſt, Urbem veterem ſeceſſit, in Urbem reverteretur,

rever-

Digitized by Google

reverſus eam poteſtatem obtineret, ut intelligeretur, non modo jacens fuiſſe excitatus, ſed dignitatem etiam nullis ſpoliatam ornamentis recepiſſe. Itaque, ſi tales ſcripſiſſet litteras, quibus hæc beneficia in nos contuliſſet, illum calamitates noſtras levaturum fuiſſe. Orare interim per nomen Romanum, quo ille Auguſtus eſt, & per fidem, ſapientiamque ejus obteſtari, ut primo quoque tempore ſervitutem a nobis repellat, hoſtesque nefarios, noſtræ vitæ ac ſanguini imminentes, hinc extrahat; quia, ſi locus illis hac in Urbe fuerit, Urbi ipſi locus non erit: Sacerdotibus ſuccurrat; quod quidem tum ad Reipublicæ ſummam, tum ad illius gloriam & dignitatem maxime pertinere videatur.

Rogatus, P. C., ſum ſententiam; Dixi ſaluberrimam Reipublicæ ac neceſſariam. Nec ignoro, me liberius dixiſſe, quam vel temporum conditio, vel Civitatis ſtatus, vel Cæſarianorum effrenata immanisque crudelitas poſtulet. Hic ego, quantum humano conſilio efficere potui, circumſpectis rebus omnibus, rationibusque ſubductis, ſummam feci cogitationum mearum omnium; nihil aliud mihi vim importunitatemque iſtorum Barbarorum afferre poſſe, quam mortem. Et hanc quidem ego, moribus meis & his calamitoſis temporibus parens, nunquam refugi, nunquam deprecatus ſum, nunquam alienam a viro forti conſtantique homine judicavi, modo tormenta abeſſent & cruciatus. Quanquam fortunatum inprimis genus mortis illud ſemper ſtatui, quod, ſi optatum eſſet, glorioſum quoque eſſet futurum. Tale autem mihi contingeret his præſertim temporibus, quibus tot circa me jactis fulminibus, ambuſtus, idem quoque exitium mihi impendere auguror. Et certe ſubturpe aliquando putavi, ſuperſtes eſſe tot præſtantiſſimis Civibus, tot principibus cujusque ordinis Viris, tot ampliſſimis Sacerdotibus, tot ſanctiſſimis Pontificibus, qui univerſi

Digitized by Google

uno Urbis fato corruerunt. Atque hi quidem, P. C., ſi viverent, rogatique nunc ſententiam eſſent, eam ſine dubio dixiſſent, cujus invidiam capitis periculo ſibi præſtandam judicarent. Itaque ego, ſi non virtutis & eloquentiæ horum ſapientiſſimorum hominum, at conſtantiæ magnitudinisque animi hæres, eodem item animo in dignitate nominis Romani ſervanda, & libertate civium defendenda eſſe debeo, quo illi eſſent, ſi viverent. In tantis igitur Reipublicæ malis, vehentiſſimo in optimum quemque vento excitato, mortem malorum portum inveniam, quam eo illuſtriorem etiam fore ſpero, quo pulchriori meæ conſcientiæ teſtimonio nitetur. Atque nimirum tale felicitatis genus cives, quos deſideramus, conſequi non potuerunt. Alii enim a Cæſarianis, quos comiter exceperunt, incauti intra ſuos penates occiſi ſunt: Quidam captivi inter tormenta; nonnulli mœrore animi, ob publicas & privatas calamitates, interierunt. Qui omnes nullam fere vocem, homine libero dignam, emiſerunt. Ego vero in communi ſervitute dedi operam, ut agendo, & dicendo liber viderer. Quam libertatem vos etiam P. C., omni vitæ periculo neglecto, retinere debetis; cum iis majoribus orti ſitis, qui non modo ipſi libertatem expetere, ſed aliis etiam populis afferre ſoliti ſunt.

D I X I.

IV. In-

Digitized by Google

IV.

Inſtructio PAULI III. data Domino THOMÆ, Epiſcopo Feltrenſi, & aliquibus doctis Viris, cum eo in Germaniam ituris, Romæ V. Octobris MDXL. qui diſceſſerunt poſtridie VI. Octobris.

PAULUS PAPA III.

Cum e pluribus literis Legati, & Nuntii noſtri apud Cæſ. Majeſtatem, vel alterius item Nuntii apud Sereniſſimum *Ferdinandum*, Romanorum Regem, noſtro nomine agentium, eſſet nobis ſignificatum, fuiſſe in Conventu nuper *Hagenoæ* celebrato decretum, ut *undecim docti & prudentes Viri Germani*, pro parte Catholicorum illius nationis, & totidem pro parte eorum, qui ſe Proteſtantes appellant, ad quoddam inter ſe colloquium, die XXVIII. hujus Menſis, *Wormatiæ* convenientes habendum pacate, & absque ullis contentionibus, aut diſputationibus, ac etiam citra eorum, quæ illic tractabuntur, deciſionem, aliquas honeſtas vias rationesque excogitent, per quas ad compoſitionem diſſidii, quod in Religionis cauſa, dudum apud Germanos ortum, in dies creſcit, authore Domino poſtea deveniri poteſt, optareque prædictos Imperatorem & Regem, atque adeo Nobis filiali reverentia ſupplicare, ut aliquem Prælatum ad ſupra dictam Civitatem Wormatiam mittamus, qui una cum ſuis Oratoribus, quos illuc miſſuri ſunt, cauſam orthodoxæ fidei procurent, & Catholicorum deputatos conſilio & doctrina dirigant, & juvent; Proteſtantium vero, ſi qua fieri poſſit, in rectam viam reducere nitantur; hos licet ex eo quod iſtos ſuper Religione tractatus absque auctoritate noſtra, & hujus ſanctæ Sedis factos non ſolum improbare, verum etiam damnare, & quoad ejus fieri poſſit, prohibere deberemus; tamen exemplum Domini, cujus vices, licet immeriti, in terris gerimus, quantum per ipſius gratiam poſſumus, imitari cupientes, ſicut ille ob ſalutem humani ge-

Digitized by Google

neris, ex ſupremo cœli ſolio in infimam terram deſcendere, & immenſam Divinitatem ſuam modicæ humanæ carnis imbecillitate veſtiri, contemtui haberi, & tandem acerbiſſimam mortem pati dignatus eſt; Ita nos officii noſtri eſſe ducimus, non ſolum exteriorem gloriam, verum etiam ipſam vitam propriam ſaluti ovium nobis creditarum omnino poſthabere.

Hanc ob cauſam, & præſertim precibus præfatorum Imperatoris & Regis invitati, aliquem noſtro nomine ad prædictam civitatem mittere deliberantes, Te Venerabilem Fratrem noſtrum, THOMAM, *Feltrenſem Epiſcopum,* ob tuam egregiam doctrinam, vitæ integritatem, & in rebus tam aulicis, quam Germanicis experientiam præ cæteris idoneum judicavimus, quem ad tam ſanctum & laudabile opus tractandum immitteremus. Verum quia materia ipſa, de qua agitur, admodum ardua & difficilis eſt, & plus vident oculi, quam oculus; & ſicut Sapiens non ſemel dixit: *Erit ſalus, ubi multa conſilia ſunt.* Accedit ad id, quod a prædictis Imperatore & Rege, qui & ipſi cum ſuis Oratoribus, ad prædictum Colloquium alioquos diverſarum diſciplinarum, & præſertim ſacræ Theologiæ, Profeſſores ſe miſſuros ſignificarunt, ut itidem nos faceremus, commoti & rogati ſumus; unde noſtri, una cum ſuis conjuncti, multo melius negotium fidei promovere poſſint; Idcirco & nos tibi nonnullos pios, probos, & in variis ſcientiis, & linguis peritos Viros ad hoc iter, & adeo pium negotium, cum Dei auxilio capeſſendum, adjunximus. Quorum tu conſiliis, & ipſi te duce, & hujus negotii moderatore, mandata noſtra, quæ ſequuntur, fideliter & diligenter pro viribus exequi ſtudeatis.

1. Ut omnem ſpem & fiduciam veſtram in Domino ponentes, ſincero corde & devota mente ejus infinitam bonitatem precemini, id quod nos, cum ipſius auxilio facturi ſumus, ut greſſus veſtros in viam pacis & proſperitatis dirigat, & eorum, ob quæ pro honore ſuo, & ſalute Eccleſiæ ſuæ ſan-

ctæ

Digitized by Google

ctæ vos in Germaniam mittimus, felices vobis ſucceſſus concedat.

2. Ut Familiares vobis conducatis bene moratos, pios & catholicos, & qui ſuorum morum, quocunque vos ire contigerit, bonum & gratum Deo & hominibus odorem diffundant. Hoc autem, ut vos faciatis, ſuperfluum exiſtimamus vos commonefacere, quos longa experientia nobis notos, & hac de cauſa gratos, inprimis aptos judicaverimus, quibus hæc ſancta provincia demandaretur.

3. Ut tam eundo quam redeundo apud quoscunque vos verſari, & cum quibuscunque loqui, uſu eveniat, in victu temperantiam, in ſermone modeſtiam, & humanitatem erga omnes ſemper præferatis.

4. Vobiscum hæc, quæ ſequuntur, ſcripta habeatis.
Edictum Wormatienſe, hac de cauſa ab Imperatore, & ab univerſo Imperio, ad executionem ſententiæ Apoſtolicæ, contra *Lutherum* & complices, Anno Domini MDXX. editum.

Receſſum Imperialis Conventus, Anno MDXXX. Auguſtæ celebratum.

Tractatum quatuordecim deputatorum, ibidem ſuper hac materia habitum.

Confeſſionem Lutheranorum, ibidem exhibitam.

Confutationem Catholicorum, eodem in loco compoſitam, ſed nondum editam.

Apologiam Lutheranorum, contra eandem non multo poſt divulgatam, & typis excuſam.

Edictum Induciarum Norimbergenſe, An. Dom. MDXXXII. Ratisbonæ publicatum.

Impium Receſſum Francfordiæ, An. Domini MDXXXIX. concluſum, ſed nequaquam ab Imperatore, pro ejus pietate comprobatum.

Reſponſionem Proteſtantium, datam Comitibus de Maderſcheyd, & Novæ Aquilæ.

Arti-

Digitized by Google

Articulos eorundem, datos Cæſ. Majeſtati, Gandavi, hoc Anno MDXL. Martii.

Denique *Conventus Hagenoæ*, hoc eodem Anno habiti, *Receſſum* XXVIII. Julii concluſum.

Ex quibus omnibus, una cum his, quæ Epiſcopus Mutinenſis, Nuntius noſter, qui & ipſe ex mandato noſtro Wormatiam, hac de cauſa ſe confert, vobiſcum communicabit, amplam & facilem eorum, quæ in hujusmodi negotio tractare habet, doctrinam & inſtitutionem capiatis.

Omittimus hic eos libros, quibus ad reddendam rationem ejus, quam profitemini fidem, & ad reductionem errantium in teſtimonium acquiſitæ jam per vos doctrinæ vobiſcum eſſe optime noſtis.

5. Quia tempus breve eſt, neceſſe eſt, ut, quanto citius fieri poteſt, habita tamen bonæ valetudinis conſervandæ ratione, iter veſtrum peragatis.

6. Cum autem duo itinera perceperimus eſſe *Wormatiam* eundi, alterum per *Mediolanum, Suitenſes, & Baſileam*, unde ſecundo flumine brevi, & commodiſſime Wormatiam deſcenditur multo brevius; & per quod non tamdiu in terris ſuſpectis ſit immorandum: Alterum per *Tridentum*, & longius, & pluribus ſuſpectis locis, non tamen per Suitenſes, quod ad Montes ita aſperos, & quod ad populos adeo infenſos interjectum, per vitium ætatis vobis eſt bene conſiderandum, & per quod elegeritis caute ambulandum. Non enim dubitamus, multos in hac Urbe eſſe Germanos, qui de vobis, & credita Provincia ſcripturi ſint in Germaniam, aut Florentiam jam ſcripſerint, propterea ab his, qui utriusque itineris periti ſunt, tum hic, tum Senis, & Florentiæ, & Bononiæ, per quas Civitates omnino vobis transeundum eſt, informationem capiatis, & modum, viamque ſalvi conductus, quo poſſitis Deo auxiliante, iter veſtrum tuto peragere; & ſi forte ad iter per Suitenſes faciendum ſalvus conductus vobis deeſſet,

per

Digitized by Google

per Tridentum, & Sereniſſimi Rom. Regis terras eundum eſſet. Tridenti enim capto conſilio, a Vener. Fratre noſtro, Epiſcopo ejus Civitatis, vel ſi ipſe abeſſet a dilecto filio, Nobili Vicario *N. Caſtellalto*, primo Civitatis pro Romanorum Rege Præfecto. Quos ambos, ut in rebus gerendis prudentes, ita etiam in fide Catholicos, & huic ſanctæ Sedi affectos eſſe plurimum gaudeamus, & volumus, ut eis optimum noſtrum animum, hac de cauſa in ipſos affectum ſignificetis. Iter veſtrum, quod illinc duplex ſcinditur, proſequi poteritis, & ſi per *Oenipontum*, prædicti Romanorum Regis peculiarem Regionem, magis conſulerem, illic a Regio Senatu ſalvi conductus diplomata, una cum ductore itineris impetretis, id quod facile, & libenter Legatis Nuntiis noſtris id petentibus, pro bonitate illius Principis, ſemper concedi conſevit. Licet autem intelligamus, Cæſ. Majeſt. publicaſſe jam a die ſalvi conductus omnibus dicto Colloquio Wormat. acceſſuris, profecturum, tamen non poſſumus non vos monere, ut omne ſtudium adhibeatis, quo tuto ad locum vobis decretum perveniatis, in quo præter ſalvos conductus procurandos, & proderit plurimum ſi prudenter, & tacite, & abſque ulla oſtentatione iter veſtrum faciatis. In hoc autem Articulo propterea multo ſumus immorati, quia non parum Reipublicæ intereſt, ne quid ſiniſtri in via, quod Deus avertat, patiamini.

7. Cum Wormatiam, auxiliante Deo, incolumes perveneritis, nihil vobis antiquius, quam ut, ſignificato adventu illuc noſtro Domino *Epiſcopo Mutinenſi*, conſilia veſtra, & commiſſionem vobis datam, cum illo libere communicetis; deinde una ſecum Colloquium procuretis *Oratorum Cæſ. & Regiæ Majeſtatum*, eorumque Doctorum, qui cum illis eo acceſſerint; & inprimis Vener. Fratris *Epiſ. Atrebatenſ.* & dilecti Filii *Alberti Pighii*, quos & ipſos vobiſcum illi Conventui intereſſe voluimus, e quibus ſtatus Religionis, & Collegii deputatorum etiam inceptus fuerit, intelligentes inter vos conſilium

ineatis, quando & quomodo vobiſcum Dei nomine aliquid negotiari inchoandum ſit.

8. Sed illud præcipue memineritis, ut vos præſertim in principio magis audiendi, & quæ ab aliis dicuntur obſervandi, quam noſtra conſilia aperiendi ſtudioſi ſitis; audiens enim ſapiens, ſapientior erit, ut inquit *Salomon*, & juxta Divi Jacobi præceptum, *omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram*, de quo quamvis vos commonefacere ſuperfluum ſit, non abs re fuerit indicaſſe.

9. Sicut & illud neceſſario vobis obſervandum omnino cenſemus, ut non ſolum mutuo inter vos amore conjuncti, ſed ſententiis & doctrina concordes ſitis, & tales vos eſſe tam publice quam privatim oſtendatis.

10. Nullus item per ſe, vel cum Catholicorum, vel eorum Adverſariorum deputatis, aut aliis quibuscunque, quicquam tractare audeat, niſi prius re tecum, & cum cæteris, quos tecum hac de cauſa commiſimus, communicata.

11. Quod ſi quis veſtrum forte aliquid foris intellexerit eorum, quæ ad rem facere videbantur, ad eos quam primum referat, & ad te inprimis, quem hujus negotiationis Gubernatorem inſtituimus, cæteros vero tibi conſiliarios adjunximus.

12. Et quoniam ad aures noſtras pervenit, a nonnullis etiam fide dignis ſubdubitatum eſſe, ex aliquibus indiciis facile fieri poſſe, ut aliqui ex eis, quos *Catholici* ſuo nomine deputaturi ſunt, partim non bono in hanc Sedem noſtram animo ſint affecti, propterea omnem adhibebitis curam, ut ſiqui ſint tales, & quinam illi ſint, intelligatis, id quod ab *Epiſcopo Mutinenſi*, in iſtis Regionibus diu verſato facile percipere erit.

13. Aliorum autem non ſincerorum colloquio & conſue-

ſuetudine, ſicuti omnino non adeo conſultum eſſet, uti cum detrimento cauſæ publicæ, & ipſi, ſi qui erunt tales, & ii a quibus deputati fuerint, irritentur, parcius & cautius cum illis negotiari vos oportebit, & quando una cum aliis vere Catholicis ad vos ibunt, generalibus verbis & cauſæ fidei minime præjudicialibus tunc utendum erit.

14. Itidem vobis obſervandum erit, cum aliis omnibus ſive palam, ſive clam non bene ſentientibus, cujusque gradus ſint aut conditionis, quibuscum neceſſario eſſet aliquid vobis tractandum.

15. *Aſt* cum deputatis vere Catholicis, quoties vel per ſe vos - - - vel a vobis pro loco, & tempore invitati fuerint, omnia quæ agenda eſſent, liberius & accuratius conferentes non ſolum doctrina & conſilio, ſi opus fuerit, eos juvabitis, ſed etiam ad pie, prudenter & pacate, cum adverſariorum deputatis tractandum negotium religionis inſtruetis, & quodammodo dirigetis, commonendo eos, ut a rixis, contentionibus, & oſtentationibus abſtineant, & zelo fidei, pacis & charitatis omnia pertractent.

16. Si vero forte contingeret, ut deputati Proteſtantium, vel ſponte ſua, vel aliquibus aliis honeſtis perſonis inducti, vel alia quavis bona occaſione oblata, colloquium veſtrum quærerent, eos benigne & amice accipiatis, & cum eis loquendo, vel negotiando, non minus prudentia, humanitate, & dexteritate, quas in vobis novimus eſſe ſummas, quam doctrina utemini, ſignificantes eis, nos eſſe maxime promtos unitatem fidei, in omnibus quidem ovibus nobis commiſſis; ſed præcipue illius inclytæ nationis provocare, ad quod exequendum nos boni Parentis omne officium impleturos dicetis, modo illi ſe obedientes filios exhibeant.

17. Commemorabitis etiam dextro quodam modo, quot quantaque damna paſſa ſit Eccleſia Dei, & præſertim Ger-

 mani-

Digitized by Google

manica Natio, ex iſtis in Religione diſſidiis, quantaque majora pericula immineant non ſolum ex inteſtinis, verum etiam Infidelium bellis, quæ omnia haud difficulter tollerentur, ſi velint ad Eccleſiam Dei redire.

18. Quod ſi aliqua in Eccleſia reformari, aut ſibi concedi putant, ea certa, & clara, ſcriptisque commendata vobis exhibeant, ad Nos quamprimum tranſmittenda, quæ ſi talia erunt, ut ſalvo Dei honore, & conſcientia noſtra concedi poſſint, & vos iſtic eos bona ſpe favebitis aſſequendi quæ petant, & nos reipſa oſtendemus eſſe nos & benignos, & pacis, & charitatis, & unitatis maxime cupidos.

19. Si vero iidem Proteſtantium deputati pertinaces in ſuis opinionibus perſeverent, & nos verbis modisque ſubaſperis tractarent, vos tamen a veſtra ſolita loquendi, & agendi modeſtia nequaquam recedatis, quinimo tam apud ipſos, quam apud alios quoscunque, ubique juxta animi noſtri deſiderium ſingularem charitatem, unitatem & pacem ſemper profiteamini; ſed in hoc neceſſe eſt eo utamini temperamento, ut tam Proteſtantium Deputati, quam alii quicunque cognoſcant, vos ex animo agere; nec quia cauſæ noſtræ diffidatis, ſed e bonitate naturæ veſtræ, & Apoſtolorum doctrina, qui contentiones ab Eccleſia Dei eliminant, modeſtiam & civilitatem veſtram procedere.

20. Non deprecamur autem, ſi res ad iſtos terminos mutui inter vos, & Proteſtantium Deputatos Colloquii, ut alicujus honeſti tractatus, reducatur, & vos cum modeſtia, humanitate, prudentia & charitate, ſicut confidimus, rem hujusmodi tractetis, quin iſtud in Religione diſſidium ad aliquam bonam & certam viam dirigi poſſit, unde mox unitas & pax Eccleſiæ loco & tempore, & debitis modis perficienda, authore, fautore Domino ſubſequatur. Quod ſi Deus nondum

dum concedere nobis dignabitur, nos tamen & datæ nobis commiſſionis, & vos ſuſcepti laboris nequaquam pœnitere debebit; Cum actiones noſtras pro officio & ratione, & implorato Numine dirigere, illarum vero ſucceſſionem a Domino expectare debeamus.

21. Et hæc prope ſunt, quorum in genere, & veluti quadam forma vos commonefaciendos exiſtimavimus; cæterum quia non pauca pro mutabilitate rerum de novo emergere facile poſſunt, ea tam ex his regulis per nos datis, quam ex prudentia veſtra gubernanda, &, quod dicitur, conſilium capiendum vobis relinquimus.

22. Quæ vero ad merita hujus cauſæ & articulos controverſos attinent, non eſt quod vos inſtruamus, cum incertum ſit, quibus potiſſimum tunc inſiſtere adverſarii velint, & conſummata doctrina veſtra alterius inſtructione non indigeat.

23. Illud tamen in hac re certius explicandum vobis jam nunc duximus; Quoniam cum Lutherani multa errata falſo imputant Sedi Apoſtolicæ, contra quæ poſtea ſcribentes, & ea refellentes, ſi aures populi captant & animos eorum, idcirco maxime profuturum putamus cauſæ noſtræ fidei, ſi vel cum proteſtantium deputatis loquentes, vel etiam cum aliis hominibus, qui ubique fere hac fraude ſunt ſeducti, detegentes & redarguentes hos malos dolos; obſervata tamen ſuper ea, quæ vobis toties inculcavimus, modeſtiæ & prudentiæ regula, ut ne propter ea ad contentiones & rixas deveniatis, cum vos nos non ad diſputandum, aut ad altercandum, aut aliquid in eo Colloquio tractandum, probandum, dicendum, aut concordandum illuc mittimus, ſed pro ſatisfactione officii noſtri, & ad Cæſ. Majeſtati & Sereniſſimo Romanorum prius aſſiſtendum, & conſulendum deputatis Catholicorum, ad mandandum adverſariis reductionem & pacem, ſi minus ad explo-

plorandum & intelligendum eorum conſilia, & ad quæ tandem tendere videantur, perſcrutandum, in quo non ſolum ſumma diligentia, ſed & maxima prudentia, & cautela vobis utendum erit, ne forte detectum propoſitum veſtrum majorem conciliet perturbationem.

24. Si aliqua vobis ſpes, & via pacis & reductionis eorum illuceſceret, de ea & omnibus aliis, quæ illi dicent, facient, aut conſignabunt notatu digna, ad nos per literas quam primum referatis, congruum & opportunum a Nobis quam celerrime accepturi reſponſum.

25. In ſumma autem ita pro virili veſtra cum Dei auxilio agere ſtudeatis, ut ſi fidei, & hujus Sanctæ Sedis cauſa ex veſtra negotiatione melius promoveri non poſſit, ſaltem ad deteriorem, quam in quo nunc eſt ſtatu veſtra culpa, de quo tamen nequaquam timemus, perducatur. Poteritis autem ſæpe & copioſe ſcribendo facile nos de omnibus certiores reddere per Tabellarios, qui vigeſimo quoque die ultro citroque hinc in Flandriam, & illinc Romam commeare per Spiram, *Wormatiæ* admodum vicinam conſuevere, ſed & ubi res poſtularet, etiam proprium Curſorem ad nos illinc expedire poteritis. Dominus noſter JEſus Chriſtus conſilia & actiones veſtras gubernet, & vos incolumes illuc ducere, & cum laborum veſtrorum optatis fructibus ad nos reducere, & Eccleſiam ſuam pacare, & ampliare dignetur, qui & ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula ſæculorum Amen.

Datum *Romæ* apud *Sanctum Marcum*, *ſub Annulo Piſcatoris*, *die quinta*, *Octobris*, *M. D. X L.* *Pontificatus noſtri Anno ſexto*,

V. EX-

V.

EXTRACTUS PROCESSUS

contra

CAROLUM CARDINALEM DE CARRAFA

intentati.

Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Don CAROLUS *Cardinalis* CARRAFA *de infraſcriptis per Fiſcum S. D. N.* PII *Papæ IV. imputatur.*

IN primis ſunt decem & octo anni, vel circa quod intervenit cum *Hieronymo Conturberio* in Territorio *Cirignolæ* Regni Neapol. ad occidendum quendam *Thomam Pennachionem de Benevento*, qui antea occiderat *Sylvium* fratrem Germanum, præfati *Conturberii.* Et quod hoc præfatus Cardinalis fecit mediante pecunia.

Super prædicto delicto ſunt examinati pro parte Fiſci XXIV. Teſtes, prout apparet in proceſſu fol. 154. & a fol. 2213. usque 2244. quorum 22. Teſtes deponunt ſe audiviſſe, qualiter dictus Carolus Carraſa, tunc ſæcularis exiſtens, intervenerat in præfato homicidio propter amicitiam, quam habebat cum præfatis *de Conturberiis* & non propter pecuniam.

Pro Illuſtriſſimo Cardinali dicimus de prædicto delicto non poſſe inquiri, nec moleſtari. Primo quia non conſtat de corpore delicti. Secundo, quia prædicti Teſtes pro informatione Curiæ tantum, ipſo Cardinale non citato, fuerunt examinati. Et quia deponunt, de auditu nullum faciunt indicium.

Sed dato, quod plene probaretur dictum delictum, hucusque dicimus, de eo non poſſe inquiri ſtante ampliſſima abſolutione in utroque foro ſibi facta de omnibus commiſſis ante Cardinalatum per motum proprium f. 2. *Pauli Papæ IV.* regiſtrat. in proceſſu f. 415.

Nec

Digitized by Google

Nec obſtant objectiones fiſci, dicentis, quod debebat fieri ſpecialis mentio qualitatis Aſſaſſinii, quod tanquam delictum exceptuatum non venit ſub generalitate verborum, & quod non fuerit in ſpecie derogatum Clementiæ contra homicidas, & quod ex depoſitione Epiſcopi Reatini tunc Datarii conſtat, præfatum motum proprium fuiſſe ſignatum poſt aſſumptionem ipſius ad Cardinalatum, & tamen apparet, data per aliquot dies ante Cardinalatum, nam præfatis objectionibus facilis eſt reſponſio.

Et primo non obſtat illud, quod dicitur de omiſſa expreſſione qualitatis Aſſaſſinii, nam de ea non conſtat hucusque & *Conſtantius Colatia*, qui fol. 2236. deponit audiviſſe quod D. Carolo pro cauſa prædicta data fuerunt D. 400. a præfatis conturberiis, nullum facit indicium, quia ultra quod patitur illosmet propter defectus in facie ſecundi folii p. -dicit ſe eſſe de contraria parte, & eſſe inimicum *Conturberiorum*, & quod erat amicus dicti *Pennachioni*, & tunc, quando fuit occiſus, aſſociavit usque ad terram Paduliæ, & ſimiliter eosdem defectus patitur Joannes de Bloſio, qui dicit tantum audiviſſe, quod receperat 300. ſcutorum, nec dicunt a quo audiverunt, & ſic non poteſt fieri fundamentum ſuper depoſitionibus illorum, ſtante maxime depoſitione tot teſtium, pro parte fiſci examinatorum, dicentium quod propter amicitiam, & non propter pecuniam intervenit in homicidio, & ſic quando poteſt conjecturari cauſa excludens, vel minus delictum eſt illa præſumenda, & accipienda, quanto magis in caſu noſtro debet ceſſare ſuſpicio aſſaſſinii, cum conſtet per prædictos teſtes de cauſa prædicti homicidii, quæ fuerat amicitia Conturberiorum, & non pecunia.

Et ulterius dicimus, eundem Pennachionem tempore ſuæ mortis fuiſſe banditum, & forojudicatum pro aſſaſſinio, & de robatione ſtratarum publicarum, quo caſu ex forma Conſtitutionum illius Regni potuerat impune occidi, & qui jure

licito

Digitized by Google

licito poteſt aliquem occidere, illud etiam poteſt facere, mediante pecunia, prout in jure demonſtrabimus.

Dicimus etiam, quod propter prægnantiſſimas clauſulas in dicto motu proprio contentas, cenſetur remiſſum & aſſaſſinium, prout in jure demonſtrabimus, maxime, quia Papa ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis ad finem promovendi ipſum ad Cardinalatum voluit omnino eſſe abſolutum, & ab omni macula purgatum, prout erat tempore ſuſcepti baptismatis, etiam ſi commiſiſſet crimen læſæ Majeſtatis in primo capite & alia majora, & quod crimen poteſt inveniri quod ſit majus crimine læſæ Majeſtatis in primo cap. quod eſt peſſimum & ſceleratiſſimum omnium delictorum, ut jura teſtantur.

Et propter easdem clauſulas dicimus non obſtare omiſſionem ſpecialis derogationis Clementiæ prædictæ, quia in ſecunda parte dicti motus proprii dicitur, quod poſſit expediri facere literas iteratis vicibus cum quibuscunque derogationibus cum expreſſione aliorum criminum & qualitatum, & quod poſſit mutari narrativa, adeo quod nunc etiam poſſumus expediri facere literas cum præfatis derogationibus.

Et ulterius eſt conſiderandum, quod præfata Clementina habet locum in homicidiis, commiſſis in ſtatu temporali Eccleſiæ, & iſtud de quo agitur, fuit commiſſum in Regno, ut ſupra dictum eſt. Nec etiam obſtat depoſitio Epiſcopi Reatini, qui ultra, quod eſt notorius inimicus Carrafæ, appoſitio illius, data in motu proprio, ut ipſemet deponit, fuit facta de expreſſo ordine Pontificis, qui ſciebat, quando Cardinalem abſolvit, & de ſtylo, & de jure Papa poteſt hoc facere, maxime in his diſpenſationibus, facultate ſua dependentibus, & nemini præjudicantibus.

2. Inquiritur ſuper eo contra Dominum Cardinalem, quod de Anno 1558. menſe Octobr. ſive Novembris mandavit *Petro Caſcon*, & *Antonio Cammillo de Urbino*, ut occiderent

 median-

mediante pecunia *Dominicum de Maximis*, tunc Neapoli degentem.

Super hoc crimine Fiſcus producit tantum proceſſum de partibus fabricatum in Vicaria in proceſſu regiſtrat. fol. 2160. in quo adeſt prima depoſitio prædicti *Dominici de Maximis*, qui dicit non credere quod Carraſa hoc mandarat, ſed ſuſpicabatur de aliis ſuis inimicis, & quod illi aſſaſſini volebant ſub nomine Carraſæ dare auctoritatem negotio, quod eſt magis veriſimile, conſiderata perſona ipſius Illuſtriſſimi Domini Cardinalis, cui non opus erat hoc negotium committere prædictis vilibus perſonis, & ab eo penitus incognitis, cui in civitate Neapol. non deficiebant perſonæ, & conſanguinei majoris auctoritatis.

Sed quidquid ſit, depoſitionibus prædictorum infamium non eſt danda fides. Primo quia examinati cum juramento negaverunt, licet poſtmodum affirmaverint in tortura; 2) quia invicem ſibi contrariantur: nam Petrus dicit fuiſſe promiſſa eis 200. D. in præſentia Antonii, & Antonius dicit quod in abſentia Petri fuit ſibi promiſſum, quod Carraſa haberet eum pro cariſſimo familiari, & ſervitore, & in multis aliis ſibi ipſis invicem contradicunt, & convincuntur de mendacio. 3) quia ſunt examinati per judicem ſecularem incompetentem, & ipſo Cardinale non aliter citato.

Et licet præfata imputatio ſit falſiſſima, attamen ex quo non fuit deventum ad actum proximum reſpectu mandantis etiam Clerici, non eſſet niſi pœna pecuniaria, prout in jure demonſtrabitur.

3. Imputatur de occiſione quorundam Hiſpanorum in Inſula Corſica tempore belli, in quo ſerviebat Regi Gallorum. Super quo examinati fuerunt pro parte fiſci *Hieronymus* Epiſcopus, *Dominicus de Aſculo*, & *Capitaneus Baleſtra*, qui in effectu deponunt contra Carraſam, imo prædictus Baleſtra fol. 72. dicit, quod Carraſa noluit in dicta factione intervenire. Sed, dato

dato quod interveniſſet, dicimus ſibi licuiſſe jure belli, & contra hoſtes ſui Principis, a quo merebatur ſtipendia, & quia non conſtat de corpore delicti, nullum adeſt indicium, & comprehenditur in dicta abſolutione generali ante Cardinalatum, ideo contra eum non poteſt procedi, neque inquiri.

4. Inquiritur, quod tempore Pauli IV. impulit, & cadere fecit in terram quondam fumantem Bernardinum banderarium, ex quo caſu & impulſu mortuus fuit.

Super quo facto pro parte Fiſci fuerunt examinati *Franciſcus Porta* fol. 117. qui dicit audiviſſe, quod Carraſa impulit eum, ſed fol. 112. dicit, quod mortuus fuit ex bile, & quia tempore inundationis urbis ivit per aquam *Mr. Sebaſtianus* alter teſtis fol. 129. Magiſter *Sylveſter de Bonſignoribus*, & *Joannes Baptiſta Ramoratius*, & *Petrus Pongiburi* fol. 122. & fol. 231. dicunt, quod mortuus fuit ex Catarro, prout medici dicebant, quia ivit per aquam ad ſalvandam uxorem & bona. Et ulterius deponunt, quod nulla percuſſio viſa fuit in ejus corpore, adeo quod deponunt pro Carrafa concludendo, eum mortuum ex morte naturali, & non violenta.

5. Inquiritur, quod tempore Pauli IV. carcerare feciſſet quosdam familiares, ſeu famulos *Flaminii de Laute*, quorum unus, vocatus *Spica de Spoleto*, fuit transmiſſus ad triremes.

Super quo non eſt plurimum inſiſtendum, quia ipſimet teſtes Fiſci videl. *Ventura Barigellus* fol. 138. & *Epiſcopus Clufinus*, tunc urbis Gubernator, & *Petrus Bellus*, Judex maleficiorum, deponunt contra prædictos rite, & recte feciſſe etiam, quia confeſſi fuerunt, ſe eſſe mariolos, & capegiatores, unus fuit banditus, alter fuit transmiſſus ad triremes, prout apparet in proceſſu. Et in omnem eventum cum non conſtet de aliqua commiſſione vel mandato Carrafæ, Judices de tali condemnatione reddere debent rationem.

Digitized by Google

6. Inquiritur, quod in principio Pontificatus Pauli IIII. fuerunt capti quidam, *Cæſar Spina* Calaber, qui cum confeſſus fuiſſet ſe veniſſe ad Urbem pro occidendo ipſo Illuſtriſſimo *Carrafa*, vel Illuſtriſſimum *Farneſium*, de mandato Sereniſſimi Regis *Philippi*, etiam mediante pecunia, & ſimiliter quidam Abbas *Nanus*, qui confeſſus fuiſſet ſe veneno voluiſſe, & procuraſſe necare Pontificem, & Carrafam ad inſtantiam præfatorum Miniſtrorum ultimo ſupplicio ambo traditi fuerunt.

Fiſcus prætendit, quod præfati fuerunt injuſte traditi morti, & quod præfata crimina contra eos confiſta fuerunt ad hoc, ut Carrafa irritaret Paulum IIII. ad movendum bellum contra Imperiales.

Et ſuper hoc facta eſt pro parte fiſci magna diligentia, examinando Judices, Notarios, delatores, confortatores, reorum conſiderando merita proceſſuum, & alia, quæ ad propoſitum omittenda cenſeo.

Breviter dicimus, quoad primum caput injuſtitiæ, nos credere, & pro certo tenere, ex tenore proceſſuum conſtare, juſte eoſdem morti traditos, maxime quia Dominus *Cæſar Brancatius*, tunc Gubernator Urbis, ad Fiſci inſtantiam examinatus deponit fol. 2032. in cauſa præfata cum magna maturitate fuiſſe proceſſum, & per plures Judices ex reſcriptis Papæ delegatos, videlicet ipſum tunc D. Gubernatorem, D. *Sylveſtrum Aldobrandinum*, Advocatum Conſiſtorialem, dominum *Paulum de Tarano*, tunc Vice-Legatum Romandiolæ, Dominum *Julium de Spiritibus*, tunc locum tenentem Auditoris Cameræ, Dominum ſanctum *Cavallionem*, tunc locum tenentem Gubernatoris prædicti, qui ſæpius cauſam diſcuſſerunt, & præcedente longo ſtudio, auditis Advocatis reorum in præſentia, & ad inſtantiam Domini *Alexandri Pallanterii*, tunc, & etiam nunc Procuratoris fiſcalis reſolverunt, votaverunt, & ſententiaverunt illos debuiſſe mori.

Sed

Sed dato, quod aliter fuiſſet proceſſum, dicimus hoc nihil pertinere ad Carrafam, quia præfati Judices fuerunt deputati per reſcriptum Papæ, & Dominus *Julius Spiritus*, deponit, ante fol. 2631. quod Carrafa ſibi dixit ut bene adverteret, & *Che trovaſſe la Verità, & Che faceſſe la giuſtitia.* Et ulterius, quando dicti fuerunt condemnati, & mortui, Carrafa erat in Gallia, adeo quod non videmus, de quo ſuper cauſa prædicta Carrafa poſſit imputari.

Quo vero ad caput ſecundum figurate propter has cauſas inflammationis ad bellum, dicimus, quod data veritate, & juſtitia prædict. ſententiarum, prout pro eis transactis in rem judicatam, & pro tot magnis & conſummatiſſimis Viris eſt præſumendum jure licito, & potuerat & debuerat Papa irritari contra Imperiales, & ſuæ parti adhærentes, & authores tanti ſceleris, licet in rei veritate Papa per multum ſpatium temporis ante capturam præfatorum declaraverat animum ſuum contra Imperiales, & ſuæ parti adhærentes; conſtat enim in proceſſu fol. 2609. quod Abbas *Nanus* fuit captus poſt carcerationem Illuſtriſſimi *de ſancta Flora*, & occupationem Status Columnenſium, & arreſtationes illis adhærentium, & Papa publice & palam loquebatur, prout eſt notorium, & manifeſtum, & dicebat habere plures cauſas contra Majeſtatem *Caroli V.* glor. mem. & Sereniſſimi Regis *Philippi*, ejus filii, quas non eſt noſtrum recenſere. Unum tamen non omittimus, quod eſt notorium, conditionem & naturam Pauli IIII. fuiſſe, & nullus penes eum fuit tantæ auctoritatis, ut eum a ſuo propoſito, & deliberatione diverteret, & in tantum hoc eſt verum, quod in dictis temporibus, cum Rev. Dn. *Joannes della Tolfa*, nunc Epiſcopus ſancti Marci voluiſſet ei perſuadere, ut bene ſe gereret cum Imperialibus, & cum eis non veniret ad roturam, eum quantumcunque ſuum ex ſorore nepotem a ſuo cubiculo ejecit, & privavit ſua familiaritate, & ſimiliter Dux *Paliani* deponit fol. - - quod donec ſe declaravit

contra Imperiales, Papa namque eum vidit grato vultu, & bono oculo, adeo quod concludendum eſt, cum Paulo IIII. parum aut nihil prævaluiſſe conſilia & verba Nepotum, ſed omnia quæ fecit, ex ſua propria voluntate fecit.

Nec obſtat depoſitio *Alexandri Marſii*, quia ultro, quod eſt notorius inimicus Carrafæ, qui eum per multos menſes detinere in carceribus fecit, cedula, de qua ipſe deponit, erat directa Domino *Mathæo Stendardo*, & de ea conquerebatur, nec lamentationibus reorum ſtandum eſt, qui ſi aliquid contra veritatem confeſſi eſſent, habebant juris remedia, & poterant revocare eorum confeſſiones, & docere de errore, vel purgare per torturam, & non perſeverare, prout perſeveraverunt in eorum confeſſionibus usque ad finem.

Et ſimiliter non obſtat depoſitio *Theodori Rubei*, qui erat præfatus *Nanus* a D. *Garzia de Avoſalariatus*, prout ipſemet Dominus *Garzia* deponit fol. 2457. cujus Theodori depoſitio ex alio Carrafæ non nominat in hoc facto, ſed dicit pluries vidiſſe *Matthæum Standardum*, loquentem cum carceratis.

Nec etiam obſtat depoſitio præfati Domini *Garziæ*, quia tractat de ſe ipſum exculpando, licet, ſi bene ejus depoſitionem conſiderare velimus ex ſua fuga quam ipſe fatetur, & ex certa locatione, quam per medium Abbatis *Nani* fecit cum Joanne *Maria Caritufio Scalco*, ſecreto Carrafæ, magna fuit orta ſuſpicio contra dictum Nanum.

Nec obſtat depoſitio Comitis *Sarai*, dicentis, vidiſſe Nanum loquentem cum Carrafa, & quod prædict. tentatam & procuratam venenationem ſibi revelavit, quia hoc deponit de auditu, & relatione ipſius Abbatis *Nani*, quæ relatio non videtur veriſimilis, nam ſi revelationem feciſſet Abbas *Nanus* ne oſtenderet eſſe duplicem *Spiam*, illam utique non communicaſſet dicto Comiti, qui, ut notorium erat, & eſt Vaſallus,

lus, & feudatarius prædicti Regis Philippi, nec prædicto Comiti *Sarai* contra Carraſam in aliquo eſt credendum, quia, ut notorium eſt, ſtrictiſſima conſanguinitate, affinitate, & amicitia cum Dominis *Columnenſibus* eſt conjunctus.

7. Inquiritur de inflammatione vel ſollicitatione mortis Duciſſæ *Paliani* prægnantis &c. Super quo facto pro parte fiſci examinatur *Sylvius Gorius*, qui fol. 44. deponit, quod veniens ad urbem tempore ſedis vacantis Carraſa petiit ab eo quid factum erat de Duciſſa *Palliani*, & quod ejus frater ipſe reſpondit, qualiter Comes *Aliſſi* & *D. Leonardus de Cardine* ejus conſanguineus determinaverat in nocte tunc proxime ſequenti ipſam mori facere, & Carraſa

ſe ne moſtrava contento,

& conquerebatur, quod propter ejusdem Duciſſæ impudicitiæ dolorem mortuus erat Papa, & Comitiſſa ejus mater; hæc verba, ut clare patet, de ſe nullum delictum important; deponit etiam prædictus *Sylvius* in fol. 45. qualiter audito poſtmodum, quod Duciſſa non erat mortua, indignatus eſt Carraſa, dicens ſibi, quod non volebat reputare Ducem pro fratre, donec ſuo honori ſatisfaceret, intendendo

della morte della Ducheſſa,

& quod nolebat ſua nec ſuæ familiæ negotia pertractare, & quod ipſe *Sylvius* præfata omnia ſcripſit Duci, ſubdens & per queſta lettera il

Duca ſi riſolve a far l' effetto, come ſi fece, & fol. 46. ſubdit: Jo credo, che queſta lettera mia dell' aviſo del Cardinal Carraſa faſſe cauſa della morte della Ducheſſa. & in eod. fol.

quod, poſtquam audivit Carraſa, Duciſſam fuiſſe occiſam, ordinaverat ſibi,

che faceſſe intendere al Duca, che lodava quanto ſi era fatto, ſubdens, *ex ſe ipſo volendo intendere per quanto io credo della morte ſeguita della Ducheſſa.*

Super

Super qua depoſitione eſt conſiderandum, quod *Sylvius* fatendo, prout fatetur, ſcripſiſſe prædictas litteras, quæ ut ipſe dicit, fuerunt cauſa mortis Duciſſæ, facit ſe delinquentem, non enim ſibi licebat illa verba referre nec ſcribere, maxime quia non erat Secretarius Carrafæ, & ſic tanquam ſocio criminis ſibi non eſt credendum, imo ex confeſſione ſua poteſt & debet puniri, & tamen liber vadit per Urbem, & tanto magis non eſt credendum, quia tractat de ſe ipſum exonerando, & exculpando ſub prætextu mandati Carrafæ a ſcriptura præfatarum litterarum, & Dux deponit fol. 60. non recepiſſe prædictas litteras, & Comes *Aliffi* fol. 52. dicit, prædictas literas *Sylvii* Duci directas perveniſſe in manus ſuas, & illas aperuiſſe, & quod in illis nulla erat mentio de Cardinale *Carrafa*, & propterea eſt veriſimile, quod *Sylvius* ex capite ſuo prædictas literas ſcripſit, nec eſt credendum, quod Carrafa perſona judicioſiſſima & prudentiſſima negotium tantæ importantiæ committeret perſonæ ſibi vix cognitæ.

Nec etiam obſtant depoſitiones ejusdem Sylvii fol. 40. *D. Leonardi de Cardine*, fol. 140. & 141. & Comitis *Aliffi*, 166. & 167. circa relationes nomine Carrafæ, ut aſſerunt, factas Capitaneo *Vico* de Nobilibus ad ſollicitandam mortem Duciſſæ, quia Dux eis contradicit, & fol. 48. deponit, non habuiſſe literas neque nuncium ab aliquo pro acceleranda vel danda morte Duciſſæ, & quod Capitaneus *Vicus* nunquam talia ſibi retulit, & fol. 63. dicit:

Che in caſo d'honore lui non haveva biſogno di ricordo, ne del Cardinale ne di neſſuno;

Et ulterius, præfati ſunt varii, & mendaces principales delinquentes, qui ſponte confeſſi ſunt occidiſſe Duciſſam, & ſic dictis illorum non eſt credendum, quia non ſumus in caſu, ubi ex juris diſpoſitione de Sociis poſſet interrogari, & eſt veriſimile, quod vellent proprium eorum delictum alleviare, vel diminuere, & præſcriptæ literæ credentiales in perſona Capitanei

tanei vici eiſdem, ut ipſi aſſerunt, directæ, non ſunt productæ per fiſcum, & dato, quod eſſent vere per eas, namque præſumitur data commiſſio ad explicandum delictum, quia per mandatum quantumcunque generale cenſetur data facultas ad delinquendum, maxime, quia prædictus *Vicus*, ubi nunc eſt, publice dicit, & facit fidem, ſe nunquam a *Carrafa* habuiſſe in commiſſis, ea, quæ iſtis deponunt, fuiſſe relata.

Nec obſtat depoſitio præfati Comitis fol. 3. ubi dicit, quod fuerat inſtigatus a *Joanne de Nepe;* in ſua depoſitione dicit totum contrarium, & quod nunquam habuit talem commiſſionem a Carrafa, & ſic quemadmodum dictus Comes reperitur mendax in hoc, ita & in particulari Capitanei *Vici*, præſumendus eſt mendax, ultra quod inter eos eſt magna contrarietas & varietas.

Et in omnem eventum dicimus, quod verba, quæ prætenduntur prolata per Carrafam, non important mandatum, ſed tantummodo inflammationem quandam illis, qui ut ipſi fatentur, etiam in literis per eos ſubſcriptis Illuſtriſſimo Cardinali Neapolitano, determinaverant jam per prius Duciſſam mori facere, & omnino erant alias facturi, quo caſu inflammans non tenetur pœna homicidii.

Nec eſt in caſu omittendum, quod de morte prædictæ Duciſſæ nulla deberet haberi conſideratio, attenta ignominia, quæ ex ejus adulterio & inceſtu obtinuerat Illuſtriſſimæ familiæ de *Carrafis*, & cauſa honoris & vitæ æquiparatur, & injuria facta fratri ſuo, eidem cenſetur facta. Et quis in ſimilibus caſibus juſtum poſſet temperare dolorem.

8. Inquiritur, quod Carrafa fuit origo & principium ad invocandum cum diverſis dolis & fraudibus *Paulum IV.* fel. rec. ad faciendam Ligam offenſivam, & defenſivam cum Rege Gallorum, contra clar. mem. *Carolum V. Imperatorem* & Sereniſſimum Regem *Philippum* ejus filium, & ad movendum bellum contra eos, & eorum ſtatus, ex quo bello tot homicidia,

incendia, rapinæ & invaſiones proceſſerunt, & diſcordia inter omnes Principes Chriſtianos, quorum malorum Carrafa, tanquam origo & cauſa, debet luere pœnas.

Fiſcus ad verificandum præmiſſa, primo dicit mentem Papæ a principio ſui Pontificatus paci deditam propter ejus conditionem, & religioſam naturam, & ob Jubilea conceſſa ac Proceſſiones factas pro pace inter Principes Chriſtianos, prout eſt notorium. 2) Producit inſtructiones, quas Carrafa dedit ſummo Duci de commiſſione Papæ, eunti ad Gallorum Regem, quæ regiſtrantur in Proceſſu usque ad fol. 447. & a præfato fol. usque ad 858. regiſtrantur multa, in quibus Carrafa in effectu dicit & ſcribit ad diverſas perſonas, quod laboravit pro ſervitio Regis Galliæ cum eminenti periculo ſuo, ſuorum fratrum & etiam Sanctitatis ſuæ, pro conducendo illa negocia ad finem, & quod a principio prædicti Pontificatus habuit intentionem volvendi animum ſuæ Beatitudinis ad favorem Regis Gallorum, prout fecit, & quod a principio, quando Sanctitas ſua beatæ memoriæ poſuit negotia publica in manu ſua, procuravit ponere ſuam Beatitudinem in neceſſitate, mediantibus rigoroſis executionibus, factis contra Reverendiſſimum *D. de Sancta Flora,* & Dominos *Columnenſes,* & alios factioni Imperiali adhærentes, & quod omnia ſcienter fecit cum periculo ſuæ Sanctitatis & ſuo proprio, ſolum pro ſervitio Regis Galli. Et in alia Inſtructione dicit, ſe eſſe in peſſimo pavitu, videns ſe decepiſſe patruum ſuum, qui pluries dixerat ei, ſi *ſe declarabat contra Imperiales: quid facient iſti tui Galli?* Et ſic in concluſione, & in ſumma reperiuntur in ſuis ſcripturis multæ inſtructiones & literæ, per quas probatur, ut fiſcus prætendit, quod Carrafa procuravit, ut Papa faceret prædictam ligam, & ſucceſſive bellum.

Prætendit etiam fiſcus, quod facta Treuga inter Regem *Galliæ* & *Imperatorem,* ac Sereniſſimum Regem *Philippum,* licet

licet Pontifex per multa ſigna declaraſſet Treugam prædictam ſibi placuiſſe, & per illam veniſſe in ſpem concludendi pacem inter Principes Chriſtianos, & propterea miſiſſet eundem Carrafam ad Chriſtianiſſimum Regem, *Dominum vero de Piſa ad piiſſimum Carolum glorioſiſſimæ memoriæ, & Sereniſſimum Regem Philippum,* de latere Legatos ad componendas prædictas diſcordias, & tractandam inter eos pacem, & concludendam, prout extant multæ literæ Carrafæ, ſcriptæ ad omnes Nuncios Apoſtolicos in diverſis mundi partibus, & ſuæ publicæ Inſtructiones cantabant productæ, & regiſtratæ per fiſcum fol. 1268. & ſeqq. & propterea omni conatu Carrafa tractare & concludere pacem prædictam debebat; attamen ut ipſe in ſuis conſtitutis fatetur, operavit, quod Rex Gallus frangeret Treugam, & moveret bellum contra *Carolum* & *Philippum*, & quod pejus eſt, procuravit, ut in dicto bello gerendo adeſſet Claſſis Turcarum, & conſequenter fecit, ut Rex *Philippus* ex amico inimicus fieret Papæ. Et hæ ſunt in ſumma prætenſiones fiſci circa materiam belli contra Carrafam.

Quibus & aliis, quæ in hac materia per fiſcum adduci, & conſiderari poſſent, non obſtantibus, dicimus Carrafam in prædictis nullum commiſiſſe delictum ex infra dicendis, & breviter repetenda hiſtoria.

Prætendebat Pontifex in perſona ſua privata, ſuorumque conſanguineorum a *Carolo V.* glorioſiſſimæ memoriæ, & ſucceſſive a Sereniſſimo Rege *Philippo*, ejus filio, multas recepiſſe offenſiones, quas particulariter non decet recenſere, ſed in parte narrantur in quodam Memoriali, dato Annibali *Ducellajo*, regiſtr. f. 867. & propterea etiam antequam fuiſſet aſſumtus ad Pontificatum, multoties declaravit animum ſuum contra prædictas Majeſtates Catholicas, prout eſt notorium, & clare probant literæ *Illuſtriſſimi Ducis Albæ* ad prædictum *Paulum IV.* in modum proteſtationis directæ, ſub dato

Neapoli d. 21. Aug. 1556. in quibus, poſtquam narravit cauſas, propter quas contendebat movere bellum contra Statum Papæ, dicit hæc verba, videlicet:

> *nel che ſi da ad intendere apertamente che il diſegno non è ad altro, che ad offendere ſua Maetà, come ancora lo dimoſtro prima che fuſſe fatto ſummo Pontifice, quando in tempo delli tumulti di Napoli non manco di conſiglar Papa* PAOLO III. *al invaſione del Regno, perſuadendo gli che non perdeſſe una tale occaſione &c.*

prout etiam hæc ſua voluntas & intentio ante Papatum per infinitos teſtes probari poteſt, propter quas cauſas ipſo ad Pontificatum aſſumto, licet forſitan Papa poſt ejus aſſumtionem voluntatem invadendi Regnum non haberet propter prædictas ſuſpiciones, & magnas partes, quas habebat in Regno, Imperiales de ejus invaſione & dubitare, & ſuſpicari cœperunt, prout clare apparuit, quando Civitas Neapol. Legatos & Oratores ſuos ad ſe congratulandum cum Pontifice de ſua electione transmittere vellet, prohibita fuit ab Illuſtriſſimo Domino *Bernardino de Mendoza,* tunc prædictarum Majeſtatum locumtenente in dicto Regno, & poſtmodum quando ex abrupto de ordine ejusdem locumtenentis ob præfatas ſuſpiciones fuerunt captæ, & apertæ omnes literæ, quæ ab Urbe transmittebantur Neapolim, per *Procacium*, & multi Conſanguinei Papæ propter hanc magnam & notoriam diffidentiam non auſi fuerunt venire ad videndum Pontificem, prout cupiebant facere in tanta lætitia, quæ omnia notoria ſunt.

Diſplicebant Pontifici hæc geſta per locumtenentem præfatum, tamen ſufferebat patienter. Evenit poſtmodum, quod Papa ex juſtis, ut prætendebat, cauſis ob fugam triremium a portu civitatis veteris, carcerare fecit *Lottinum*, & eodem tempore interceptæ fuerunt quædam *Inſtructiones*, in quibus tractatur de Concilio congregando, & de multis aliis rebus,

rebus, quæ multum offenderunt animum & mentem Pontificis, de quibus Inſtructionibus fit mentio *fol. 830.* & in Proceſſu *Lottini* poſſent videri, & ſucceſſive propter certam congregationem, factam per adhærentes parti Imperiali in domo præfati Illuſtriſſimi de *Sancta Flora;* Idem *Paulus* eundem carcerare fecit, & occupavit ſtatum dominorum *Columnenſium* ex cauſis in ſententia contra eos per prædictum Pontificem prolata, & impreſſa contentis, quæ geſta, ut idem Dux *Albæ* teſtatur in prædictis literis, omnia fuerunt capta, & ſumta ad offenſam Catholici Regis, ſub cujus protectione erant prædicti *Illuſtriſſimi Domini*, & propterea ex utraque parte in confinibus Regni miſſæ fuerunt gentes armorum, unusquisque tamen ſtabat in terminis & confinibus ſuis cum magna ſuſpicione & diffidentia.

Quod videntes *Domini de Avanzon*, & *Lanſach*, pro Rege Gallorum in urbe exiſtentes, non prætermiſerunt occaſionem, ſed cœperunt loqui, & habere praticam cum Pontifice, cui ex parte Regis multa & magna pro defenſione & exaltatione, ac amplificatione ſtatus Eccleſiæ offerebant, prout apparet in dicto Proceſſu *fol. 822.* ubi in quadam inſtructione dicitur,

Il Re comincio a ſollicitare N. S^{re.} per me d' AVANZON *& di* LANSACH, *con largiſſime offerte, eſſortando ſua B^{ne.} che non ſopportaſſe l' inſolenza degl' Imperiali.*

Et omnia hæc offerebantur ad hoc, ut faceret Ligam & confœderationem cum Rege Gallo contra Cæſarem & Regem Philippum, & ad hoc, ut præfatum negotium cum aliqua protectione & favore penes Pontificem tractare, & concludere poſſent, uſi ſunt juſto favore & protectione *Carrafæ*, prout videmus fieri quotidie per illos, qui cum Summis Pontificibus magna negotia tractant, & qui, *ut notorium eſt*, *ſemper habent mediatorem & protectorem aliquem nepotem Pontificis* ad hoc, ut poſſint bonam & celerem expeditionem obtinere, & quod

præfatis *Dominis de Avanzo & Lanſach* per hunc modum licitum & honeſtum penes Pontificem *Carrafa* præſtitit favorem, & protectionem, apparet in eadem Inſtructione, ubi dicitur:

> *Mi ſforzai di operare che ſua Beatitudine* deſſe all' offerte di ſua Maeſtà Chriſtianiſſima & *in alia* Inſtructione Domino *Cæſari Brancatio*

data, quam fiſcus pro ſe producit, narratur:

> *Et allhora* MONS. DI LANSACH *& gli altri Miniſtri del Remi ſollititavano, & m' inſtigavano con gradiſſima inſtanza che io provocaſſi S. S^{tà} contra gl' Imperiali, in che io m' adoprai & cominerai a riducere à memoria a S. Santità l' offeſe che haveva ricevute dall Imperatore & dalli ſuoi per ogni tempo, & maſſime nell Conclave ultimo; & andai introducendoli, & ponendoli in gratia Monſ.* d' AVANZON ET DI LANSACH, *li quali gli fecero molte larghe offerte da parte del Re, canto che finalmente ſi concluſe la Lega.*

Et ſic expreſſis per fiſcum apparet modus licitus & honeſtus, quo uſus eſt *Carrafa* ad favorem Gallorum ſine aliqua fraude, & dolo, imo ut ipſemet dicit in prædicta Inſtructione Duci declarat intentionem ſuam fuiſſe directam in prædicta Inſtructione & negotiatione ad reputationem, & ſervitium Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, ibi dum dicit,

> *Et io giudicando, che non ſi poteſſe mantenere, anzi ricuperare la riputatione di queſta Santa Sede, che era aſſai diminuita per la negligenza paſſata, altramente che con l' armi, & con la potenza del Re mi Sforzai di operare, che ſua Beatitudine deſſe orechie all' offerte di ſua Maeſtà, & fol. 867.*

in literis Credentiæ Regi directis,

> *Gli darà conto di quanto hò procurato a beneficio di queſta Santa Sede, & gloria di V. Maeſtà,*

& *fol. 817.* in aliis Inſtructionibus in fine dicitur:

> *Racellai ho conferito tutto con N. Signore come potete penſare.*

Appa-

Apparet ergo, quod Legati & Oratores prædicti Regis Gallorum tractabant & negotiabant cum propria perſona Papæ, a facie ad faciem, mediante tamen introductione Carrafæ. Ex quibus evidenter apparet, quod Liga fuit concluſa cum præfato Pontifice per dictos Oratores ex mera ejus voluntate, & ſine aliquo commento fraudis, & illam Papa ſua propria manu ſubſcripſit, prout apparet in proceſſu fol. 2123. & quod Carrafa verbis, & rationibus, modo licito, honeſto & aperto operam ſuam præſtitit introducendo præfatos omnes ad Papam, & reddendo eos illi gratos, quæ prætenſa perſuaſio tali modo facta non fuit doloſa, nec in perniciem Principis vel ejus Status, immo ad ejus neceſſariam defenſionem & conſervationem. Videns enim Carrafa diffidentiam natam inter Pontificem & Imperiales, & quod omnes habebant arma in manibus, & quod non inveniebatur modus invicem ſe aſſecurandi, ex quo unusquisque volebat, ut alter primo arma deponeret, ut eſt notorium, conſideransque vires Eccleſiæ non ſufficere ad ſtipendia militum, quibus in magno numero egebat Pontifex pro defenſione ſui Status undique ab Imperialibus circumdatus, rationaliter potuit & debuit conſiderare bonum, utile & expediens, ac neceſſarium fuiſſe Pontifici oblatam Ligam & confœderationem ex parte Gallorum Regis non refutare, ad hoc, ut in caſu neceſſariæ defenſionis perſonæ & ſtatus Papæ tueri & defenſari poſſet adverſus eum offendere volentes.

Et quia utplurimum, uti experti in bello ſciunt, pro defenſione eſt neceſſaria offenſio, & melius eſt prævenire quam præveniri, & magis expedit facere bellum in ſtatu alieno quam in ſuo, ideo fuit concluſa præfata Liga etiam ad offenſam, in qua eſt conſiderandum quod Papa dicit, illam facere ex juſtis cauſis per eum ſuo tempore exprimendis, quæ cauſæ ſemper in Principe ſupremo juſtæ præſumuntur. Eſt etiam conſiderandum, quod Summi Pontifices tanquam ſupremi Principes de

Digitized by Google

de jure & conſuetudine poſſunt & ſoliti ſunt facere Ligas & confœderationes, nec eis hoc adſcribitur ad peccatum ſive delictum.

Si ergo Principalis & contrahens præfatam confœderationem & Ligam non deliquit, quomodo in perſuadente & ſibi conſulente ligam & confœderationem præfatam, poſſet conſiderari delictum non video, cum deficiente principali, corruat etiam acceſſorium, quod tanto magis affirmandum eſt, quia reſpectu Carrafæ, & etiam, quod nulla eſſet juſta cauſa contrahendi Ligam, & faciendi bellum, attamen quia omnia hæc fiebant ex auctoritate & voluntate ſupremi Principis, licita cenſenda erant, & ſunt. Bellum enim geſtum reſpectu Miniſtri & exſecutoris, juſtificatur & redditur licitum ex ſola auctoritate Principis, cui ipſe Miniſter, ut Carrafa, parere, & obedire tenebatur.

Apparet itaque ex prædictis vera & firma concluſio, quod usque ad tempus Ligæ prædictæ nulla in Carrafa culpa reperitur. Succeſſive deveniendo ad diſcuſſionem Treugæ, & illius rupturæ, dicimus, quod, poſtquam per præfatam ligam Papa & ejus ſtatus fuerat aſſecuratus, venerant Nuncii ex Gallia notificantes, inter Chriſtianiſſimum & Catholicum Regem factam fuiſſe Treugam, in qua ex parte Regis Gallorum tanquam confœderatus expreſſe nominabatur Summus Pontifex, nec propterea Imperiales a confinibus diſcedebant, nec arma deponebant, adeoque Papa iterum de ſtatu ſuo dubitare cœpit, ut dicitur in pluribus Inſtructionibus, in dicto proceſſu regiſtratis, quia non confidebat de *Columnenſibus*, & Imperialibus, quos ob præfatam Treugam videbat viribus auctos in Regno, cum non eſſet eis amplius neceſſarium cum Gallis pugnare in Regione Pedemontium, volensque rei ſuæ providere, inprimis Statum *Paliani*, ex cujus partibus naſci poterat offenſio, conceſſit ſuo confidato & nepoti, & ad hoc ut illos populos tenere poſſet in fide, fortificare fecit *Palianum*, & his

Digitized by Google

& his non contentus, miſit Carrafam hac de re ad Chriſtianiſſimum Regem, ut confirmaret Ligam, & non permitteret ipſum & ipſius Statum ab Imperialibus opprimi. Et quia Liga non erat hucusque publicata, ne videretur partialis & majorem de ſe ſuſpicionem dare, miſit etiam Reverendiſſimum *de Piſa* ad prædictos *Carolum V.* & Regem *Philippum*, ejus filium, cum publicis Inſtructionibus ad tractandam pacem inter illas Majeſtates, quam ſi concludere non potuiſſet, & ſic per iſtum modum res ſuas aſſecurare, eſt veriſimile, quod, ne remaneret ſolus ſine auxilio, & ne de facili poſſet opprimi a prædictis Imperialibus, quod *Carrafæ* dederit in commiſſis, ut confirmaret prædictam Ligam, & procuraret, quod in caſu offenſionis ex parte Imperialium, & invaſionis Status Eccleſiæ, Rex Gallus ſibi non deficeret, & ad dividendum vires dictorum Imperialium, & divertendum bellum a Statu Eccleſiæ, etiam & ipſe Rex Gallus movere deberet bellum in partibus Pedemontium, & rumpere Treugam; & quod hæc fuerit Papæ intentio, apparet in Memoriali ſecreto, in ſcripturis Carraſæ reperto in Proceſſu exiſtente, ſcripto manu *Joh. della Caſa*, Secretarii tunc Pontificis, qui illum non ſcripſiſſet, niſi eſſet certificatus de mente Pontificis, & quod præfatæ Inſtructiones ſecretæ circa rupturam Treugæ & bellum ex voluntate Pontificis proceſſerit, apparet in alio Memoriali, Annibali *Ducellajo* facto, per dictum Carrafam in Gallia, & dato eidem Annibali fol. - - in quo principio dicit:

farrai intendere, a S. Santetà,

& ponuntur omnes reſolutiones, concernentes bellum, & rupturam Treugæ, factas inter ipſum & Regem Chriſtianiſſimum; & in eodem memoriali dicitur:

Il Re all' Inſtruttioni publiche riſponde publicamente,

adeo quod videtur expreſſe firmare habuiſſe & publicas & ſecretas inſtructiones, quarum reſolutiones non mandaſſet per me-

dium dicti *Ducellai* dicto Pontifici denunciari, & notificari, niſi omnia tractaſſet de ſcientia & voluntate Pontificis; nec eſt veriſimile, quod Carrafa voluerit tractare inſcio Pontifice ea, quæ de ſui natura in illius executione & perfectione occultari non poſſunt, prout eſt ruptura Treugæ & belli. Conjecturatur etiam, quod talis fuerit mens & voluntas Pontificis, quia, quando miſit præfatos legatos, non depoſuit arma, quæ erant in confinibus Regni, imo *Palianum* fortificare fecit, ex qua fortificatione major ſuſpicio orta & data fuit Imperialibus invaſionis Regni. Nec etiam Ligam contra prædictas Catholicas Majeſtates contractam revocavit, imo in ea ſemper duravit & perſtitit.

Sed eſto millies, quod a principio Carrafa habuiſſet in commiſſis, ut tractaret pacem, & non bellum, adhuc dicimus ipſum non deliquiſſe, nam conſtat in proceſſu *fol. 407.* ab Urbe ſibi in Gallia ſcriptum fuiſſe, quod Dominus *Marcus Antonius Columna* faciebat expeditiones belli:

& che voleva far da dovero,

& quod propterea Papa faciebat etiam & ipſe expeditiones pro ſua, & ſuæ urbis ſecuritate & defenſione. Et *Reverendiſſimus de Piſa* deponit, rupturam belli fuiſſe cauſatam in Urbe in abſentia Carrafæ *fol. 464.* & quod ipſe a ſua Legatione fuit revocatus de Ordine Sanctiſſimi Papæ, propter detectos tractatus *Garcilaſſi*, & illius carcerationem, & apparent multæ literæ de Ordine Papæ ſibi ſcriptæ, ut procuraret rupturam Treugæ, & quod moveretur bellum, per Regem Gallum contra Imperiales, & quod invocaret Regem, ut haberet in ejus auxilio & ſervitio in dicto bello gerendo Claſſem Turcarum, quas literas Dux *Paliani*, qui tunc nomine Papæ ſcribebat *fol. 148.* deponit fuiſſe ſcriptas per Secretarios Papæ, & de illius commiſſione & ordine, quæ literæ & ordinationes tanquam ultimo loco ſibi datæ, debebant per eum obſervari, & ipſum penitus innocentem

tem

Digitized by Google

tem reddunt & excuſant a procuratione belli & invocatione Claſſis Turcarum tanto magis, *quia pro defenſione Status licet fideli Principi habere in ſervitio infideles, prout* clariſſime in jure demonſtrabitur & probabitur publice, *Paulum IV.* hæc dixiſſe, & quod volebat vindicare ſe de inimicis ſuis cum inimicis ſuis. Imo ex depoſitione *Reverendiſſimi Domini Fantucii* apparet, Carrafam ſemper etiam, quando erat in Gallia, deſideraſſe pacem.

Et licet ex prædictis appareat de innocentia *Carrafæ* propter ordines prædictos, ſibi datos in Gallia, attamen ſi ipſos non habuiſſet, dicimus, eandem rem illicitam non tractaſſe; conſtat enim ex reſponſione Regis Gallorum, & concluſionibus & reſolutionibus, inter ipſum & *Carrafam* factis, & in proceſſu regiſtratis, & ex literis *Carrafæ*, ex Gallia ſcriptis ſub *dato 17. Julii 1556. fol. 1506.* quod Papa pro tunc debebat ſtare in terminis fine defenſionis, & quod Rex Gallorum moveret bellum, & rumperet Treugam, in eventum, quod Imperiales invaderent Statum Eccleſiæ, & ſic ipſi per prius Treugam frangerent, & quod per hanc cauſam ſcilicet ruptæ Treugæ ex parte Imperialium Rex Gallus transmiſerit exercitum in Italiam, conſtat ex literis *Brancatii*, regiſtratis fol. 1093. in quibus dicitur, quod Rex Gallorum notificaverat Legato Regis *Philippi* penes eum exiſtenti, ut ſcriberet ſuo Regi, ut faceret quod Dux *Albæ* deberet ſe retrahere ab invaſione Status Eccleſiæ, & reſtituere occupata, & quod poſtmodum loqueretur, ut ſe interponeret cum Papa de pace; & poſt dicit, quod Rex Gallorum dixit, etiam in ſuo Conſilio, quod cognoſcebat Treugam eſſe ruptam ex parte Ducis *Albæ*, & quod propterea volebat etiam ipſe rumpere & facere bellum, & transmittere exercitum in ſubſidium Eccleſiæ, & quod ex defectu Imperialium Rex Gallus rupit Treugam, & miſit exercitum propter defenſionem Status in monte Alcino, & non propter Ligam prædictam, quæ nullum fuit ſortita effectum, apparet ex diſcurſu deſuper impreſſo Romæ apud *Antonium Bladum 1557.* adeo, quod Carrafa con-

cluſit rem licitam, & juſtam, & propterea non poteſt conſiderari in aliquo deliquiſſe.

Non obſtant ex adverſo per fiſcum allegata; nam conſideratis præcedentibus & ſubſequentibus verbis dictarum ſcripturarum, per eum productarum, & ut ipſemet Carrafa bene declarat in ſuis Conſtitutis illa verba:

per mia opera, per mia colpa, per mio mezo,

ſunt verba exprobratoria ſervitiorum erga Regem, ad hoc, ut demonſtraret illum eſſe ſibi obligatum, ut in tanta neceſſitate Papam protegeret, & Eccleſiæ ſuccurreret; & ad hunc finem omnia illa dicta tendunt, & quam operam ipſe præſtiterit, jam ſuperius eſt declaratum, quod fuerat licita & honeſta ad finem aſſecurationis Status eccleſiaſtici, & aſſertiones ad alium finem factæ ſibi non præjudicant. Et ulterius objectis per Fiſcum dicimus, prædicta verba continere quasdam aſſertiones, & confeſſiones extrajudiciales, jam per *Carrafam* revocatas, tanquam erroneas, & ad alium finem prolatas, adeo, quod ex eis nulla poteſt capi probatio, vel conjectura contra Carrafam, cum de contrario ejus quod dicitur in dictis literis, & Inſtructionibus conſtat per verba geſta, & ſcripturas etiam manu propria ipſius Papæ, vel de ejus mandato ſignatas.

Ex alio etiam præfatæ aſſertæ confeſſiones extrajudiciales nullum faciunt indicium contra Carrafam; quia nugæ generales nullum factum particulare continentes, ex quo de fraude Carrafæ conſtet, & ex juris diſpoſitione, etiamſi fuiſſent factæ in judicio, ſibi non nocerent, & non docto de errore, nam ſi quis vel confeſſus fuerit ſe commiſiſſe homicidium, vel furtum, vel proditionem, niſi venerit ad particularia, & illorum circumſtantias, deſignando loca, tempora, perſonas, & facta, & illorum circumſtantias præfatæ confeſſiones ei non nocent, prout in jure demonſtrabitur.

Nec etiam obſtat quoddam folium, quo dicitur:

accon-

Digitized by Google

acconcia permoſtrare al Papa per ordine del Cardinal Carraf, regiſtrat. fol. 977.

Nam ut eſt videre, in errore præfatarum literarum nihil eſt immutatum in ſubſtantialibus, nec poteſt dici, quod propter illas bellum Papæ perſuadebatur, ex quo iſtæ literæ fuerunt ſcriptæ ab *Antenore*, ut ex ſcriptura illarum apparet, per plures menſes poſt motum bellum, & occupatum Statum eccleſiaſticum, a Duce *Albæ*: & poſſet etiam eſſe, quod fuerit error, nec conſtat, quod illa verba fuerunt ſubſcripta de voluntate Carrafæ, & commiſſione, nec probatur, quod illæ literæ fuiſſent oſtenſæ Pontifici, & illa verba non concludunt, quia dicunt

per moſtrarla al Papa,

& non dicunt, quod fuerunt demonſtratæ Papæ, & multa ſunt in intentione, quæ poſtea non ponuntur in executione, nec eſt bonum argumentum: Voluit demonſtrare, ergo oſtendit Papæ.

Quibus omnibus bene conſideratis, non obſtant literæ ſcriptæ ad præfatos Nuncios per Carrafam, nam illæ ſcribebantur ad conſervandam reputationem Pontificis circa Religionem, & ne cum ſcandalo Populi Chriſtiani videretur tractare bella, & etiam, quia ſi per Imperiales non fuiſſet rupta Treuga, & invaſus Status eccleſiaſticus, utique procuraſſet concludere pacem, & Rex Gallus non tranſmiſiſſet exercitum; & debemus attendere rei veritatem, & ſubſtantiam negotii, de qua veritate *Carrafæ* eſt credendum, quia inter ipſum & Pontificem, non opus erat Teſtibus & Notario, & negotia ſtatus ſecreto tractantur, prout bene ſciunt, qui illa quotidie tractant.

Nec etiam obſtat illa Capitulatio regiſtrata in *fol. 9095. & 9096.* circa traditionem fortalitiorum in poſſe Gallorum, pro ſecuritate exercitus; nam ut apparet in literis ejuſdem

 Car-

Carrafæ *fol. 9088.* & per alias directas a *Monſ. di Sancto Fermo,* conſtat contenta in dicta Capitulatione fuiſſe deſiderata & petita Domino *Davanzone,* ſed non acceptata, imo repulſa & rejecta per Carrafam, & dicta Capitula per eum non fuerunt firmata, neque concluſa, & hæc omnia tractabantur cum ſcientia Papæ, imo *Carrafa* majori diligentia præfatam petitionem uſus fuit in cuſtodiendis ipſis fortalitiis, & in illorum cuſtodia poſuit *Vaſallos & fideles eccleſiæ,* & non Gallos, prout experientia demonſtravit, & notorium eſt, omnia fuiſſe fideliter cuſtodita & conſervata futuro ſucceſſori, & ſic de bono opere non deberet lapidari.

Et ad illud, quod dicitur, procuravit, ut Rex *Philippus* ex Amico inimicus fieret Papæ; dicimus quod eſt contrarium in jure, & in facto; nam de jure hoc procederet, quando procuraſſet & tractaſſet cum Rege *Philippo,* ut ex Amico inimicus fieret, non autem cum Papa; & in facto eſt contrarium; nam ſi vera eſſent prætenſa per fiſcum, potius cenſeretur operaſſe, ut Papa ex Amico ſit factus inimicus Regis *Philippi,* ut apparet ex tenore Capitulorum Ligæ prædictæ.

Et hæc ſunt, quæ breviter circa factum *Ligæ, Treugæ, & belli* juſtificant actiones Carrafæ fideles, & honoratas, erga S. R. E. & ſuum Principem, nec video, in quo poſſit circa prædicta negotia argui de peccato.

9. Fiſcus non contentus inquirere contra Carrafam de bello, quod, ut ipſe dicit, notuit omnibus, inſurgit etiam ſibi ipſi contrarius, & inquirit contra eum de *pace* inter dictum *Carrafam, & Ducem Albæ* facta, ob quam debet & commendari, & remunerari, cum ex ea tot boni fructus pervenerint, quos per unum diem recenſere non poſſem.

Super quo facto prætendit feciſſe quandam Capitulationem ſecretam cum *Duce Albæ,* regiſtratam *fol. 1506.* in qua in effectu concludit *Palianum,* quod per Capitulationem ſecre-

cre-

Digitized by Google

cretam exiſtentem *fol. 1516.* poni debebat in poſſe confidentis, cum toto ſtatu ſuo, & debere cedi per Ducem, cui Rex Catholicus mandaverit, dummodo non fuerit contumax, & rebellis eccleſiæ, & illud detinuerit, habita recompenſa ad arbitrium *Illuſtriſſimæ Reipublicæ Venetæ,* in caſu diſcordiæ in ſex menſes, & in eventum non datæ recompenſæ reſtitui debere eidem Duci *Paliani Smantellatum;* & ſub prætextu, quod dicta Capitulatio ſecreta non fuerat poſtmodum Papæ notificata, fiſcus occupat membranas, & dilatat fimbrias, & dicit eſſe *crimen læſæ Majeſtatis,* & ad probandum, quod Papæ non fuerit notificata, multa adducit, quæ in effectu non concludunt prædictam, quæ cum non coarctetur loco & tempore, de ſui natura eſt improbabilis.

Sed his non obſtantibus, huc uſque dicimus, Carrafam in hoc, ſicut & in aliis, eſſe innocentiſſimum, præfatamque Capitulationem ſecretam & potuiſſe, & debuiſſe facere, & poſt factam dato, quod illam Papæ non notificaverit, aut notificaſſet, probare non poterit, nullum per hoc delictum commiſiſſe.

Quod autem hoc potuerit facere, probatur ultra auctoritates ſuas generales, per particulare Breve ad concludendam dictam Pacem, a Sanctitate ſua ſibi conceſſum, ſub Dato *Romæ die VIII. Septembr. 1557.* per quod pro concludenda dicta Pace datur ampla & libera facultas faciendi quæcunque capitula cum conditionibus ſibi bene viſis; Et quia optime mentem Sereniſſimi Pontificis noverat, quod poſſet circa negocium prædictum facere omnia, quæ ipſemet, ſi præſens eſſet, facere poſſit, quæ libera & ampla poteſtas ultra Breve prædictum probatur ex diſpoſitione Domini *Patriarchæ Hieroſolymitani:* tunc Secretarii ſummi Pontificis, regiſtrata uſque ad *fol. 1261.* ubi inter cætera dicit, quod miſſus in Civitate a Carrafa, in Civitate *Præneſtina* commoranti ad Paulum IIII. eidem nar-

narravit difficultatem Pacis, & quod opus erat in *Paliano* ponere confidentem; quo audito ſua Sanctitas:

> *mi diſſe va dal Cardinale che lui ſa l' animo mio, che faccia il meglio che può.*

Habuit etiam Carrafa ad faciendum & concludendum contenta in dicta Capitulatione ſecreta ſpecialiſſimum mandatum, prout conſtat ex depoſitione Illuſtriſſimi *Vicellii*, conjuncta cum Inſtructionibus & depoſitionibus Domini Epiſcopi *Ceſenenſis*, nomine Sanctiſſimi ad dictum Cardinalem Carrafam ultimo loco miſſi, pro reſolutione & concluſione Pacis.

Videns enim Carrafa, quod Dux *Albæ*, ſine præfata Capitulatione pacem concludere volebat, non ad recipiendum aliquod aliud mandatum a Pontifice,quia illud, quod habebat, erat ſufficientiſſimum, ſed quia tractabatur de particulari intereſſe Ducis *Paliani*, voluit etiam ab eo perſcrutari ejus voluntatem, licet hoc etiam ſibi non eſſet neceſſarium, quia ipſe nomine Principis pro bono Pacis, etiam non data recompenſa, potuerat jus privatorum tollere, & bona ſubditorum concedere, ut notiſſimi juris eſt. Illuſtriſſimus itaque *Vicellius* allocutus eſt Ducem in Eccleſia *ſanctæ Crucis Hieruſalem*, & omnia contenta in dicta Capitulatione nomine Carrafæ expoſuit, prout ambo teſtantur, & deponunt, qui Dux licet ſibi durum videretur Statum *Paliani* cedere; & propterea reſponderit *Vicellio*, quod nullo pacto conſentire volebat, attamen poſtmodum communicando omnia hæc ſuæ Sanctitati, conſiderando tam Sanctitas ſua, quam ipſe Dux *Paliani* periculum in quo erant, ſi pacem non concludebant; Dux enim *Ghiſæ* omnimodo cum ſuo exercitu diſcedere volebat, & ire ad ſuccurrendum Regi Gallorum, cujus Exercitus ruptus fuſusque fuerat a Rege Philippo, apud *S. Quintinum*, determinaverunt transmittere Dominum *Epiſcopum Ceſenatenſes*, ad dicendum

&

& reſolvendum Cardinali Carrafæ, ut non obſtante quacunque illicita conditione, per Ducem *Albæ* propoſita, vel proponenda, pacem firmaret, & concluderet.

Præmiſſa omnia probantur ex diſpoſitione Epiſcopi Ceſenatenſis, & ex literis, & ex Inſtructionibus ſibi nomine ſuæ Sanctitatis datis *fol. 641. & ſeqq.* in quibus inter cætera ſcribebat Dux Cardinali, quod, poſtquam intellexerat a *Vitellio* difficultates impedientes concluſionem pacis, ivit ad Pontificem, & dixit hæc verba:

> *Iddio m' inſpirò di dover dire il fatto coſi nudamente come ſtà, & ho trovato diſpoſitiſſimo queſto ſanto Vecchio alla Pace, M. Odoardo vi dirà quanto da ſua Beatitudine mi è ſtato ordinato;*

Et in Inſtructionibus datis dicto Domino Epiſcopo, dicit expoſuiſſe Pontifici omnes difficultates, ſibi ab Illuſtriſſimo *Vitellio* relatas, circa pacis concluſionem, & dicit hæc verba:

> *Il Papa ha preſo ogni coſa in bene;*

& poſt transmiſſionem dicti Epiſcopi ad Civitatem *Præneſtinam*, ſub die X. Septembris, per litteras regiſtrat. *fol. 648.* Idem Dux ſcribit Carrafæ de diſceſſu exercitus Gallorum, & eidem exponit extremam neceſſitatem concludendi pacem, dicens hæc verba:

> *Et il Papa dice il medeſimo, & rimette ogni coſa alla prudenza di V. S. Illuſtriſſima.*

Et ſub die 12. Septembris, per alias ſuas regiſtraturas *fol. 649.* ſollicitat concluſionem pacis, narrando neceſſitatem illius concludendæ celeriter, ponendo infra ſcripta verba:

> *Il Duca di Gliſa ſi è reſoluto partire, & tutte le catene del Mondo non baſtarebbono a tenerlo;*

confirmatur etiam per depoſitionem Ducis *fol. 619.* in quo dicit,

 quod

quod, poſtquam audiverat pacis neceſſitatem, & diſceſſum Gallorum:

> *S*^ta^ *Sta ſtette un poco penſando, & poi mi diſſe, vorrei che mandaſſi uno ſubito a tuo fratello ad aviſarlo di quanto havemo ragionato, & dirgli in ogni modo che concluda la pace d'ogni modo che à lui & a queſti Cardinali che ſono ſeco pare, & ſe foſſe ben biſogno darla meta dello ſtato Eccleſiaſtico io ne le do auttorità & faccia il meglio che ſi puo.*

Ex quibus etiam lippis omnibus & tonſoribus patet, Carrafam habuiſſe pleniſſimam autoritatem, & ſpecialiſſima mandata a ſummo Pontifice ad faciendam, & concludendam prædictam Capitulationem ſecretam. Nam ex quo Papa audiverat, quod nulla alia remanebat difficultas pro concludenda pace, niſi ceſſio ſtatus *Paliani,* cum recompenſa, reſpondendo poſtmodum, & iteratis vicibus mandando, quod omnimodo, non obſtante quacunque difficultate, concluderet pacem, non poteſt negari, quin dederit ſpecialiſſimum mandatum Carrafæ ad concludendam pacem, etiam cum dicta conditione, & promiſſione ceſſionis dicti ſtatus cum recompenſa, quia generalitas, quæ non poteſt verificari niſi in uno particulari, habetur pro ſpecialitate, ut in Jure demonſtrabitur, licet hæc omnia dicantur ad abundantiorem cautelam, nam virtute primi mandati omnia potuerat facere, & in ſpecie ceſſionem, & reſtitutionem dicti ſtatus *Paliani,* ex cujus cauſa principaliter ex parte Imperiali fuit motum bellum; ut eſt notorium; non poteſt ergo imaginari delictum, faciendo ea quæ auctoritate Principis fecit, tanto magis, quia utiliter Papæ, & eccleſiæ negotium geſſit; recuperavit etiam pro Eccleſia omnem Povinciam *Campaniæ,* & Maritimæ per dictum Ducem *Albæ* occupatam, & diſcedente exercitu Gallorum, prout jam diſcedere inceperat, *Palianum,* quod undique erat oppugnatum, de neceſſitate per vim brevi tempore erat perventurum ad manus, & poſſe dicti

Ducis

Ducis *Albæ,* qui de facili cum illo exercitu victorioſo potuiſſet continuare victoriam, & occupare totum ſtatum Eccleſiaſticum, & utilitatem Eccleſiæ in hoc negocio demonſtravit exitus, cum biduo poſt factam pacem tota Urbs fuit aquis inundata, adeo quod nec muri poterant defenſari, nec alter alteri auxilium præbere, & ſine aliqua difficultate Dux *Albæ* potuiſſet illam capere, & oppugnare, & conquirere; omnis itaque utilitas prædictæ pacis fuit Eccleſiæ, & per *Carrafam* fuit propoſita utilitati fratris ſui, adeo, quod de hoc ſancto opere deberet & laudari, & remunerari.

Præſuppoſita itaque prædicta auctoritate & facultate, ac utilitate in negotio geſto, nulli dubium eſt, quod Papa efficaciter obligatus erat, obſervare nomine ſuo promiſſa, & conventa per *Carrafam* cum Duce *Albæ*, & ſtante prædicta neceſſitate, dato, quod ſibi prædictam Capitulationem non notificaſſet, nec damnum propterea evenit Eccleſiæ, nec utilitatem aliquam perdidit, & ubi non poteſt conſiderari aliquod præjudicium, nec reſpectu damni emergentis, nec reſpectu lucri ceſſantis, clarum eſt, nullum poſſe conſiderari delictum in illo facto, prout in jure clariſſimum eſt. Licet in rei veritate per *Carrafam* omnia fuerunt communicata Pontifici, quod conjecturatur ex multis; *Primo*, quia in Capitulatione publica, de qua tamquam notoriisſima, non poteſt allegari ignorantia, diſponebatur, ut in *Paliano* poneretur confidens, qui juraret & Papæ & Regi fidelitatem, & de eo diſponeret juxta conventa per *Carrafam* & Ducem *Albæ*, & in nulla parte dictæ Capitulationis de *Paliano* fiebat mentio, & ſic de neceſſitate referebat ſe ad Capitulationem ſecretam, quæ videbatur pars iſtius capitulationis publicæ, quia relatum ſemper eſt in referente. Colligitur etiam ex alio, quod Papæ omnia fuerunt communicata, nam de *menſe Julii* MDLVIII. poſt reditum Carrafæ a Curia Regis *Philippi*, Dux & Dominus *Ferdinandus de Sangronia* manifeſtaverunt Pontifici, ut ipſi depo-

Kk kk 2 nunt,

nunt, & Papa non ſe alteravit, imo benigne reſpondit, & per plures menſes in eisdem favoribus & adminiſtratione totius ſtatus Eccleſiaſtici, prout per prius Carraſa retinuit, nec eſt veriſimile, quod ſi ſine voluntate ſua negotium prædictum tantæ importantiæ tractaſſet, contra eum ſignum aliquod alterationis non demonſtraſſet.

10. Fiſcus prætendit, quod *Carraſa* commiſit crimen læſæ Majeſtatis, quia ipſe & fratres cum a *Paulo IIII.* ab urbe fuiſſent expulſi, transmiſerunt *Paulum Filonardum* ad Regem *Philippum*, ut rogaret eum, quatenus eos reciperet in poteſtate, & protectione, & intercederet pro eis ad placandum Pontificem, qui ſine juſta cauſa ad falſas ſuggeſtiones æmulorum contra eos iratum, & quia recompenſa *Paliani* per verba tantum Duci fuerat oblata, ſupplicabatur ſuæ Majeſtati, ut illam ſibi realiter concederet, prout promiſerat in dicta Capitulatione offerendo ſe, Dux etiam promiſſa ex parte ſua obſervare, videlicet cedere ſtatum *Paliani,* prout erat conventum in dicta Capitulatione ſecreta, per eundem Ducem jam ratificata.

Et ſuper hoc fiſcus regiſtrat Inſtructiones *Filonardi,* examinari fecit Teſtes, & alia produxit ad probandum, in ſumma, quod Carraſa procuravit, & tractavit, ut ſtatus *Paliani* cederet prædicto Regi pro recompenſa obtinenda extra ſtatum Eccleſiæ.

Quibus tamen non obſtantibus, hucusque dicimus etiam in hoc Carraſam non deliquiſſe, nec aliquem minimum errorem feciſſe; nam ultra quod in prædictis Inſtructionibus fol. 1007. dicitur:

per che ſi trovi modo che non caſchiamo in maggior disgratia del Papa,

& paulo inferius:

che ſi trovi modo, che à noi non noccia,

ex

ex quibus verbis colligitur, quod, quando volebat effectuare dictam ceſſionem, intendebant facere cum bona gratia ſuæ Sanctitatis, & cum modo eis non nocivo, qui erat aſſenſus Papæ; & paulo inferius etiam dicunt:

Noi faremo quello ch' e in noſtra facoltà,

adeo, quod nihil de jure Dominii directi, quod non erat in facultate eorum, nec poterant, nec intendebant detrahere ac diſponere.

Dicimus etiam, jure licito potuiſſe prædicta tractare, & concludere, quod clare demonſtrabitur, quia Dux virtute prædictæ Capitulationis de mandato & auctoritate Pontificis factæ, & per eum ratificatæ tenebatur, & obligatus erat ſervare contenta in dicta Capitulatione, & ſic cedere ſtatum *Paliani*, cui Dux mandabat, nec opus erat alio aſſenſu Pontificis, quia ſufficit in alienatione feudi aſſenſus Domini directi, ſive præcedat, ſive ſubſequatur, tanto magis, quia *Palianum* eſt feudum francum & liberum; ſic ergo Dux, qui erat principalis, cedendo ſtatum Paliani pro recompenſa, non delinquebat, ſed faciebat illud ad quod de jure erat obligatus; inauditum eſt, quod Carrafa per hoc dicatur deliquiſſe, qui illud forſitan conſuluit, perſuaſit, & procuravit, maxime, quia omnia tractabantur cum catholico & piiſſimo Rege *Philippo*, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ obedientiſſimo filio. Et quid aliud procuravit *Filonardus* in Curia prædicti Regis *Philippi*, niſi illud idem quod Dominus *Fabritius de Sangro*, nomine Sereniſſimi D. N. *Pii* Papæ IV. & pro illius clementia & benignitate tractavit & procuravit, & tanto magis de diſpoſitione *Paliani* Papa etiam, ſi nunc viveret, non poſſet conqueri, quia requiſitus a Domino *Joanne Bernardino Carbono*, qui Palianum in confidentia tenebat, ut contribueret in ſtipendiis militum cuſtodiæ dicti loci juxta conventa, & promiſſa per eum, illud habuit pro derelicto,

Nec obſtat, quod inter ſcripturas ſuas fuit reperta Capitulatio, quam ALBERTUS, *Marchio de Brandenburgh*, volebat facere cum Papa & Romana Eccleſia, quia Reverendiſſimus de Auguſta deponit etiam, & per plures probabitur, quod Colonellus *Federicus* a D. Alberto miſſus, cum Papa fuit locutus, & cum eo negociaverit, & Capitulatio prædicta per Carrafam non fuit acceptata nec concluſa, nec firmata, imo ut ipſe Auguſtus deponit, poſtquam Papæ & Carrafæ notificavit, conditionem & qualitatem dicti Federici ſubito ipſum ejecit ab urbe.

Ultimo inquiritur de crimine *Peculatus*, & quod fraudavit Cameram in ſtipendiis militum, & ſuper hoc fiſcus regiſtrare fecit infinita mandata Capitaneorum militum. Super quo breviter dicimus, non poſſe hoc modo procedi, ſed offerimus computa prædicta ſolidare in Camera, & omnibus oſtendere, nullam fraudem fuiſſe commiſſam, ex quo ſemel fuerunt ſolidata, & declarata, & ſuper eis lata ſententia, quæ fecit tranſitum in rem judicatam, ſuper dictis computis amplius moleſtari non deberet.

Nec obſtant depoſitiones multorum Illuſtriſſimorum *Cardinalium*, & aliorum, deponentium de verbis Pontificis irati contra ſuos nepotes poſt illorum exilium, ſive violentam expulſionem, quia ultra quod notorie conſtat, illa ab irato Principe fuiſſe dicta, & facta, injuſte levato velo de facto, & ad ſuggeſtionem ſuorum æmulorum, etiam contra mulieres & infantes, qui in nihilo peccaverant, & *Carrafa* per medium Illuſtriſſimorum *Sabelli* & *Alexandrini*, & aliorum S. R. E. Cardinalium ſe ponere in carcere & ſui rationem reddere volebat, nec potuit hoc obtinere.

Dicimus prædicta pro nobis facere. Nam ex quo in Principe omnis pœna eſt arbitraria, & Papa Carrafæ injunxit exilium pro omnibus prætenſis, omiſſis, & commiſſis tempore

pore

Digitized by Google

pore prædicti Pontificatus, Fiſcus Sereniſſimi D. N. ejuſdem Papæ ſucceſſoris non poteſt iterato de eisdem confeſſis criminibus inquirere, cum Deus non judicet bis in id ipſum, & peccata ſemel punita, & remiſſa, amplius in ultionem redire non patitur.

Nec eſt omittendum, quod contra dictum Cardinalem nulliter fuit proceſſum, quia ante capturam nulla præceſſit diffamatio, nec aliquod minimum quidem indicium, nec erat de ſua fuga timendum, cum omnis ejus ſtatus in obedientia S. R. E. conſiſtat, nec de prædictis prætenſis delictis erat inquirendum, neque loquendum ſtante ipſius allegata ſæpius gratia, & Privilegio & Indulto per Papam *Pium*, quo conceditur, *contra perſonas Cardinalium non poſſe procedi niſi in criminibus hæreſis, læſæ Majeſtatis in prædicto cap. & ſchiſmatis*, & ſic in iſtis caſibus certa forma ſervata, per quam gratiam & pactum de non procedendo reſpectu præteritorum criminum omnia, ſi qua erant, delicta intelliguntur extincta, nec poſtmodum per quodcunque reſcriptum Principis poſſunt reviviſci, prout in Jure clare demonſtrabitur, tanto magis, quia ſimiles gratias reſpectu præteritorum criminum Papa Conclaviſtis conceſſit, & obſervavit, quanto magis decens eſt illas obſervare in perſonis Cardinalium, quæ tanquam pars corporis Papæ, & membra principalia S.R.E. debent majori prærogativa frui, unde ad condemnandum *Diaconum* Cardinalem *requiritur numerus XXVI. Teſtium, qui debent eſſe omni exceptione majores.* Et quia nullus adeſt teſtis, qui aliquid contra eum deponit, niſi patiatur multos defectus, & qui non poſſit ex pluribus cauſis legitimis reprobari, ſtante maxime tanta rigoroſa diligentia capiendi proprias ſcripturas a domo rei, & pene omnes ejus familiares carcerando, & aliquos torquendo, & cum tortura terrendo. Et quia in tam rigoroſa inquiſitione huc usque nullus apparet accuſator, aut qui aliquam querimoniam con-

tra

Digitized by Google

tra ipſum Cardinalem porrexerit, humiliter ſupplicatur *Sereniſſimo & Clementiſſimo Domino noſtro* PIO Papæ IV. ut eundem Cardinalem ſuum humillimum ſervum abſolvat, & a carceribus relaxari mandet, quod juſtum piumque erit.

Proteſtamur autem, quod reſtitutis nobis ſcripturis, & facta nobis copia videri proceſſus mentionatos indiciorum Carrafæ, quos hucusque habere & videre non potuimus, luce clarius demonſtrabimus ejus innocentiam.

Nec copia Proceſſus formati contra Cardinalem Carrafam, reducta in ſumma cum imputationibus Fiſci, earumque reprobationibus perfecta fuit, die XX. Novembris 1560.

Memoria, quod idem Cardinalis Carrafa cum Cardinale, Neapolitano ejus ex fratre nepote, & Dux *Paliani* carcerati fuerunt omnes in Arce Sancti Angeli die eodem.

VI.
Memoriale
CARDINALIS BELLARMINI
ad
CLEMENTEM OCTAVUM
Pontificem maximum,
continens
Res, quæ Sanctitas ſua uti bonus Paſtor reformare debebat, ſi absque ſcrupulo gregem ſuum gubernare volebat,
cum
Reſponſionibus ipſiusmet Pontificis.

Summus Pontifex triplicem gerit in Eccleſia Dei perſonam, eſt enim Paſtor, eſt Rector Eccleſiæ, unicusque Epiſco-

 pus

pus Urbis Romæ, proprius & princeps Eccleſiæ Siecionii, ſed inter omnia ejus officia primum locum tenet ſollicitudo omnium eccleſiarum. Hoc enim eſt primum ſingulare maximum. Primum quidem Apoſtolus Petrus multo ante factus eſt Paſtor totius Dominici gregis, quam Epiſcopus Antiochenus vel Romanus. Singulare autem, quoniam multi ſunt alii Epiſcopi nobiliſſimarum civitatum, multi quoque Principes temporales. Sed Pontifex orbis Terrarum Vicarius generalis, Paſtor univerſalis Eccleſiæ ſolus ipſe eſt; Denique maximum, quia Epiſcopus Romæ Urbis ſuos habet definitos limites, eosque ſatis anguſtos, ut etiam Principatus Eccleſiæ temporalis. At ſummus Pontificatus nullos habet in orbe terrarum limites, niſi quos ipſe terrarum orbis habet.

Porro hoc officium tam antiquum, tam magnum, tam ſingulare, tam proprium ſibi, tam neceſſarium Eccleſiæ, facile poterit ſummus Pontifex implere, ſi Eccleſiis ſingulis bonos Epiſcopos præficiat, eosque ſuo muneri ſatisfacere curet, & ſi opus ſit, cogat; ſiquidem boni Epiſcopi bonos eligent Parochos, bonos Concionatores, bonos confeſſarios, totaque animarum ſalus, niſi per ipſos ſteterit, in tuto erit. At ſi forte negligentia Epiſcoporum ſeu Parochorum aliquæ pereant, ſanguis earum de manu Paſtorum particularium requiretur. Summus autem Pontifex animam ſuam liberabit, quippe qui fecit, quod ſuum erat, ne perirent; Sin autem ſummus ipſe Paſtor eccleſiis particularibus Epiſcopos dederit vel minus idoneos, vel qui munere ſuo fungantur, operam non dederit, tum ſane animarum illarum ſanguis de manu Pontificis requiretur.

In Concilio Tridentino Seſſ. 4. C. 1.

Poſtremo eadem ſancta Synodus, tot graviſſimis Eccleſiæ incommodis commota, non poteſt non commemorare, nihil magis Eccleſiæ Dei eſſe neceſſarium, quam ut Beatiſ-

Digitized by Google

Beatiſſimus Romanus Pontifex ſollicitudinem, quam univerſæ Eccleſiæ ex muneris ſui officio debet, eam hic potiſſimum impendat, ut lectiſſimos tantum Cardinales ſibi adſciſcat, & bonos maxime ac idoneos Paſtores ſingulis Eccleſiis præficiat, idque eo magis, quod ovium Chriſti ſanguinem, quæ ex malo negligentium & ſui officii immemorum Paſtorum regimine peribunt. Dominus noſter JEſus Chriſtus de manibus ejus requiſiturus.

A. Hæc conſideratio ita vehementer me deterret, ut nullo homini magis compatiar, quam ſummo Pontifici, cui plerique omnes invidere ſolent, quod enim Sanctus Joannes Chryſoſtomus Homil. 3. in Acta Apoſtolorum magno cum animæ ſenſu ſcribit:

Paucos ex Epiſcopis ſalvari propterea, quod difficillimum ſit tot animarum ſibi creditarum bonam rationem reddere.

Multo magis in ſummis Pontificibus locum habere dubitari non poteſt, neque blandiri nos debemus de bona conſcientia, de recta intentione, de ſanctis operibus, cum Apoſtolus Paulus dicat: nihil mihi conſcius ſum, ſed in hoc juſtificatus non ſum. Cum & Apoſtolus Jacobus terreat nos illa formidoloſa ſententia: Quicumque totam legem ſervaverit, & offendat in uno, factus eſt omnium reus. Unum autem in quo facillime peccatur, & difficillimum remedium adhibetur, eſt hoc, de quo agimus. Quare Apoſtolica benignitate deponam in ſinu Potentiſſimi Principis, ſeu potius ad pedes ejus ſcrupulos meos, qui me, ut fatear, quieſcere non ſinunt. Videntur igitur mihi ſex quædam res eſſe, quæ reformatione indigent, nec ſine periculo negliguntur.

B. Prima res eſt diuturna vacatio Eccleſiarum. De qua re exſtat Epiſtola ſancti Leonis ad Anaſtaſium Epiſco-

Digitized by Google

pumTheſſalonicenſ. in qua jubet ſine mora providere Eccleſiis, ne gregi Domini deſit cura Paſtoris. Exſtat etiam Decretum Innocentii III. in Tit. de electione, ubi dicit: ne pro defectu Paſtoris gregem Domini lupus rapax invadat, aut facultatibus ſuis eccleſia viduata grave diſpendium patiatur: Volentes etiam in hoc occurrere periculis animarum, & eccleſiarum indemnitatibus providere: ſtatuimus, ut ultra tres menſes cathedralis Eccleſia vel regularis præſtatio non vacet, Eſtque hoc decretum cum multis aliis maturo conſilio in Synodo generali ampliſſima confectum. Exſtant quoque plurimæ apud Sanct. Gregor. Epiſtolæ, in quibus admonentur ii, ad quos ſpectat electio, quam citiſſime Paſtorem eligere. Et ſi forte neceſſaria fuiſſet aliqua mora, conſueverat vacantem Eccleſiam commendare vicino Epiſcopo, non ut ſit ad fructus hoc tempore percipiendos, ſed ad ſollicitudinem ejus Eccleſiæ interim gerendam. Itaque ſtudebant Sanctiſſimi prudentiſſimique Pontifices, continuo vacantibus Eccleſiis providere, ne rei efficerentur animarum, quas ob defectum Paſtoris perire contingeret. Difficile enim eſſet paucis explicare, quantum detrimenti capiant Eccleſiæ viduatæ, in quæ vitiorum abrupta ſe grex præcipitet dum caret Paſtore, quantum ſylveſcat vinea, dum caret agricola.

C. Secunda res eſt promotio minus utilium Prælatorum. Debet enim prævideri optimam illam eſſe præviſionem, cum ſimul utrumque fieri poteſt, ut perſonæ bene merenti & vacanti Eccleſiæ utile provideatur. Sed prima & maxima ratio habenda eſt Eccleſiæ. Scribit enim Sanct. Gregorius Lib. 6. in Lib. I. Reg. cap. 3. In aliis multis rebus ſalubrem eſſe diſpenſationem. Et ipſe S. Gregorius Lib. 2. R. cap. 65. dicit, ſe ob metum peccandi in electione omnino decreviſſe non ſe admiſcere in electionibus Epiſcoporum. At ut alia nunc prætercam, Concil. Trident. Seſſ. 24. c. I. diſertis verbis affirmat, peccare mortaliter eos omnes

omnes, ad quos quocumque modo ſpectat Epiſcoporum promotio, niſi præficiendos curaverint.

D. Quos digniores & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint, quæ eſt communis Doctorum ſententia. Expavi fateor, cum bis terve in ſacro Conſiſtorio vidi ad Epiſcopatus Cardinalitios promoveri aliquos, qui ob nimiam ſenectutem, vel ob aliam corporis debilitatem, vel ob defectum Epiſcopalium virtutum, tales erant, ut non modo non utiliores, ſed vix utiles, vel apti ad regendas animas judicari poſſent: At conſuetudo id poſtulat, ut antiquioribus Presbyteris Cardinalibus, quicumque illi ſint, Eccleſiæ illæ committantur. Non opinor, ulla conſuetudine unquam effectum eſſe, ut corpora noſtra curanda medicis antiquioribus committamus, ſicut decrepitam ſenectutem (ætatem) vel ob aliam cauſam minus idonei ſint ad curandum, quod ergo facimus ob ſalutem æternam animarum.

E. Omitto, quod hoc tempore plurimi ambiant Epiſcopatus, vel potius non ambiunt, ſed aperte quærunt, & flagitant neſcientes omnino, ut Dominus ait, quid petant. Si enim judicio civilium Legislatorum non eſt dignus ſacerdotio niſi qui ordinatur invitus, quomodo non ſit indignus, qui ultro ſe ingerit.

F. S. Gregor. Lib. 6. in princ. & Sanct. Bernhard. Lib. 4. de Conſid. Cap. 5. qui pro ſe rogat, inquit, jam judicatus eſt, & inter cunctatores & renuentes compello intrare.

G. Tertia res eſt abſentia Paſtorum ab Eccleſiis, quid enim prodeſt idoneum eligi, ſi non reſideat? At ut cætera prætermittam Conc. Trid. Seſſ. 23. c. 1. declarat præcepto divino teneri Paſtores animarum, oves ſuas agnoſcere, verbi divini prædicatione, ſacramentorum adminiſtratione & bonorum omnium operum exemplo paſcere, quæ omnia implere

 non

non poſſunt, qui gregi ſuo non aſſiſtunt, & per ſe notum eſt, & per eandem Seſſion. explicatum. Ex quo Concilio idem quoque Cardinalis colligit: ſi forte Epiſcopi ſint Eccleſiarum ab urbe remotarum, teneri ad reſidentiam perſonalem illis Eccleſiis.

I. Atque hoc eſt præcipuum, in quo vehementer timeo, ne offendantur ii, ad quos pertinet dare operam, ut Epiſcopi reſideant.

L. Video enim in Eccleſiis Italiæ deſolationem tantam, quanta ante multos annos fortaſſe, ut jam neque divini Juris, neque humani reſidentia videatur. Numerantur hodie Cardinales Epiſcopi non reſidentes XI. 1. Genualdus, 2. Florentinus, 3. Veronenſis, 4. Aſculanus, 5. Gallus, 6. Borromeus, 7. Senenſis, 8. Brandinus, 9. Vice-Comes, 10. Tuſcus, 11. Oſſanus.

M. Secundo, plures adhuc numerantur Epiſcopi, qui nuntios Apoſtolicos agunt, qui per multos annos Eccleſias ſuas non viderunt. Tertio nonnulli, relicto miniſterio paſcendi animas ſibi creditas, magiſtratum publicum gerunt, id, qua ratione juſtificetur, ignorare me fateor.

N. Nam Apoſtolus prohibet eos, qui Deo militant, implicari negotiis ſecularibus. Et Greg. Lib. 7. Reg. C. 9. acriter reprehendit Baſilium quendam Epiſcopum, qui veluti unus de laicis in cauſis forenſibus, & prætoriis occupabatur. Olim ex judicibus ſeculi aſſumebantur aliqui ad ſolium Epiſcopale, quod de Ambroſio, Macario, Chryſoſtomo, Gregorio, legimus. Quod vero ab Epiſcopali faſtigio deſcenderint aliqui ad politicum Magiſtratum gerendum, apud veteres, quod ſciamus, non legimus. Nec immerito. Quale enim eſt, ut proprium munus eſt miniſtrare verbo & oratione, & quorum manus ad benedictionem conſecratæ, ii ſatellitibus ſtipati eſſe non poſſunt torquendis & necandis hominibus.

O. Quam

O. Quam multi, relictis ovibus, Romæ vel inutile tempus terunt, vel iis in rebus occupantur, quæ per alios commode fieri poſſent. Fateor quidem aliquos Epiſcopos a reſidentia per obedientiam excuſari. Neque illud inficior, poſſe ſummum Pontificem certis de cauſis ad tempus Epiſcopos aliquos a reſidentia eximere, ſed neſcio an Deo placeat, ut tantus numerus Epiſcoporum tam longo tempore tanto cum animarum detrimento a propriis Eccleſiis abſit? Quos certe ſuo muneri ſatisfacere non poſſe perſpicuum eſt: Nam ſi illi Epiſcopi, qui aſſidue reſident, & totis viribus in curam animarum incumbunt, neque ſuſcipiunt talia tractanda negotia, vix tamen onus regiminis ferunt, & cum ingenti periculo præſunt, ut de iis S. Auguſtinus Lib. de Confeſſ. C. 4. loquitur. Et notum eſt ex Apologetico S. Gregor. Nazian. Dial. 5. S. Chryſoſt. de Sacerdotio, & libro S. Gregorii. Quomodo non falluntur, qui longe a ſuis ovibus abſunt, & alienis multis negotiis implicantur, & tamen muneri ſuo Epiſcopali ſatisfacere confidunt.

P. Quarta res eſt Polygamia ſpiritualis, videlicet cum uni Epiſcopo plures Eccleſiæ committuntur. S. Bernard. in Epiſtola ad Comitem Theobaldum rem totam tribus verbis abſolvit, cum ait: Id non eſſe licitum, niſi diſpenſatione ob magnam Eccleſiæ neceſſitatem. S. Thom. lib. 9. art. 15. ſcribit: Beneficiorum præſertim Curatorum multiplicationem non ſolum contrariari Juri Canon. ſed etiam juri Nat. non quod ita ſit intrinſece mala, ut nullo modo honeſtari poſſit, qualia ſunt adulteria, mendacia, & ſimilia; ſed quod abſolute mala ſit, poſſet tamen ob certas circumſtantias honeſtari, & ob eccleſiæ neceſſitatem, ex quo colligit idem Sanctus Thomas, eum qui diſpenſatione duas habet Eccleſias, non eſſe tutum in conſcientia, niſi cauſa illa adſit Eccleſiæ neceſſitatis, vel ſaltem majoris utilitatis, quam diſpenſatio non tollit, niſi vinculum juris Pontificii. Et hanc S. Thomæ doctrinam

omnes,

omnes Theologi probant. Quare timendum eſt, ne forte non ſint in conſcientia tuti, qui duas Eccleſias habent, unam Cardinalitiam, alteram non Cardinalitiam. Cauſa enim, cur Epiſcopis Cardinalibus duæ permittantur Eccleſiæ, non videtur eſſe neceſſitas, vel utilitas Eccleſiæ, ſed major perſonæ dignitas vel commoditas, quas cauſas S. Thom. omnino repudiat. Neque ſufficienter excuſari videntur ex eo, quod unam Eccleſiam in Diaconiam, alteram in adminiſtrationem habere dicantur, vel quod hanc Polygamiam ſpiritualem uſus a multis annis introducens admittat: Nam ut omittam, quod Epiſcopi Cardinales hodie ſe non adminiſtratores, ſed Epiſcopos utriusque Eccleſiæ dici nolunt. Certe Concilio Trident. a Sede Apoſtolica approbatam diſtinctionem illam omnium aperte committi debere, neque in titulaturam, neque in commendam, neque alio quovis nomine, & Seſſ. 24. Cap. 17. Duo Beneficia præſertim curata ne ipſis quidem Cardinalibus concedit. Uſum autem illum a multis annis introductum eadem Tridentina Synodus abrogavit, ut omittam, quod ea, quæ mala ſunt, niſi certa quædam circumſtantia adſit.

Q. Quinta res eſt facilis translatio Epiſcoporum de una Eccleſia ad alteram, quæ maxime cernitur in ſex Epiſcopatibus Cardinalitiis & in Epiſcopatibus Hiſpaniæ. Translatio enim Epiſcoporum ſecundum Canones atque uſum veteris Eccleſiæ non debet fieri, niſi ob Eccleſiæ neceſſitatem, vel majorem utilitatem, neque enim inſtitutæ ſunt Eccleſiæ propter Epiſcopos, ſed Epiſcopi propter Eccleſias. Nunc autem quotidie translationes fieri videmus ea ſola de cauſa, ut Epiſcopi vel honore vel opibus augeantur, propterea notum eſt ex cap. corpora &c. de Translat. Epiſc. Vinculum matrimonii ſpiritualis eſſe aliquo modo majus, quam vinculum matrimonii corporalis. At propterea non poſſe ſolvi, niſi a Deo, vel a Vicaro Dei, declarante voluntatem Domini ſui. Quis autem credat velle Deum, ut ob ſolum temporale lucrum, vinculum

vinculum ſancti hujus conjugii diſſolvatur, præſertim cum ſine detrimento animarum fieri nequeat, ut experimentum ipſum docet; Atque Epiſcopi eccleſias diligunt, quas brevi deſerere ſperant, ut ad alias commodiores tranſeant. Certe intra paucos menſes miſera Albanenſis eccleſia quater mutavit Epiſcopos. Et eccleſiæ ſex Cardinalitiæ, quæ omnibus aliis dignitate præſtant, cura & diligentia paſtorali omnibus aliis cedunt, præſertim hoc tempore, quo tres illarum ſponſos habent Polygamos, & in alterius ſponſæ ditioris amplexibus occupatos; tres vero reliquæ ſponſos habent ita confectos ætate vel morbis, ut de bona educatione filiorum, ne dicam generatione, omnino deſperent.

R. Sexta res eſt. Epiſcoporum reſignatio ſine legitima cauſa: Nam ſi tam eſt arctum & pene inſolubile vinculum inter Epiſcopum & Eccleſiam, ut Canones docent. Unde fit, ut tam facile vinculum iſtud quotidie ſolvi videamus. Alii retentis fructibus Eccleſiam reſignant, ac ſi quis uxorem repudiat & dotem retineat. Alii divites ex redditibus Eccleſiæ jam effecti, Epiſcopatui renunciant, ut ad majora ſibi viam aperiant. Alii nepotibus ſedem renunciant, & ſpecie renunciationis hæreditate poſſident ſanctuarium Dei. Alii malunt in Romana curia Referendarii eſſe vel Clerici, quam extra curiam Sacerdotes magni. Alii denique mutant aëris inſalubritate. Alii ob proventus exiguos. Alii ob populi proterviam. Sed Deus novit an iſtæ ſint juſtæ cauſæ reſignationis, & an Epiſcopi ejusmodi quærant, quæ ſunt ſua, aut quæ JEſu Chriſti.

Hæcque ſunt Beatiſſime Pater, quæ mihi hoc tempore ſuggerenda Sanct. Veſtræ eſſe videbantur, ut conſcientiam meam hac in parte exonerarem, quæ ſicut a me ſincero animo ſcripta ſunt, ita benigno vultu, ut a Beatitudine Veſtra legantur, cum omni reverentia & demiſſione etiam atque etiam precor.

S. V. Servus humill.

Rob. Cardinalis Bellarminus.

RESPONSUM SUMMI PONTIFICIS.

A.

HOc me quoque terret; ſed cum corda hominum ſoli Deo pateant, nec poſſimus nos niſi homines eligere, duo exempla aliquando Nos conſolantur. Primo, quando Dominus noſter JEſus Chriſtus elegit XII. Apoſtolos prævia pernoctatione in oratione, quod neſcitur an in alia actione fuerit, & nihilominus inter illos electos unus fuit Judas. Aliud exemplum eſt, quod XII. Apoſtoli pleni omnes Spiritu Sancto ſeptem elegerunt Diaconos, inter quos unus fuit Nicolaus, tam inſignis poſtea hæreticus. Quæ exempla pro ſua infinita bonitate putamus Deum omnipotentem pro conſolatione eligentium in Eccleſia reliquiſſe.

B. In hac prima re, ſicce in hoc primo capite fatemur, Nos peccare; ſed plerumque in cauſa eſt difficultas inveniendi perſonas idoneas, & quamvis ſæpe multi proponantur, cum per Nosmet ipſos non ſteterit ſummare informationes, & aliquando experti ſumus illos, quibus hanc cauſam demandavimus, Nos vel decepiſſe, vel ipſos ab aliis deceptos fuiſſe. Denique putavimus memores ſententiæ S. Pauli: Cuique manus non imponas, & ideo differre, ne decipiamur. Nec non recordamur, tempore etiam Magni Gregorii eccleſias, quæ diu vacabant, & hac de cauſa Pontificem ſolitum fuiſſe uni Epiſcopo aliam commendare, ut interim curam illius haberet.

C. Scimus hoc, & quantum in Nobis eſt, ſemper præ oculis habemus providere Eccleſiis, non autem perſonis, niſi quando & Eccleſiæ & perſonæ æque providere putamus.

D. Hæc ſententia recta eſt, ſed hodie, ſi de dignioribus eſt agendum, nunquam providebitur eccleſiis, quia neſcimus modum, quem tenere debemus, ut ſciamus qui dignior ſit.

E. Quoad Epiſcopatus &c. inferius dicemus.

Hoc

Hoc etiam torquet Nos, quia ſi volumus dare Epiſcopatus petentibus, vel iis, qui Nobis ab aliis proponuntur, neſcimus, quomodo poterimus eccleſiæ providere, præſertim eccleſiis non ita magnis, & parvi reditus. Et ſi D. V. ſciret aliquem modum, libenter audiremus & amplecteremur.

F. Iſta poſſunt dici, ſed cum ad praxin devenimus, in magnas incidimus difficultates.

G. In hoc fatemur peccare, quia nimis facile indulſimus Epiſcopis, ut poſſint Romam venire, & difficile Roma expelluntur.

I. Antea ſi D. Veſtra vult recordari, fortaſſe unus, ut dicitur, pro mille non reſidebat. Gervaldus occaſione litium; & fortaſſe ſcit D. V. ſi magis expedit, ut reſideat, nec ne.

3. Veronenſ. habet Coadjutorem.
4. Tractat de reſignatione, & eſt Theologus.
5. Venit occaſione anni Sancti.
6. Scit D. V. quas habet in ſua Diœceſi.
7. Infirmitas eſt in cauſa.
8. Reſidet, quia Eccleſia eſt in Provincia, quam regit & ſæpiſſime eſt in Eccleſia.
9. Nunc redit & paucos habet Parochianos.
10. Reſidet, qualibet hebdomada poteſt eſſe in ſua eccleſia.
11. Optatus ad negotia Regia.

M. Quoad Nuntios putamus decentiſſimum eſſe, ut Nuntii ſint Epiſcopi, quia Epiſcopi imperant, ac majoris auctoritatis ſunt apud Principes ac populos, & niſi tanta hominum penuria laboraremus, citius mutaremus.

N. Quoad eos, qui politicos Magiſtratus gerunt: Si agitur de his, qui in ſtatu eccleſiaſtico gerunt. Magiſtratus non eſt in toto ſtatu eccleſiaſtico, niſi in Romandiola unus.

Digitized by Google

Alter eſt Epiſc. Camerin. Prolegatus in Provincia Marchiæ, ita ut in ſingulis diebus, nedum ſingula hebdomada poſſit eſſe in eccleſia ſua, & quaſi ſingulo ſero in ſua Diœceſi.

O. Revera nos niſi nuncios abſentes non retinemus, quorum mutatio non ita facile ob magna & principalia negotia fieri poteſt.

P. Quod ad iſtam Polygamiam ; niſi in iſtis ſex Epiſcopatibus Cardinalitiis circa nihil immutandum duximus ; jam a prædeceſſoribus noſtris etiam poſt Concil. Trident. res hæc examinata fuerat, & ita conſtituta, & non ſine Ordine Collegii : Et redarguere facta prædeceſſorum noſtrorum, & tot Cardinalium, non viſa fuit Nobis res, quæ ſine ſcandalo fieri poſſet, quomodo cognoſcet D. V. ſi mature ſuper hoc conſiderabit.

Q. Nos autem difficultate transferimus : Quoad Epiſcopatus Cardinalitios diximus ſupra : Quoad Hiſpaniæ Epiſcopatus cogitet D. V. ſi nunc Regi hæc facultas tolleretur, in quantas incideremus difficultates. Circa tamen hoc non defecimus monere Regem, & per Nos, & per Nuntios noſtros.

R. Has reſignationes difficillime admiſimus, & regulariter non niſi examinatis cauſis, & congregatione rerum Conſiſtorialium, & aliquando ob incertitudinem reſignantium.

Hæc pauca ita curſim diximus, tum ad excuſandas excuſationes in peccatis, tum ob miſeriarum difficultates, quibus impliciti in has ærumnas incidimus. Fatemur enim nedum in iſtis, ſed in aliis multis, imo in omnibus peccare, & in nulla re muneri noſtro ſatisfeciſſe, nec ſatisfacere. Roget ergo Deum omnipotentem, vel quod ſua divina, & efficaciſſima gratia Nobis opituletur, vel quod magis optamus, Nos ab hoc mortali vinculo abſolvat, aliumque ſubroget, qui omnibus numeris officium ſibi injunctum perficiat.

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX

VERBORUM ET DICTIONUM, MEDII ÆVI BARBARIEM REDOLENTIUM.

A.

Albergaria 131 139
Albergum 259
Aldio & Aldia 153.318
Allodum 146. 150. 312
Allodium 76. 206. 242. 265. 276
Alodi 101. 257
Alotum idem ac terra dominata 85
Apoſtolatus 322

B.

Baillivi 107. 243
Bajuli 58 143 269
Bannum 97. 184. *imperiale* 306
Baro 53. 242
Battidorium 122
Becbcharia 193
Beneficiare 191
Bladum 249
Burgenſes 53
Buticularius 79. 182

C.

Caballata vini puri 60
Calderia 261
Capucia rubea 38
Carra 312
Caſalia ædificia 75
Caſamentum 90. *ligium* 288
Caſtellani 107
Cellarius 48. 144
Chacipolli 107
Concambium 310
Condamina 195
Conſuetudines 77. 81. 130. 210
Conſtabularius 47 79
Corticulæ regni 318
Cortis 152. 183
Craciacum. Creſſieu. 151

D.

Dapifer 47. 182
Deveſtire 300
Dies conſuetudinales 257
Diſtrictualis perſona 295
Domicellus 54
Dominicatus 65
Dominici majores & minores 192
Dominium vel quaſi 167
Dominium Directum 334

E.

Enganno 63

F.

Feodarii 326
Feodum 45. 53. 90. *militum* 206. 286
Fiſcus Francius 62. *Chiuriacus ibid.*
Fodrum 171
Franche 221
Fredum 109

G.

Gageria 281. 285
Garandia 131
Garda 81
Garentire 89
Gerberia 131
Giſtum ſ. exactio 96
Guerpire 72
Guidagium 58. 97

H.

Homagium ligium 38
Homo 35
Homines majores & minores 58
Hominium 77. 186

I.

Incolinire 75
Inganno 173
Inquiſitor cauſæ & litis 129
Iperpera, moneta, Aſpres *dicta* 162
Judicium pro ſententia 192

L.

Laudimium 173
Leida 80. 149. 244. 325
Libri Turonenſes 329
Ligia fidelitas 217
Lunaticum 86

M.

Magiſter magnus Curiæ 222
Magnifici titulus 218
Mandamentum 197
Manſionaticum 109
Manſus 49. 61. *indominicatus* 74. 86
Marabotinum, moneta Hiſpaniæ 268
Mariba 334
Marquiſſa 93
Maſaricium 153. 319
Medietas 118
Miles 36. 40. 95. 199. 222. 260
Miniſtri 130. 228
Miſſus 153
Mondie 98
Morubula 312

N.

Navium ligatura 183
Nobiles viri 215

O.

Offerſio 171. 189
Oſagium 96. 145
Oſtagium 207. 330
Oſtaticum 63

P.

Pagus equeſtricus 74

Pa-

Palſicatura 183
Pariatus 133
Paroda 184
Patrizare 219
Pedagium 82. 94. 164
Pedagiatores 244
Pedeſticum 275
Pincerna 47
Placitum 66
Portinaticum 183
Poteſtas pro villa 99. *jurisdictio* 357
Praeſtaria 61. 75

R.

Rauba 295
Reclamationem habere 216
Refrigerium 75

S.

Savogenſis ager pro Sabaudienſi 65
Seneſchallus 99. 284
Senior 50. 65
Sponſalitium 88
Stabilium 48
Studentes in monaſterio 220

T.

Tabernagium 263
Taſchia 131
Temporalitas 233
Tenementum 70
Treugarum carta 224. 332
Triscamerarius 232

V.

Vaſallus 66
Vaſſi 192
Vercheria pro dote 71
Verpitio 66. 89. 95. 195. 210. 326
Veſtiaria 221
Viarius 71
Vicarius 294
Vice-Dominus 36
Uſagium 81
Uſaticum 37

INDEX
PERSONARUM RERUM VERBORUM ET MATERIARUM COPIOSISSIMUS.

A.

Abbatis villa 38
Abundantia monaſterium 31 157. 176
Adalbertus Italiæ Rex 182
Adelania, Vidua Lotharii Regis, Othonis Alemannorum Regis Soror, & Conradi Regis Uxor 47
Adelheida filia Reginæ Berthæ 27
Adelheid uxor imperatoris Ottonis 50
Adrianus Papa 322
Advocatia eccleſiæ 35. 45. 123
Advocatus Friburgenſis 40
Advocatus cauſæ 59
Agaunenſe monaſterium 33 38. *donatur ſpina de corona Domini* 54 61 94. 249 262. 323
Agnes uxor Henrici IV. Imperatoris 136. 237 304
Alamandorum familia 44
Alexander Pontifex 216
Albonenſes Comites 161. *Guigo ibid. Hugo* 208
Alingiorum familia 271
Alſatia territorium 308
Amalricus, Narbonæ Dux 73
Amberta Prior 79
Ambroniaca Abbatia 222 225
Anno Archiep. Colonienſis 136. 237
Anſa oppidum 282
Antelmus, Epiſcopus Bellicenſis 44
Antigny familia 165
Aquitaniæ Duces 242
Arboſium oppidum in Comitatu Burgundiæ 179
Archi-Cancellarius in Germania 315
Archi-Cancellarius Regni Burgundiæ 150
Archi-Cancellarius regni Italiæ 187 302 304
Archi-Capellanus 248
Arduinus Rex 323
Arelatenſe regnum 232. 317
Arelatenſis Archiepiſcopus 67
Arragonum Rex Petrus 294
Aſtenſes Epiſcopi 182
Aſylum 49
Avancy, vicus 280
Auguſtodunenſes epiſcopi 99
Azano monaſterium 182

B.

Balmenſe cœnobium 241
Balneum regale 57 240. *groſſum & minutum* 118
Baptiſmi & ſepulchri jus 123. *Diſpoſitus Romæ baptizatus* 418. *Legatus Regis Numidarum baptizatur* 438
S. Barbaræ eccleſia 319

Bar-

Digitized by Google

Barcinonenſes Comites 63 172
Baſilèenſis Epiſcopus 57
Bauciaco (Ulricus de) Sebuſianæ Provinciæ Regulus 283
Baugiaci Domini 214. 287. 328
Baucio Domini 63
Bayno vicus 280
Bellicenſes epiſcopi 68
Belna urbs Burgundiæ 297
Berengarius Italiæ Rex 182 246
Bernardus Comes Plantapiloſæ 66
Berno Abbas Gigniacenſis 66
Berta regina Burgundiæ fundat monaſterium Paterniaci 25
Biſuntinus Archiepiſcopus 227. 240 286 293
Bonifacius Montisferrati Marchio 162
Bononienſes Comites 46
Boſcaudunenſis Abbatia 144
Boſo Rex Provinciæ 66. 295
Bouligneux civitas 214
Bracon feudum eccleſiæ Agaunenſis 38 *Poſſeſſores caſtri* 39. in Notis.
Branceduni Domini 114. 195. 271 282 288
Brivatenſis eccleſia 100
Brixiæ epiſcopi 168
Brueriæ Prioriſſa præſtat obedientiam Abbati Ambroniaci 222
Bulbonnbe 279
Burchardi Ceremoniarum Magiſtri ſcripta 365. *diarium curiæ Romanæ* ib
Burchardus Epiſcopus Lauſanenſis, filius Berthæ Reginæ Burgundiæ Transjuranæ 27. 51
Burgundiæ Comites Joannes 38. Joanna 39. *in notis* Otto Guilielmus 146 297. Stephanus, Guilielmus 196. Hugo 252. Joannis 291. Stephanus 327
Burgundiæ Duces 48 Odo 71. Hugo 98 208
Burgundiæ Reges, Bertha 25. Conradus 47. 191. 214 Rodolphus 26 50. 323
Burgundiæ Rector, Ceringiæ Dux 290
Burgum Imperatoris 32
Buticularius 79

C.

Cabillonenſes Comites 145 278. 291
Cæremoniarum Romanarum liber 370 *vera de illo hiſtoria* 371. *autor* ib. *editiones* 382 *verſio* 385
Calamonte familia, Chalamont 253
Camberiaci domini 156
Camerarius 79
Camerarii Pontificii inauguratio 469
Campegius (Thomas) Legatus Pauli III. in Germaniam 506. *inſtructio ei data* 589
Campum munitum Prioratus Benedictinorum 97
Cancellaria Romanæ Taxa, edita Romæ 387
Cancellarius Poncho 30. *Anſelmus almi Mauritii & Domini Regis Cancellarius* 34. *Arnulphus* 56. *Ulricus Archi-Cancellarius Rodulphi Regis* 76 *Hugo Cancell Regis*

Digitized by Google

Franciæ 79. *Baldoinus* 147. *Boſo* 154. *Eribertus* 161 *Conradus Metenſis & Spirenſis Epiſcopus, imperialis aulæ Cancellarius* 167. *Cadelous* 170. *Vido* 183. *Oddo Boni* 198. *Henricus* 248. *Ducis Narbonenſis Cancellarii* 268. *Günterus, Cancellarius Henrici II. Imperat.* 301. *Guido, Cancell. Ortonis Imper.* 319. *Epiſcopus Vercellenſis* 322

Caprariorum familia 132

Capucia rubea, qua Canonici S. Mauritii Agaunenſis geſtare ſolent 38

Caraffa (*Carolus*) *Cardinalis fata* 507 *extractus ex proceſſu contra illum.*

Cardinales vult præcedere Legatus Hiſpanicus 401. *ritus funebres* 405. 436. *puniuntur* 409. 417. *in Epiſcopos creantur* 409. *reconciliatio voti* 422. *Dux Albaniæ apud eos vult ſedere* 443. *an Duciſſæ obviam ire debeant* 457. *Epiſcopi jurant* 471. *officia* 508. 517

Cariloci monaſterium (Charlieu) *in pago Matiſcon.* 179 295

Caroli IV. Aurea Bulla pro Eccleſia Ebredunenſi 232. *pro Comite Valentinenſi* 317

Carolus V. electus Roman. Imper. 427. *Solennia ob hanc electionem Romæ celebrata* 427. *delicatiſſimus Juvenis & eccleſiaſticus* 429. *Romam occupat* 529. *litera ad Senatum Romanum* 550

Carolus V. Rex Franciæ 133

Carolus III. Imperator 383

Carolus Conſtantinus, Viennenſis Princeps 191

Cartuſia repauſatorium fundatum 40

Cartuſienſis ordinis privilegium 244

Caſſania monaſterium 78. 256. 325. 331

Caſtellæ Reges. Ferrandus 241

Cavaniacum, vicus ad Velæ fluvium 122

Cavariacum, vicus Sebuſiæ 210

Celeſtinus III. Pontifex 162

Cenomanenſes Vice-Comites 52

Chaponay familia 204

Charitatis Abbatia 291

Cimeterii conceſſio 52

Clarimontis Comites 122

Clavaſium 331

Cluniacenſe monaſterium 46 47 52. 61. 95. 98. 105. 112. 114. 120. 122. 128. 130. 136. 140. 145. 191. 196. 199. 204. 208. 214. 235. 237. 241. 248 253. 255. 261. 265. 268. 271. 278. 282. 288. 290.

Coloniaci familia 91. 117

Columbam dimittendi ritus abrogatus 461

Comes ex officio 57

Compromiſſum inter Priorem Nantuacy, & Stephanum Dominum de Thoyre 332

Condatiſcenſe Monaſterium 184

Condominium de Contamine 35

Confirmatio privilegiorum & pactorum 132 147

Conradus Imperator 167. 301

Con-

Conradus Rex Burgundiæ 26. 27. 33. 47 52. 62 65 108. 312
Conradus Romanorum Rex 56
Conſecratio Eccleſiæ S. Pauli de Botavilla 115
Conſtabularius Regis Ludovici 79
Contaminenſis eccleſia 59
Coſſonay familia 286
ACHILLIS CRASSUS Cardinalis 381
PARIS CRASSUS, ejus diarium curiæ Romanæ 361. *officia* 367. *obitus ib. epitaphium ib. an inter impoſtores litteratos referendus ib. ſcriptum ejus de cæremoniis Cardinalium* 368. *autor Ordinis Romani* 369. *autor diarii curiæ Romanæ* 369. *falſo dicitur, eum edidiſſe librum cæremoniarum Curiæ Romanæ* 371. *non fuit Cardinalis* 371. *conqueritur de editione libri Ceremoniarum* 378. *actio contra Marcellum* 487
Cremiaci monaſterium 218
Cretenſis inſulæ venditio a Bonifacio Marchioni Montisferrati 162
S. Crucis monaſterium in Jareſio 117
Cuiſelli Domini 77
Culiba monaſterium 142

D.

Dalphini Comites 73. 107. 209. 215. 218
Decimæ monaſterio de Six datæ 70
Delegatorum judicum ſententia 237
Diariorum Curiæ Romanæ Scriptores 363. *diverſorum recenſio* 365
Diſpotus baptizatur 418
Divionenſis eccleſia 310
Divina, caſtrum in Geſii Ballivatu 76
Dominium altum & baſſum 148
Dominii Directi tranſlatio 118
Donationum ſingulares clauſulæ 76. 255 *juramento firmata* 80. *factæ ob mala antea patrata* 82. *excommunicati illarum violatores* 87. *confirmata a Pontifice ib. execrationes adjectæ* 97. 101. 111. 121. 150. 156. 195
Dos dicta apud Allobroges Vercheria 73. *eccleſiæ conſtituenda* 115
Dotalitium 98
Ducum Ordo in Curia Romana 499
Durannus Abbas Saviniacenſis 65

E.

Ebredunenſis Archiepiſcopus 56. 73. 141. 172. *S. I. Romani Triscamerarius* 332
Ebredunenſis Comitatus 141
Edelgardis, Comitiſſa Gebennenſis 74
Eduenſe monaſterium 72
Emenda in pacto conſtituta 281
Engoliſmenſis Comes 110. *Gaufredus* 115

Epi-

Digitized by Google

Epiſcoporum juramentum in curia Romana 466
Eporediæ Marchiones 192 198
Ermengardis Regina filia Ludovici II. Imperatoris & Regis Provinciæ Boſonis uxor 66
Execratio fundationi monaſterii Paterniaci adjecta 27. donationibus 34

F.

Feudum, ejus conceſſio a Monaſterio Agaunenſi, Matiſconenſi Comiti facta 61. Eccleſiæ Lugdunenſi præſtatur a Domino de Turre 90. ab Abbate Cluniacenſi Raymundo Duci Narbonæ conceſſum 268
Fidejuſſionis contractus 64
Focigni familia 125
Forcalcarii Comites 142 185
Foriſienſes Comites 93. 99. 113. 237. 325
Fucigny Comites 40. 69. 103. 200
Friburgenſis Advocatus 40
Fridericus I. Imperator 59. 105. confirmat privilegia Carthuſiæ Majorevi 147. 158. 177. 185. confirmatio privilegiorum eccleſiæ Genevenſis 239
Fridericus II. Imperator 166 314
Fructuarienſe monaſterium 136. Abbatia in diœceſi Eporedienſi 137. 138. 146. 230. 236. 245. 297. 298. 299. 304. 305. 306
Fulcuniaco Domini ſunt advocati eccleſiæ Condomini 35. Raymundus de Fulniaco 60. 103
Fundatio monaſterii Paterniaci 29. Carthuſiæ Repauſatorii 40. Abbatiæ S. Victoris Genevenſis 49
Furti pœna 48

G.

Galcherus Salinenſis Dominus 31
Gebennenſes Comites 85. 94. Aymo 97. 124. 196. Willelmus 201. Hugo 241. Amadeus 270
Gebennenſes Epiſcopi 103. 150. Humbertus 210. Henricus 258
Genevenſes Comites 74. 257. 270. 293
Genevenſis Epiſcopus Hugo 49. 88. 184. confirmatio privilegiorum 239
Gex Domini 258
Gigniacum monaſterium 66. Berno ejus abbas ib. 172
Gollinæ Abbatiæ fundatio 31
Galliorum familia apud Geſſios 70
Grandis-vallenſis Abbatiæ fundatio 175. 177
Graſſani monaſterium 170
Groſſus Jeſſeranus 60. Bernardus 195
Guichenonius (Germanus) 5
Guichenonius (Samuel) vita & ſcripta 1. ſeqq.
Guido Genevenſis Epiſcopus 35
Habeſſinorum Regis fœdus cum Rege Portugalliæ 473

Hale-

Halecum diſtributio in monaſterio Cluniacenſi 136
Harberg (Hartmannus de) 38
Henricus Imperator 36. 123. 154. 193 245. 299. 316
Henricus IV. Imper. donatio ejus monaſterio Fructuarienſi 136. 303. 305
Henricus VI. Imperator 174
Henrici Regis bellum cum Rodulfo Duce 99
Hieroſolymitanus Patriarcha 298
Holſtenius (Lucas) *obſervationes ejus in Pontificale Romanum* 507
Homagium ligium pro feudo de Bracon 38. *Bernardi Domini de Turre* 44. *Amalrici, Narbonæ Ducis, Ebredunenſi archiepiſcopo præſtitum* 73. *Amadei de Jas, monaſterio Jurenſi factum* 76. *cum reſervatione præſtitum* 260. *eccleſiæ Biſuntinæ a Domino de Coſſonay præſtitum* 286. 336
Homicidii pœna 53
Hominis proprii manumiſſio 55
Hugo, Italiæ Rex 152

I.

Imperator: exequiæ ejus in aula romana 423. *an in ejus memoriam oratio haberi poſſit* 424. *an pro eo miſſa per Cardinalem fieri poſſit* 425. *quæ differentia inter Imperatorem & Romanorum Regem* 425. *an coronandus Romæ* ibid. *quanam ob illam electionem Roma celebrandæ* 427. *an electionem Romano Pontifici ſignificare debeat* 428. *Advocatus eſt Sedis romanæ* 429
Imperatrix conſors imperii 318. 322
Impignoratio caſtri de Rocca-Tailla 284
Indictionum uſus 66
Infeſſura Steph. *Scriba S. P. Q. R.* 365
Ingenui homines ſervis oppoſiti 110
Inimontis eccleſia 80. 279. 316
Innocentius VIII. emendavit ceremonias 423
Inquiſitio quando locum habeat? 209
Intermontium Abbatia in provincia Genevenſi 156
Inveſtitura 69. *terræ & ramum arboris traditione* 155. *cum baculo* 159. *Comitatus Forcalcherienſis* 185. *per annuli traditionem* 217 *per ſceptrum* 239. *donationis* 253
Joannes, Prior Carthuſiæ, Repauſatorii miraculis clarus 41. 44
Joinville Domini 81. 258
Iporicenſis eccleſia pro Eporedienſi 192 *monaſterium S. Stephani de Eporedia* ibid.
Irmengardis Regina 92
Italiæ Reges: Hugo 152. Berengarius & Adalbertus 182. Ardoinus 197
Juliani martyris corpus 100
Juramentorum ſolennia 207. *ſuper capſam Apoſtolorum Petri & Pauli & Andreæ* 213. 282 338

Digitized by Google

Jurenſe caſtrum 32. *monaſterium* 68 76. 150
Juriſdictio civilis in urbe Savona 139
Juriſdictio criminalis reſervata donatori 32. *in monaſterii feudis* 53 *de adulterio, homicidiis & furti Banno* 104. 131. 171. *omnimoda merum & mixtum imperium* 118 148 *criminaliter & civiliter punire* 149. 209. 211. *medietas* 266
Juriſperitorum conſilium 178
Jus Civile 55. *Juris Civilis Profeſſor* 209. 222

K.

Karlomannus, Francorum Rex, eccleſia Carilocenſi confert privilegia 179

L.

Lauſana civitas 30
Legati munere in aula romana an fungi poſſit ſubditus Pontificis 417
Legati a latere quomodo creandi 402 *debent eſſe ſupra Reges* 403. *caremonia in illorum abitu* 405. *an novus ſpecialis Legatus cedere debeat antiquo Legato* 411. *reditus ad Conſiſtorium publicum* 433. 441
Lemenſis eccleſia 293
Leo (Joannes) autor deſcriptionis Africa, Roma baptizatur 440
Leo IX. Pontifex 249
Leo X. Pontifex 395. *eruditio* 449 *morbus* 475. *mors* 477. *exequia* 481
Leopoldus de Auſtria 170
Lege Alamannorum vivere ibid.
Lege romana vivere 155
Lex Salica 88. 188
Liber Diurnus 189
Linck (Wonceslaus) *Theologus* 385
Lingonenſes Epiſcopi 253. 306
Liuncella Abbatia 57. 58. 68.
Livron familia apud Geſios 260
S. Loci Abbatia, hodie Sept-Fons 48
Longobardia provincia 138
Loras familia 207
Lotharienſe regnum 311
Lotharingia Dux Matthaus 150
Lotharius, Francia Rex 235
Lotharius, Italia Rex 152
Ludovicus filius Boſonis, poſtea Imperator & Provincia Rex 66
Ludovicus. Rex Francorum 78
Ludovicus, Rex Francorum, donat monaſterio Agaunenſi ſpinam de corona Domini 54
Lugdunenſis Archiepiſcopus eſt Prapoſitus abbatia Agaunenſis 33 *Burchardus fundat Abbatiam S. Victoris Genevenſis* 49. *Robertus* 90 *Raynaldus* 92. 237. *Eraclius* 102 *Amblardus* 108. *apoſtolica Sedis Legatus* 276. 331. *Amadeus* 288
Lugdunenſes Comites 83. 113
Lugdunenſi Eccleſia praſtatur feudum a Domino de Turre 90. *Lugdunenſis Decanus Guilielmus* 204
Lugny familia in Comitatu Matiſconenſi 283

Lumi-

Digitized by Google

Luminaria, ad ea concinnanda monachi Paterniacenſes Romam quotannis X. ſolidos ſolvant 28
Luſejaci & Caſtellionis domini 210

M.

Magdeburgenſis Burggravius Magiſter curiæ imperialis 235
Majolus, Abbas Cluniacenſis 27
Majoreti monaſterium 106. *privilegium a Friderico I.* 147. 196. 201 327
Manfredus Marchio 320
Manumiſſionis formula antiqua 54
Marcellus, Epiſcopus Corcyrenſis 370 *edit librum ceremoniarum* 378
Maſſileenſis civitas 295
Matiſconenſes Comites 61. 95. 128 130. 140. *erectio Comitatus in pariatum* 133. Leotaldus 189. 235 *Genealogia* 190. 196. Girardus 256 Wilelmus 261. 293
Matiſconenſes Epiſcopi 121. 287. 326
Matiſconenſis Eccleſia 195
Matricularius S. Anatholii 32
Maurianenſes Epiſcopi 64
Maximiliani exequiæ Romæ celebrantur 424
Mediolano Galli ejecti 475
Metenſes Comites 138. 310
Miniſtri & Dapiferi 104
Miratorium monaſterium, Miroir 102
Miſſa in vigilia nativitatis 432. *in die novi anni* 438. *in vigilia & die Epiphaniæ ibid. in dominica de paſſione* 442. *in die Paſchatis ibid. in feſto S. Joannis Baptiſtæ* 451. *in die omnium defunctorum* 455. *in feſto aſcenſionis* 460. *in feſto pentecoſtes* 461
Moguntinenſis Archicancellarius imperii 241. 315
Monaſteriorum privilegiorum confirmationes 119. *Prioriſſa Brueriæ præſtat obedientiam Abbati Ambroniaci* 222. *ſubjectio* 229. 263. 306
Moneta cudendæ jus Cluniacenſi monaſterio conceſſum 278. *monaſterio Paterniaci* 312
Monſtrolienſes Comites 36. 136
Monte Moreto familia 176
Montisferrati Comites 152. *donatio Marchionatus Theodoro Paleologo facta* 158. *vendunt Inſulam Cretam* 162. *Fridericus II. Imper. Guilielmo Marchioni donat quædam caſtra* 166. *Guilielmus Marchio* 170. *Bonifacius* 175
Montiſlupelli domini 96. 117. 125. 215 280. 329
Mora, Comitiſſa Salinenſis 31
Mucia familia, la Muſſe 121

N.

Nantelmus Epiſcopus Bellicenſis 147
Nantonis familia 89
Nantuaci monaſterium 81. 352. 334
Narbonæ Duces 73. 168
Nivernenſes Comites 112. 120. 248

Notarii ſubſcriptio de anno 943. 62 189
Notarius aula 159
Novalicenſis Eccleſia 59. 154
Numidarum Reges 439. *Legatus baptizatur Roma* 439

O.

Obſtagium 63
Odo, Dux Burgundia 71. 141
Officialium curia romana ordo 463
Ordines Romani 392
Oſculum pacis ad confirmandum pactum 144. *in inveſtitura* 218
Oſella dynaſta v. e. Uxelles 114
Otto Imperator 141. 318. *Otto III* 159. 320
Otto Rex, maritus Adelheida, vidua Lotharii Regis Italia 27

P.

Palatium Papia 161
Paleologus (Theodorus Comnenus) *inveſtitur Marchionatu Montisferrati* 159
Palatini titulus 218
Palatinus miles 334
Pallavicinorum Comitum origo 139
Paludana familia 257
Parriatus jura, in Comites Matiſconenſis collata 133
Paſcui conceſſio 37
Paterniacum monaſterium fundatum 25. *privilegia* 308. 312. 314
Auguſtinus Patricius *Picolomineus* 371. *Autor libri Ceremoniarum* 372. *emendat librum Pontificalem* 375
Paulus II. pro Ducum, dicit Ducorum 449
Pedagii immunitas 256. 331
Peloniacenſis eccleſia (Pellionex) 85
Perogiarum civitatis privilegia 209
Philippus Auguſtus, Francorum Rex 179
Pictavienſes Comites 68
Plantapiloſa 66
Poliniaci Comites 100
Pomerii Carthuſia 201. 202
Pontifex an poſſit eſſe compater 419 *an poſſit ſpatam benedicere in ſuo conclavi* 421 *qui Barones pracedente Papa ad Capellam, inter Papam & Collegium ire debeant* 435. *candelarum diſtributio a Pontifice* 441. *eleemoſynarum inter puellas* 442 *Dux Albania ſuſtinet caudam veſtimenti pontificii* 448 *an Papa ipſe reſpondere debeat Oratoribus* 449 *an exequiis funeralibus interſſe debeat* 461 *quomodo ſolennitates pro victoriis celebret* 476
Pontificale Romanum 507
Pontivi Comites 37. 136
Portarum monaſterium 96. 279
Portitori diplomatum fides habenda 18

Prace-

Præcedentiarum lites in curia romana 444. *ratione Duciſſarum* 457. *ratione Baronum* 435. 461
Præfecti urbis dignitas 451
Primogenituræ jus 217
Principatus Imperii jura, Ebredunenſi Archiepiſcopo conceſſa 235
Proceſſio corporis Chriſti reformata 463
Procurationes epiſcopales 95. 269
Protectionis literæ, monaſterio Liuncelli conceſſæ 57. *Amberta Prioratui datæ* 78. *monaſterio Cluniacenſi* 106
Provinciæ Comites 172
Pullıacum, Pouilly, *vicus in Vantuatibus, ad lacum Lemanum* 73

R.

S. Ragniberti Jurenſis monaſterium 119
Raimondus, Dux Narbonæ, Comes Tholoſæ &c. 37
Regalia, eccleſiæ Ebredunenſi conceſſa 56
Regum obedientia, Pontifici præſtanda 446
Renunciatio exceptioni non numeratæ pecuniæ, & omni legum & canonum auxilio 276 330 334
Repauſatorium, i. e. Repoſoir, *monaſterium in Fulcimaci montibus* 41
Rhodiani an Oratores mittere poſſint 405
Riarii (Raphaelis) *Cardinalis Decani obitus* 464
Robertus Rex Franciæ 112. 146
Roccataillia, Caſtrum 275. 284
Rochibarone 208
Rodolphus I. Rex Burgundiæ Transjuranæ 66 76
Rodolphus Dux, filius Rodolphi II. Regis Burgundiæ Transjuranæ 26
Rodolphus III. Rex Burgundiæ 33. *uxores ejus* 50. 65 91 105
Rojani Dynaſtæ 69
Roma totius orbis magiſtra 322. *hiſtoria ejus direptionis, Caroli V. temporibus factæ* 505. 529
Romana lege vivere 155
Romans, monaſterium apud Sebuſianos 212
Roſſilionis Comes Richardus 67
Roſtagni de Agoudo familia 164

S.

Sabaudiæ Comites, Amedeus 38
Sabaudiæ Epiſcopi Principes Imperii 239
Sabrana familia 267
Sabrano, Guilielmus & Roſtagni 63
Salica lex, uſitata in Comitatu Matiſconenſi 89
Salinenſes Comites 31. 38
Satiniati eccleſia 74
Saulis Cardinalis fata 407
Saviniacenſe monaſterium 64. *donatio Artaldi Comitis* 83. *donatio a Comite Foreſii* 99. *decretum Conradi*

radi Regis 108. donatio a Gaufredo, Engolismenſi Comite 110. a Comite Forcſii 113
Savonæ civitatis privilegia 159
Savonæ Marchiones ib.
Scotiæ Rex obedientiam Pontifici præſtat 436
Scodingum, Comitatus 61
Sellonis Carthuſia 77
Seguſiæ Marchiones 318
Sercejo, Domini 199
Sereniſſimi titulus in diplomate anni 993. 33
Sigilli defectus 55
Sigillum majeſtatis 150. 315. annuli impreſſio 160. 321
Sinemuro, Domini 48
Six, monaſterium 69. ejus fundatio 228
Spatæ conſecratio a Pontifice facta 437
Subſtitutio teſtamentaria 247
Sylvarum jus 123. 124

T.

Taillefers filius Raymondi, Ducis Narbonæ 36
Talveris, monaſterium ad lacum Annecïacum, alias Taloire 92. 124
Taurinenſis epiſcopus 159. 167
Tenementum 202
Teſtamentum Humberti, Domini Montislupelli 125. 215. Canonicorum de propriis bonis 251. Ermenſundæ Comitiſſæ Melgorii 292
Theophania Imperatrix 320
Theſſalonica civitas vendita 162
Tholoſani Comites 133. 265
Thoria, Nobiles in agro Fuſciniacenſi 60. 212. 326
Titiona familia 323
Tituli Epiſcoporum ſingulares 205
Toletanenſis Archiepiſcopus 243
Tornodori Comites 255
Tranſactio inter Humbertum Dalphinum Viennenſem & Philippum de Vienna. 215
Trecenſis Comitiſſa. 67
Trencatallia ſ. Trinquetaille caſtrum 63
Treugarum præſtatio 224
Triverium caſtrum 287
Turre Domini 44. 80. 90. Alaydis, filia Alberti III Domini de Turr 94. 316

U.

Valdenſes Comites. 124
Valentinenſes Comites a Carolo IV. conſtituuntur Vicarii in regnis Arelatenſi & Viennenſi. 317
Valentinenſes epiſcopi. 180. Principes 316
Valentini Comites. 57. 58. 69
Valon Carthuſia in montibus Fuſciniacenſibus. 60
Venetiarum Duci venditur a Bonifacio Marchione Montisferrati inſula Creta. 162. lis de præcedentia cum Mediolanenſi Duce 499.
Vercellenſis comitatus. 320

Vercel-

Digitized by Google

Vercellenſis eccleſia. 322
Vergerius (Paulus) 385
Verpitio monaſterii Gigniaci, facta a Comite Bernardo 66
Viarii jura & poteſtas 91
S.Victoris Martyris oſſa inventa 50
Viennenſes Comites. 142 291 293
Villars, Domini 205 224 274 276 284. 331. 332. 335
Viſilia, caſtrum in Delphinatu 37
Volubricis inſula Vallabregues, in Rhodano 63
Uſuarium de beſtiis 123

W.

Waraſcum, pagus 61
Wulpiani Comites 246

Z.

Zeringiæ Dux, Bertoldus, Burgundiæ Rector. 290 297

Errores Typographicos, quos loci diſtantia neque corrigere, neque jam annotare permiſit, B. L. pro humanitate ſua corriget: eorum vero, quos obſervavimus, indicem ſubſequenti volumine adjiciemus.

VA1 1507020

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

150
E
13-14

Digitized by Google